UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annuae litterae Societatis Jesu

1613-1614

urn:nbn:de:hbz:466:1-99111

Visual Library

Th. 5774.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LITTERÆ
SOCIETATIS IESV
ANNORVM DVORVM,
CIↃ IↃC XIII, ET CIↃ IↃC XIV,
AD PATRES, ET FRATRES
eiuſdem Societatis.



LVGDVNI,
APVD CLAVDIVM CAYNE,
TYPOGRAPHVM.

CIↃ IↃC XIX.



LITTERÆ SOCIETATIS IESV, ANNORVM

CIↃ IↃC XIII, ET CIↃ IↃC XIV.

Patribus ac Fratribus Societatis IESV pax & gratia Domini.

EN iterum ad vos adeo Reuerendi Patres, Fratréſque Cariſsimi, & longiore quidem interuallo, prohibitus nimirum valetudine, atque redituru̇m me crediderā: duodecimo quidpe iam vertente menſe, quàm ad vos primùm hoc genere legationis adij: ſed vereor, ne quàm iucundarum rerum nuncius, tam iniucundus earumdem interpres adueniȧm. Cuius inuidiæ tametſi non facile mihi fuit ſcopulum declinare, quod me ad id

muneris ipsa Præsidum imperia prorsus adigebant, temeritatis certè crimen, ipso impositæ necessitatis nomine, haud ægrè videbar depulsurus; vt eodem ipso ex telo, quod vulnus infligeret, medicinam meo vulneri peterem. Nam iussionis illam vim cùm vos cogitaretis, non dubitabam quin temerarij hominis culpa me velletis absolutum, quo vestro suffragio subleuatus, ego me grauissima suspicionum sermonúmque sarcina expeditum sentirem. Nihilo tamen minùs, qui vobis impudentiæ vitio suspectus esse desiissem, eximiarum rerum narrator inconcinnus & importunus fieri perseuerarem; vt inde quæ animi vestri moderatio, & æquitas, famæ pudorique meo voluisset consultum liberaliter, eadem, alienæ causæ studiosiore patrocinio, auribus fastidium, molestiámque mentibus arcesseret. Quò mihi religiosiùs cauendum fuit, vt quæ iusto maior, sparsa iam esset toto dictionis genere materia odiosæ satietatis, ea ne grauiùs & putidius

tidiùs exaggeraretur alienarum rerum capitibus ingerendis. Cui nauscæ ab nostro scripto penitùs amoliendæ, non verear affirmare sedulam à nobis nauatam esse operam; condonandas autem meritò videri, si quæ tamen intereà eius generis residuæ sentientur in Annalibus reliquiæ, illásque necessitati non negligentiæ imputandas. Enimuerò in earumdem vel parium rerum inculcanda similitudine, cur frequentiores aliquantò fuerimus, quàm par esset, eóque molestam audientium animis satietatem inuexerimus, duæ sunt omnino causæ, ac eædem non modicæ necessitatis lege implicatæ, quam legem partim nostri Præsides, partim ipsa rerum natura iniunxit. Quod nonnulli aiunt præter historicæ narrationis decus fieri, & eapropter audire auersantur, Sociorum prouincialium, adeóque etiam cuiusque domicilij Collegarum numerum ac munera perpetuo recensita in fronte cuiuslibet annuæ litteræ; nihil iam disputo, recténe an secus ex

historiæ præceptionibus vsurpetur; dico tantùm, ab eis qui Societati præsident, vti obseruaretur recensionis ea formula, fuisse nominatim, & scripto quidem imperatum. Addo etiam & istorum auctoritatem, & res Societatis proprias eiusmodi esse, vti suo merito atque iure sibi possint vindicare, incertis quibusdam capitibus, præcipuum quoddam scribendi genus, tametsi à vulgato historiæ more paullò alienius, cuius auditione vt assuescant, & acquiescãt etiam, aures Sociorum omnium, nemo sanus non iudicarit æquissimum. Alterius generis formulæ illi, quam nunc indicauimus, affines possunt incidere, ac reuera incidunt in huiusmodi Annalium scriptionem, ijs plerumque inuitissimis, qui ei muneri suas dant operas, quæ quoniam vitari possunt quàm ægerrimè, censoris nimium rigidi sit, eas dissimulare aut non posse, aut minimè velle. Nam Sociorum familiæ cuiuspiam & res, & nomen ipsum ea causa in Annalibus præteriri, quòd insi-

gne

gne ad notam facinus nullum toto anno ediderit, tametsi omnium eius operarum labor in annua sua procuratione fuerit assiduissimus; seueritatis profectò cuiusdam est, ac inclementiæ, vt modicè loquar, non ferendæ. Atque haud paullò minùs iniquum te in Socios eiusmodi præbueris, cùm inurbani, odiosíque moris clausula, eorũ res annuas sic perstrinxeris: Quod Scribam, de huius Collegij rebus gestis, nihil admodum habeo; quo scilicet tuo dicto factóque, vt legentium & audientium delicatiori fastidio indulgeas morosiùs, ignominiæ quamdam notam innocentibus Fratribus temerè inusseris. Quarum igitur rerum lectio in vniuersa vita semel, & quidem super mensam adhibeatur, ea mihi solet videri & æquis & lubentibus audientium animis excipienda, tametsi rei gestæ narrationem haud vsquequaque scriptor exegerit ad illam seueram historiæ disciplinam atque normam, in quam grauiter etiam peccare, longè infinitis partibus sit to-

lerabilius, quàm eiusmodi legum superstitiosè retinentem Sociorum animos lædere, ipsorum rebus quadam despicatus specie notandis, aut earum memoria ingrato & odioso silentio obruenda. Quo in administrando negotio, sollicita quidem adhibenda cautione dedi operam, vti neutrius in partis offensionem incurrerem; non ausim tamen hoc mihi de me polliceri, nihil tota scriptione admissum esse, quod in eo genere secus accipi possit, quàm ego cuperem. Quoniam verò eos causæ huius disceptatores habeo, apud quos rei bene gerendæ facta pridem obses voluntas, eodem loco sit, atque ipsum præclarè, & ex fide gesti negotij munus; non verear mihi à vobis eius noxæ factum iri gratiam, quam etiam imprudenti & inuito humana inconsiderãtia expresserit. Valete. Lugduni, X Calend. Ianuarias, CIↃ IↃC XIIX.

Omnium in Christo seruus,
PHILIBERTVS MONETVS.

PROVINCIA AVSTRIA.

AVSTRIAM obtinuerunt Socij, priore anno, quingenti vndecim; posteriore, tres & viginti eis ampliùs; in iisque Sacerdotes illo anno, centum nonaginta,& vnus; isto autem iis plures tredecim; Magistri priùs,vnus & nonaginta, posteriùs centũ; Discipuli antè,quinque ac septuaginta: pòst, vnus & octoginta; Tirones vtroque tempore septuageni singuli; Coadiutores, de summa illa omnes reliqui; Vita functi modò quartuordecim,deinde quindecim; Supplemento summissi primùm vnus & quinquaginta, inde verò de quadraginta alter minùs. Viennam porro coluerunt quinquageni singuli; centeni noueni deni, mox terni viceni supra centenos Græcium: Pragam vndequadrageni, vel quadrageni; bini & quinquageni antè, octonis posteà de numero illo demtis Olomucium; Crumlouium duodeviceni, tum septeni deni; Totidemque ferè Commotouium; Nouodomum singuli ac viceni; Totidem posteriùs, priùs vno pauciores Labacum; Glacium aliàs viceni, deni septeni aliàs; qui-

ni triceni seu Clagenfurtum, seu Clagenfurto obnoxiam sedem Oberndorfensem; Brunam octogeni singuli; Sedes verò, Zagabrienſem quaterni deni; vndeni Lincienſem; Passauienſem terni, aut quaterni deni; quaterni Nissenſem; Milstadienſem quini; Missiones denique, Alsolinduanam bini; totidem Turcicam; Moniorokerekienſem pariter bini; quini Ratisborienſem; Hommonenſem, & cæteras eidem adiectas, octoni deni.

COLLEGIVM VIENNENSE.

VTERQVE annus pestilenti clade funestus fuit Viennensibus; nobis verò seu ab re ciuili feliciter gesta, in grauissimo publicæ rei tempore, seu ab nobilium Sociorum funeribus, vtrimque memorabilis. Nam priore quidem anno quinis eorum selectis fermè capitibus orbati sumus; posterior annus vnũ etiam abstulit; horũ tres suo certè sunt exstincti, sed neque nostro, neque ciuitatis tempore, quam vt sibi multis & illustribus benefactis obstrinxerant viuentes, ita mortui mœrore cumularunt. Funerum nostrorum initium fecit Bartolomæus Scholtzius, ortu Silesius, octo & quadraginta stipendiorum inter Socios, ætate sexagenarius quinarius, cuius in omni vita incensum fuerat & laboris, & orationis studium, quarum perpetua vicissitudine ad alterutrius exercitationem redibat vegetior; cum intereà cæteræ omnis Religiosæ virtutis esset studiosissimus; quarum vsu assiduo

siduo eximiam nactus animi tranquillitatem, & ægrotationem leniſſimè tulit, & mortem obiit placidiſſimè. Illum extremo Ianuario vita functum, exeunte Aprili eſt ſubſecutus Pater Sixtus Eſpelbachius, Harlingæ in Belgio natus, annorum quinque & quadraginta, eorum vicenos ſeptenos in Societate verſatus, quattuor ſollemnia profeſſus Vota, quem litteræ Humaniores ac Philoſophicæ cum multo fructu diſcipulis traditæ, ac domeſticorum munerum adminiſtratio bene ſedula, ſtrenuum vtilemque in primis Socium noſtris Præſidibus per illuſtria documenta probauerant. Inſtituti omnem rationem magnopere ſemper eſt reueritus, etiam in iis, quæ tenuia vulgò putantur, vt qui multi laboris cum eſſet, atque aſſidui, eius tamen magnitudinem ſibi non pateretur eſſe obtentui, ad vllam commodi vllius indulgentiam. Trium reliquorum tamerſi luctuoſiſſimum nobis accidit funus, pro eo atque ſingularis hominum virtus æuo longiore digna videbatur; ratio tamen glorioſi obitus noſtrum dolorem viſa eſt poſſe meritò lenire, quòd ſua capita cùm alacriter aſſerendæ ſaluti publicæ deuouiſſent, in Viennenſium grauiſſima calamitate, non antè occubuerunt, quàm meliore loco res periclitantis ciuitatis relinquerent, plurimoſque exitiali tabe contactos ab mortali vita in cæleſtem inducerēt. Dietmarus Stamvvert rei familiaris Adminiſter egregius, decem annorum in Societate, quam vicenarius iniuerat, cæteris in hoc defungendæ vitæ curriculo viam præmuniuit, qui princeps etiam hunc agonem fue-

rat

rat ingressus cum Sacerdote, quem dira lue graviter tentatum Deus nobiliori alicui palmæ reseruauit. Hunc Fratrem ingenio ad omnia suæ conditionis munia peridoneo is finxerat, qui eum pridem Societatis membrum destinasset, quò eius opera fructuosior Sociis, ipsique adeò iucundior euaderet. Sed obsequendi præcipua laude cum floreret, arderet autem studio bene de omnibus merēdi, appositissimam suæ indoli palæstram nactus, in ea sic versatus est, vt eum paucis hebdomadis palma dignum summus Imperator decreuerit. Eum insederat pestilens, & magni modi vlcus, ex cuius grauitate cùm certā sibi mortem instare perspexisset, ne quid venenati halitus Sociis afflaret, cupiit dimitti ad insanabilium Nosodochiū; sed eius curationem alienis delegare videbatur iniquius: quare in suburbanū Collegij hortum iussus secedere, cùm eò iter intenderet, eumque familiariter Ianitor de via percontaretur, leniter arridens, vbi rediero, inquit, audies quod cupis. De suo nimirum casu, quo turbatum iri Socios cognosceret, nihil vltrà proloquendum ratus, quàm vt eius admoneret Præsides, cuius eos esse conscios satis in præsentia videretur; nam crastinus dies, qui ei vitæ fuit vltimus, cæteris omnibus satis superque rem omnem aperuit. Hunc Augustus mensis, insequens proximè September Patrem Ioannem Zehenderum, è Sueuia ortum, quattuor professum Vota, nobis eripuit vndequinquagenariū, duodeviginti annos in Societate versantem. Egerat olim Prædicātem in Aula Durlacensis Marchionis, Lutherani,

ex illu

ex illustrissima stirpe Principum Badensium, eumque vnius è Sacerdotibus nostris,& Doctoris Medici Ioannis Pistorij cum Smidelino, Erebrando, & Gerlachio,Lutheri præconibus,cõgressus,ac relata ex eo certamine, conuictis Prædicantibus,palma,magnopere commouerat; frequens deinde Pistorij disciplina & institutio facile eò pertraxit,quò ipsum Pistoriũ nostri antè adduxerant, anno octogesimo octauo supra quingentesimum & millesimum, vt est in Collegij Spirensis, eius temporis, Annalibus. Erat in eo tum adolescente senûm vicenûmque annorum summa,& cum eo congrediẽtibus iucundissima,modestia,ac consuetudinis mira quædam suauitas, vt ille Sacerdos noster,qui ad disputandum venerat, & cuius congressu delectabatur Zehenderus: ei familiariter sæpe prænunciarit, non Catholicum modò, sed Iesuitam quoque ipsum breui futurum. Huic eius tantæ humanitati comitabatur ingenium singulare,vt hanc sibi ereptam prædam Prædicantes, quà communis causæ studio, quà sanguinis, & affinitatis suæ cum Zehendero memoria, cum primis dolerent. Quem ideo sollemni disputatione lacessendum sibi sumũt, si qua via reliqua sit eius ad se reducendi;futuræque pugnæ campum, Ementingam vrbem,vbi tùm Marchio Durlacensis versabatur, vndeuiginti Prædicãres edicunt castra,atque conueniunt, Ioanne Pappo,Argentinensium Ministrorum primario, Lutheranę causæ signifero,atque huius tumultuarij & concertatorij conuenticuli parum bene ominato auspice. Superioris disputationis Smidelino

no luctuosus fuerat euentus, ac duplici quidem ex causa,& quòd ab suo nuper milite Pistorio, quem nec suo congressu dignaretur, Lutheranarum partium summus velut Imperator,fractus fususquè cũ infamia discesserat; & quòd Zehenderi, tum Prædicantium vnius, paucis post diebus ad nos transitus obtigerat, recentis nostræ victoriæ haud quaquam leuis accessio, sicut anno nonagesimo nostris Annalibus est proditum. Quod vtrumque vulnus Smidelino,cum tamen inane sibi Epinicion antè cecinisset, & tædium vitæ, & simul viuendi finem attulit. Pappus verò cum fida illa & amica manu,decem & octo auxiliariorum Prædicantium, haud paullò minùs infelicem nactus est prælij exitum, in quo ab adolescente adhuc,& inter Catholicos tirone Zehendero, ad dogmatis causæque perpetuum ludibrium profligatus est, toto certamine: atque præda, quam omnium maximè opimam haberet in castris, turpiter est exutus. Nam quo euentu illa Pistorij superior palma Zehenderum pepererat Ecclesiæ; hoc eodem planè,Zehenderi hæc victoria, Badensis generis Marchionem illum Durlacensem, adhuc Lutheri assectam, mox Catholicorum partibus,incredibili aduersariorum mœrore, aggregauit. Cuius ex incensa cupiditate Romani ritus tota sua ditione strenuè cõstãtérque propagãdi, vt ne ille fructus in Ecclesiam rediret, quem omnes boni iam animo præceperãt, & cum eo Pistorius ac Zehenderus summa vi moliebantur, infelix ac præproperus vetuit eiusdẽ occasus, paucis hebdomadis quàm ille nostra in Castra trã-

sierat

ſierat, propinato veneno nefariè illatus. Demortui verò, ſobole carentis, quòd hereditas in Caluiniani fratris veniebat manus, nihil habuit Zehenderus, cur ibi diutius hærendum putaret; quare ſe dedit in clientelã, comitatumque Auſtriaci Cardinalis Andreæ, Conſtantienſis Epiſcopi, apud quẽ factus Sacerdos, haud ita multò poſt Romam ſtudio proficiendi delatus, rationem apud ſe tacitus inire cœpit, qua popularibus Hæreticis præſtaret ſe omni reliqua vita fructuoſum. Qua in deliberatione circumſpicienti accuratè omnia, nihil oblatum eſt ſuis ſuorumque rationibus congruentius, quàm ſi noſtro Inſtituto, cœtuique adiungeretur, cui propterea ſe magnorum conſiliorũ plenus adrogandum dedit, ſed illud in primis ingentibus animis moliens, vt magnas tota Germania Hæreſeon ſtrages ederet. Neque ſecus deinde rem exſecutus eſt, quàm mente deſtinauerat, Diuina gratia eius conatibus obſecundante, qua fultus non modicos Hæreticorum greges ad Catholicum populum traduxit; & eam prouinciam tam incitato ardore ſemper geſſit, vt cùm frequentiùs in Hæreticorum ædes importunè ſe penetraret, nõ rarò cum grauiore contumelia retruderetur; ſic tamen vt per indignationem reiectus, alacrior poſteà, & ardentior eodem rediret. Cum alia pleraque priſtinam ſuam conditionem recolẽti ſuccurrebant, quamobrem eius eum pœniteret, tum illa cogitatio grauiter exulcerabat animum, quoties meminerat, ſuis inſtitutionibus abalienatos olim non paucos à Catholici nominis ſtudio: quam noxiam

xiam vt expiaret, nihil adeò in hac vita durum acerbumque duceret, quod non vltro sibi subeundum arbitraretur; & huius sui studij, Cassouiæ in Pannonia, Lincij & Viennæ in Austria, ad memoriam exemplumque posteritatis luculenta vestigia expressit. Lincienſem profectò Sedem cùm Præses administraret, & eà frequens Sociorum esset in Boemiam Stiriamque commeatus, ad cætera omnia studiosissimæ, beneuolentissimæque procurationis erga peregrinos Fratres officia, quæ, domesticis quiescere iussis, ipse sibi sumeret, illud semper adiecit, vt eis matulam inferret, ac vnus eamdem efferret, hospitibus quantumlibet repugnantibus; ac ipsam adeo leuandæ aluo sellam ministraret, quoties hospitum valetudo eam postulabat. Huic homini sollemne fuit, diurnas nocturnasque ægrorũ custodias domi foriſque sibi velut iure quodam depoſcere, ac perpetuas ferè obire: de nocte domesticũ tintinabulũ obseruare, simulac increpuerat, strato se eiicere, etiam cùm Rectorem ageret, & ad ægros iuuandos vel vocatũ, vel inuocatũ accurrere. Ex tam incenſo amore grauia quæque tolerandi, quò cum & demissionis, & aliarum virtutum conſpiraret studium, existebat ardens illud desiderium, vti quorumlibet arbitrio subesse optaret, nulli mortalium sustineret præesse, si suæ ſpontis fieri posset in eo negotio: cuius quoque rei æternam sibi, noui moris voto, legem esset impositurus, nisi religione, Præsidumque reuerentia prohiberetur. Quo in genere nihil omni vitæ decursu ei iucundius obtigit, quàm in pro-

curatio

curatione lue contactorum ciuium, vbi decubuerat morbo Sacerdos, cuius illæ vices fuerant, desiderari alium Sacerdotem, qui easdem expleret: quas certè partes Zehenderus tam cupidè, constanter, ac etiam importunè sibi à Præside Collegij depoposcit, vt postulatis excludi iure non posse videretur. Simul igitur atque voti compos factus est, eo impetu, ac contentione animi formidolosissimæ prouinciæ campum est ingressus, ita penitus se insinuauit in malè affectorum intimas ædes, manifestaque tabe languentium retrusas casas, omnes sic penetrauit, vt quia nullius loci, neque rei haberet delectum, quibus aliunde perspecta non erat multa hominis prudentia, eum vanæ, periculosæque temeritatis insimulare meritò possent putari. Sed sagacissimi vir ingenij pridem perspexerat, quàm multis, & sæpenumero leuibus, ac nullis ex causis homines abducerentur ab exquirendis maturè animi subsidiis, quorum deinde vsu atque fructu complures, improuisique casus ipsos intercluderent. Enimuerò quoniam plerisque ciuium seuerior videri solet Aedilitiæ animaduersionis mos ille, vt obductis ædium foribus, propositaque multa, congressu omniũ, & publico arceantur, qui haud leui suspicione contagionis laborant, declinandæ huiusmodi opinionis & molestiæ, dissimulata sæpius intestina sua clade, Sacramentorum, Diuinaque proinde gratia exsortes intereunt. Quod permultis Viennensium vsuuenire cùm noster primis suæ administrationis diebus didicisset, sedulò sibi putauit prouidendum, vt nemini dein-

ceps ciuium, quem haberet compertum, insanus ille pudor exitio verteret. Qui Patris Zehenderi minùs consultum ardorem scrutandi, noscendique omnium domicilia & secessus, reprehendi posse crederent initio, posteà deinde quàm multorum manifesta cum salute se prodidit eius tam auidæ curiosæque sollicitudinis fructus, flagrantissimæ caritatis in ciues, parisque gerẽdo negotio prudẽtiæ, illustre ab omnibus præconium tulit. Atque vti ne specioſior in vulgus hæc ratio alienæ salutis procurandæ forsitan esset, quàm ægrorum animis fructuosior, diligenter omnino cauit, adhibendis iis incitamentis, quibus ex conditione illius morbi defixa mens ægrotantium, obtusioresque vulgò sensus, erigerentur ad insigniores motus religionis pietatisque. Hunc etenim sibi perpetuũ morem indixit, vt, Eucharistiæ ac Extremæ Vnctionis administraturus Sacramẽta, neminẽ planè adiret, nisi eoapparatu, qui augustam eius rei aliquã præferret magnitudinem, eiusdemque, ac Dei cum primis, qui præsens iis symbolis inesset, eximiam venerationem in ægroti animum importaret. Priùs quàm subiret in ægri conclaue, ad fores eius sibi inducebat sacerdotale supparum, quod superpelliciũ vocant, stolam, quadrangulumque galerum; ac sinistra Christi ad crucem suffixi, dextra facem ardentem præferens, religioso sacroque verendus cultu, præsentis Numinis indice, multam derepentè venerationem erga Diuina in ęgrotantium animos inuehebat, fouebatque. His, atque huiusmodi prę-clarís attibus suscitanda in omnibus aduersùs Deũ fide,

fide, reuerentia, & ardenti amore, multorum dubiam confirmauit salutem, neque pauciorum desperatam restituit: sibique apud Viennenses, cæterasque prouincias, quibus fuit vtilissimus, clarum nomen integerrimi, sanctissimique viri peperit; eoque clarius, quòd ex huius palæstræ ingressu, respirandi à perpetua fatigatione nullam sibi moram indulsit, quoad eum dira quoque lues abstulit. Funerum porrò nobis quies tandem fuit in Patre Ioanne Montano-mollense, Antuerpiensi; annos tres & quinquaginta nato; eorum degente tricenos ternos in Societate nostra: politiorum, grauiorumque disciplinarum apprimè consulto; Philosophica, Theologicaque laurea pridem claro; cuius vtriusque doctrinæ præcepta vicenos, eoque ampliùs, annos, vel nostro in Collegio, vel in Academia Viennensi, multa cum acuminis, perspicuitatis, & eruditionis fama tradiderat. Eum præcellentes animi dotes Præsidi Prouinciali consiliarium & admonitorem diu fecerant, huicque Collegio maximè idoneum Rectorem pridem adsciuerant: quo in munere cum iucundissima præsidendi suauitate, salubrem exigendæ disciplinæ seueritatem felicissimè, perpetuoque copulauit. Exemplo in primis suorum quemlibet ad sedulam muneris procurationem inuitabat; cum & ea, quæ multis communia sunt, vt audiendarum Confessionũ ac huiusmodi, princeps ipse obiret officia: & quæ certorum sunt propria, vbi esset opus, expleret sedulò; quam imperij formulam secutus, promta semper, feruidaque suorum est expertus

obsequia. Huius Collegij Prorectorem agebat, cùm acerba vitiati cæli labes Viennensem ciuitatem haberet infestam, nostrique Patres publicæ auertendæ calamitati, domi atque foris plurimum laboris haurirent: quorum fatigationem vti pro virili subleuaret, tametsi numquam à Rectoris procuratione feriatus, veniebat & ipse in partem assidui muneris audiendarum Confessionum; inter quam obeundam prouinciam, tetro cuiuspiam halitu creditur fuisse afflatus; multò autem grauiùs deinde, cùm tres horas in conferta multitudine Academicorum, Rectorem sibi legentium, consedisset, quòd triduo post eum consessum, immani tubere pestiferum vlcus illi secundùm aurem intumuit, cuius malignitate, triduo vix toto expleto, exhaustus est. Appetente hora mortis, consuluit vnũ ex Patribus nostris, contagiosorũ Nosocomio præfectũ, quàm procul abesse videretur suus à vita exitus; qui vt respõdit, iam planè instare: ad illã mortis suæ denunciationem, miro gaudio exsultauit, moxque iusso Fratre sibi præire Litanias, nuncij magna perfusus lætitia, piè ad singula earum capita respondit. Cùm autem ad eum versiculum, qui est de Sacerdotibus, ventum esset, pauca interfatus, præcepit ad cætera suffragia & illud nouum inseri, *Beate Pater Zehendere*, & quidem tertiò; ad quæ verba, summo cum animi motu, & hæc vicissim tertiò addidit, *Ora pro me*, pro ea scilicet opinione, quantam de hominis sanctitate conceperat: neque ita multò pòst, placidissima in morte acquieuit. Haud fuerit, puto, hoc loco alienum, D. Ioannis

Curtij

Curtij, Zuethlensis Ecclesiæ Præpositi, Doctorisque Theologi, tamquam vnius è nostris funus adscribere, quem nostri Instituti multos annos percupidum, vbi tandem compos eius factus est, nosque ex Asse instituit hæredes, mors oppressit. Posteriore anno Patrem Bartolomæum Gorlichium, Silesium, non tam ipsa grauis senecta, quàm immensi labores, alacriter pro Christo exantlati, obruerunt. Quadriennio sexagenarium præcurrebat, annos vndetriginta inter Socios religiosissimè vtilissimeque versatus, multa cum laude variis exercitus muneribus; seu cũ subesset, seu cùm præesset, æquè omnib. gratus; sed decẽ & octo ante occasum menses totos, affecta licèt annis & morbis valetudine, excipiẽdis Confessionib. tam assiduus, vt miraculo esset omnib. domesticis. Quẽ in eiuscemodi palæstra inuicto animo desudantem supra vires & annos, pridie Christi Natalis, frigidissima tempestate, cùm eum multus algor obsediisset, ipsa tamen nocte Dei filio nascenti sacris esset operatus, simulac in cubiculum se abdiderat, conquieturus aliquantulum, ingens pituitæ copia in fauces delapsa tantum ei concessit reliquæ vitæ, quoad satis fuit, ad vicinorum Fratrum exposcendam opem, excipiendamque Sacri Olei vnctionem. Viennensium ciuium plerosque grauissimè affecit eius decessus, quorum lacrymæ adhuc hominis testantur acerbum desiderium; quod ea modo solantur spe fore, vti absentis sibi prosint preces, cuius erat præsentis adeò fructuosa opera; neque defuit, qui eius recèns mortui admonitu senserit se vehementer

vrgeri, ad excutiendam grauem peccatorum sarcinam; cuius vocibus ingenti suo bono & gaudio est obsecutus.

VTERQVE porro annus vix dimidiatus nobis ad sollemne opus liber esse potuit; quòd per Hibernos, Vernósque menses, ex agresti secessu, ac æstiuæ cladis fuga, non planè receptis ciuibus omnibus, cum ineunte Iulio, intendentibus se caloribus, contagiosæ labis plaga mox recrudesceret, exercendorum in vrbe munerum quâ facultas, quà materia subtrahebatur; partim alio dilapsa ciuitate, partim nobis peregrè amandatis, aut ædiũ septo iussione Præsidum coërcitis. Quãdiu tamen per cæli clementiam in opere nobis esse licuit, nostræ industriæ fructum vberrimum tulimus: ac maximè per Bacchanalium quadragenariam orationem, cuius apud nos ea fuit frequentia, vt assiduo ciuium concursu nostræ scholæ, ac Socij pęnè ipsi, quorum diuersis manipulis statæ precandi vices in totum diem erant indictæ, per omne ferè triduũ templo excluderentur. Inusitatus nimirum Diuini cultus ardor vniuersam ciuitatem ita occuparat, omniumque pectora sacro æstu incenderat, vt in rerum nouitate finitimi populi Viennam nõ agnoscerent, ipsaque se planè aliam experiretur. In tanto autem animorum motu, cùm audiendarũ Confessionum ipsum per se onus ab ingenti multitudine confluentium ciuium graue iam esset; fiebat tanto etiam grauius nostrorum paucitate, ac cæterorum Religiosorum absentia; hi enim strage suorum territi vrbe abscesserant; nosque ad de-

cem

cem omnino Sacerdotes redieramus, cæteris in finitima loca dimissis. Eo quoque semestri prioris anni Catholicorum cœtus auctior factus est, trecentis ac tribus capitibus ex Hæretico grege detractis, quorũ plerisque multam nauseam Lutherani Euangelij pepererant sordes suorum Prædicantium in administranda sui moris Eucharistia. Vt enim de se, suisque sacris sublimè sentiunt nouo hoc Euangelio afflati homines; pari de ipso æstimationi apud populum ingenerandæ, hanc rationem Lutherano acumine dignam excogitarunt, vt non nisi auro priùs munerati, & carpento vecti ad ægros vel solatio, vel sacris reficiendos adirent, tametsi de vita periclitantes; vti ne aut vilitate pretij, aut facilitate suæ operæ, suo Euãgelio, ac videlicet ministerio, despicatum vltro in vulgus arcesserent. De hoc genere nundinariorũ Poparum, cùm inops & ægra muliercula vnum ad se inuitasset, licitata priùs quanti suum laborem, & sacra ipsa indicaret; ipseque meros creparet aureos nũmos; habeat, inquit illa, sibi, ac Lutheranis, suum Christum aureum; nam mihi ex hac hora certum est, Catholicorum frui nudo ac paupere Christo, in quo vno, quin sita sit mea salus, numquã deinceps dubitem; quod non secus exsecuta est, quàm dixerat; neque segniùs imitati sunt eius sapiens factum alij non pauci Lutherani. Agni Cerei aduersùs incendium inuicta vis, nobilem familiam, recèns ab Lutherismo receptã summopere affirmauit in Catholici ritus fide, ipsosque adeò Lutheri asseclas ad eam suspiciendam valde permouit. Eius

familiæ, quam dixi, quarto ab Vienna lapide, ardere cœperant ædes, eo ipso die, quo vir & mulier publicè Lutherum exsecrati, Catholico primùm ritu in Sacrorum communionem venerant; qua in trepidatione noster Sacerdos cùm in tecti summa euasisset, excitata in Deum fide, vt res admonebat, Agnos geminos serico tectos demittit in latè vagantes flammas: quos restincto postea incendio, ne leuissima quidem aura ignis afflatos, inter carbones fauillamque reperit herilis famulus Hæreticus, &, hero cum religione oblatos, sibi vtrosque condonari vehementer expetiit. Huius prodigij sincera fide perscriptam narrationem, & is, cuius in ædibus contigerat, & alter vir nobilis, chirographi, signique sui auctoritate confirmatam, Sacerdoti nostro, qui aderat, asseruandam tradiderunt. Nostræ porro scholæ tametsi Æstate, Autumnoque toto siluerunt, pestilenti discussæ sidere, septenos tamen nobis, aliquot etiam cæteris Ordinibus, Tirones summiserunt. Atque hæc de prioris anni rebus gestis.

Posteriore anno cum domesticis iacturis leuiùs multati, tum compendiis administratarum rerum vberiùs impertiti sumus. Toto triduo ineuntis Maioris Ieiunij, quà ciuib. quâ peregrinis assiduissimè cõfluentibus, nostra ædes religiosissimo conuentu celebrata est; quò etsi plerosque spectandi cupido allexerat, religio tamen, suaui deinde captos illecebra, fructuosè distinuit, & ad Christiani moris obeunda munera, salubri iniecta æmulatione, impulit. Celebrandi templi non mediocre in-

uitamen

uitamentum fuit prægrandis pegmatis, in ipso ædis sanctuario excitati, magnificentiæ, artis, elegantiæque pleniſſima ſpecies. Alteram amplæ illius cellæ partem, quantum ea in ſublime, ac in latum patet, occupabat ea machina, quam triplex diſtingueret contignatio, ſuggeſtuum verò quemlibet ordinem commiſſæ ſuis epiſtyliis columnæ idoneis dirimerent interuallis. Columnis intermiſſa ſpatia, concharum ſpecie in cauum ſinuata, eximij operis, periucundique aſpectus & poſitus, ſtatuæ ac ſigilla implebant. Ad maieſtatem, & venuſtatem denique pegmati conciliandam, pretioſiſſimæ veſtis, argenti, auri, gemmarumque acceſſerat copia maxima, quorum omnium incredibilem fulgorem atque dignitatem exaggerabat ſummopere ignium vis ingens, triplici tota coronide, ima baſi, ac frequentibus præterea cauis accenſa. Huius tanti apparatus & ſumtum & curam vniuerſam Mariana Sodalitas ſibi vni adrogarat, quæ prioribus annis in partem modò impenſarum cum Collegio noſtro venire conſueuerat. Hæreticorum interim caſtra ſeptingentis eorum commilitonibus, eoque amplius, infrequentiora fecimus: quodque ſit inſtar prodigij, par coniugum, ex Anabaptiſtarum impuriſſima fæce, hoc numero comprehendimus: quorum vir chirurgiæ conſultiſſimus, eoque nomine frequens in procerum ædibus, ingenti animo apud eos recèns adeptam fidem tuetur. In hunc quoque cœtū adſcripti ſunt Prædicātis filius: generis item nobilitate, atque rebus militiæ geſtis clarus Scotus; & ex illuſtri Comitum

familia princeps quædam femina. Dynastis aliquot bene Catholicis animos fecimus, vt ex vi ac ratione patriarum legum atque morum, Lutheranos, suæ ditionis homines plerosque, iuberent ad Catholicum ritum transire: quod eorum duobus, alteri Baroni, Comiti alteri, tametsi non sine controuersia, tamen cessit denique feliciter. Keuenhillerio certè Comiti acriter diuque pugnandum fuit, vti rusticani generis numerosissimas cliētelas ab Lutheri studio traduceret: quod ad negotium, principio quidē periculi pleniſſimum, Comes vxorem suam, lectissimā feminā, nuper ab Lutheranis in Catholicos receptam, ad audēdum, gerendūque habuit & sapienter hortatricem, & fortiter sociam. Etenim quæ agrestiū Clientū vesana fuit audacia, & scelerata perfidia in suū Patronum ac Dominū, simul atque, parēte Comite Hęretico mortuo, Comes filius Catholicus Passauiensi Antistite id exigente, iubenteque Cæsare, olim exactos Sacerdotes restituere aggressus est, non sunt veriti Herum suum ad necem postulare, Cæsarianosque Duumviros Principis, indicendo exsequendoque Rescripto ad se missos, lapidatione furenter abigere. Quò minùs intolerandam rusticæ plebis contumaciam, valido iam comparato equitatu, Comes seuerè meritoque vltum iret, noster Sacerdos obstitit, cuius ex sententia visum est, loco temporique, ac Catholicis rebus congruentiùs, ea de re ad vniuersæ Prouinciæ Præsidem, tametsi Hæreticum referre. Is sanè, vti publicæ paci ac fidei præfectum hominem omnino decuit, facinus rusticanæ plebis in

Cæsa-

Cæsarianos legatos, in ipsumque Comitem, Patronum suum, in Prouincialibus Comitiis ita descripsit, quamque nefarij moris, ac periculosi exempli esset ea fraus obnoxiorum capitum in legitimos Dominos, iis momentis disputauit, & expendendũ omnibus proposuit, vt summam indignationem audientibus concitaret. Fuit igitur omnium Ordinum ex toto Conuentu ea sententia, quam vultu ac voce singuli apertissimè præferrent; Comprimendam ipso in ortu, & quidem seuerius, immanem Perduellium vesaniam, ne dissimulata, pessimo publico, Dynastarumque iure, mox glisceret in vulgo, nouarum rerum nimio plus amante, infamẽ quadam spe falsæ libertatis. Quamobrem daret operam Comes, vt quam in plebem, auorum ipsius, & sua eximia virtus, ius ei atque imperium peperisset, cælo terraque adiuuantibus causæ æquitatem, eius plebis contumaces animos, pro noxæ grauitate, retunderet, multaretque, legitimarumque iussionum patientes in posterum præstaret. Hoc vniuersæ Prouinciæ iudicio, decretoque fretus Comes, in suæ ditionis arcem iter intendit, stipatus nonnullo equitatu, cuius auxiliariorum etiam Hæreticorum voluntaria fuit turma, atque hoc tectus præsidio, cum vxore incolumis, in castellum tandem euasit. Postridiè quàm eò venerat, dato signo ex totis agris prouolant turbulentissimi quique Clientum, densoque agmine trium millium circumsidentes Herum domi suæ, omni genere conuiciorum eumdem ad egressum conciere studeant, dilaniandum mox suorum manibus.

bus. Viri nobiles duo, Lutherani, ex iis qui Comiti præsidio venerant, perduellium rusticorum petulantia grauiter offensi, eos sibi sumunt blanditiis ac rationibus deliniendos: sed apud efferatum, suo ipsius scelere, vulgus iusta, salubriaque suadentium oratio, & opera inanis fuit. Cepit in re trepida Comes, suasu coniugis, consilium in speciem temerarium, sed quod Diuina prouidentia, cuius ope in primis nitebatur, in vtriusque partis bonum, mirabili euentu, vertit. Arcis portam aperiri iubet, obsidentisque turbæ bene amplum agmen intromitti, moxque claustra obduci reliquis seditiosorum arcem ineuntibus. Tota illa perduellium manus in Comitem atrocibus conuiciis fremebat, passimque furentium hæ voces audiebãtur: *Pereat proditor Papista: exstinguatur, obtruncetur.* Quem inter tumultum, insanamque vociferationem, armatus in medium prodiit Comes, stipantibus eius latera senis, ac validis, vtrimque prælongarum fistularum Catapultariis: quo instructu septus, incenso vultu, grauibus verbis, erecto animo, ingentis spiritus oratione exorsus est; qua iubebat perduelles meminisse dicti nuper ab se in Domini verba sacramenti: eumdemque se esse cui suam nuper fidem obstrinxerint: num eorum quisquam sit ita sui officij oblitus, ac scelere omni adeò contaminatus, vt in Domini necem ferrum stringere audeat? Quò tamen si eruperit ferina, nefariaque ipsorum immanitas, vt Christianum, Catholicumque deceat, se in tam aperta, & tam iusta Christi causa, libenter alacriterque animam profusurum, memo-

memorem vtique ſuæ vitæ ac ſalutis diris cruciatibus olim à Chriſto redemtæ, ſibi tamen certum eſſe in eo conflictu ſic occumbere, Deoque ſe victimam conſecrare, vt priùs ex illa ſacrilega perduellium ſecta eo, quem dextra præferret, gladio iugulatos, Orco plurimos deſtinaret. Ingenio ferocem, rebellatricemque turbam ſtupore omnino defixit generoſiſſimi, religioſiſſimique pectoris fermo, vt dubia prorſus hæreret, quid in Comite magis miraretur, animine infracti magnitudinẽ, in præſentiſſimo periculo, an in religione tuenda pietatem, vitæque pro ea ponendæ alacritatem, contrà atque ſuos Prædicantes meminiſſet ſolere de Catholicorum ſtudiis in eo genere differere. Hac prima, breuique allocutione, vt reſtinctum in ſeditioſis furoris ardorem aduertit Comes, iterum ac tertiò ad iam pacatiores ita verba fecit, vt eorum denique mollitis, ac planè manſuefactis animis, ad officium omnes impelleret. Quibus recipientibus in Domini ſe futuros poteſtate, mox decem Prædicãtes Comitis ditione iubentur procul faceſſere, ſuas in ſedes reuocatis Curionibus, vnde exacti fuerant. Eius itaque rebellionis, cuius atroces exitus nemo prudens non metueret, in ipſos, auctores mali, Prædicantes vertit calamitas: & vt par fuit, in tredecim factionis principes, quos ſuum flagitium in carcerem, & vincula compegit. Ex Turcica porro impietate duo, totidemque Iudaica ex obſtinatione, in ſententiæ, ſacrorumque ſocietatem cum Eccleſia venerunt. In ter auguſto altaris Sacramẽto, Chriſti corpus omni cultu ado-

ran-

randum esse, Catholici profitentur omnes, vt tametsi nulla priuata lex, nullumque votum noua quemquam religione obstringat, quoties tamē Diuinus ille panis circūfertur in publico, nemo non indignissimum putet, si non frequentissimus adsit comitatus, & cultus, qui pompam cohonestet. Verumtamē eiusmodi religiosi officij partes rarus est, qui suas esse agnoscat, aut, vltro sibi sumat, non oblatas: facilè quiuis ad alienos delegat, adeò iidē mortales sunt in rerum honestarum iudicio alij, aliique in earumdem vsu. Huic negligentiæ atque socordiæ depellendæ, in omnium religionum præcellētissima religione, omni semper æuo, pij aliquot viri Sodalitatibus accurata legum, rituumque sanctione instituendis, diligentissimè cauerunt, vt Regum Regi maximo, quoties procederet publicè, triumphali pompa transuecto, summus honos haberetur; qui mos nisi posterorum ignauia obsoleſceret, næ cum ignara plebs in Catholicis, tum Hæreticorum quisque, meliora de Deo, de Fide, de Catholicorum sacris, ac ritibus sentiret. Vienna certè vt Austriæ caput, ita religionum in eo toto principatu magistra, siue ab Hæreseon labe puram, siue contactam se fateatur fuisse in hūc diē, vtrouis ex suo statu, grauissimas habuit causas studiosæ piæque venerationis aduersùs Sacrosanctę Eucharistię diuinum illud ferculum, quo Deus ipse, mortalis specie inter mortales inuehens, in locis sua maiestate indignissimis plerumque versatur. Quam cælestis cultus dignitatem, ipsi Deo, Viennensium Seruatori, Regique cælorum,

ita

ita pridem Viennæ defuisse,vt in augustissima vrbe,ac pietatis alioqui retinentissima,regiones eius & compita quauis hora & tempestate peragranti, vnus modò Sacerdos amictu viliore tectus,aut solitarius, aut certè vnius pueri vmbra, fumosa face; ac tintinabulo neutiquam comitatior, aliquot iam sæculis,pro illustri pompa fuerit ac triumpho. Hanc sui officij, hanc Numinis obliuionem,an neglectum ita diuturnum, supinum, ac fœdum in Viennensium animis hæsisse, ipsorumque mentes in eo sic occaluisse,vti vix eius esset vllus in amplissima ciuitate sensus;id adeò indignũ tali vrbe ac indigenis visum est nostro Concionatori, vt apud vniuersos ciues,in æde primaria, super cõcionem, hanc Christi Domini acerbam iniuriam & contumeliam quereretur vehementissimè. Cui quidem infamiæ luculentiùs audientium oculis & animis ingerendæ, atque ab illius sensu & verecundia exeitandis mentibus ad tantam ignominiam veterũ Christianorum imitatione detergendam, Friderici, eius nominis tertij, Imperatoris, ducentesimo ab hinc anno, Christianum, maximéque religiosum facinus ex historiæ monumentis petitum reuocauit in auditorum memoriam,vehementerque ad illud idem instaurandum excitauit. Eucharisticam pompam non satis idoneo apparatu Viennæ inferri ægrorum in ædes aduerterat Princeps religiosissimus, qua Pastorum populique indiligentia, vti ne deinceps Numinis Maiestas grauiùs minueretur,& religionis in plebe sensim fieret perniciosa decessio, formulam apparatus & ritus descripsit,

sit, quem pium iustumque censeret obseruari, in Diuino Ferculo ad ægrotos inferendo, attributis nimirũ de suo in pompæ illius sumtum perpetuis vectigalibus. Nominatim verò caubat vti ad rei tam augustæ celebritatem pius audiretur cantus; crebrum funale, ac Ecclesiastici moris adhiberentur vexilla; assectantis autẽ populi agmen, & elegãtẽ sacræ vestis ornatum, haud dubium quin &, eodẽ pietatis studio, huic quoque rei destinarit. Ad hęc antiquæ religionis instauranda, & ampliùs exaggeranda decora, cùm Sacerdos noster concionẽ suam impensiùs hortaretur; Christus, cuius tùm maximè diuinus honos, cum pari ciuium vtilitate agebatur, dicentis verba in audientium animos vi tanta intulit, vt mox vniuersa ciuitas veteris illius ritus atque pompæ restituendæ incredibili studio exardesceret. Ab hoc concepto pietatis ardore, derepentè itum est tota ciuitate in pecuniæ, sericæ vestis, cæterorumque donariorum copiosissimam collationem, qua paucis diebus magnificentissimus apparatus circumuehendo Eucharistico Ferculo instructus Viennam lætitia & admiratione compleret. Inusitatũ prorsus fuisse hunc in Viennensium pectoribus religionis motum, documento fuit non magnitudo tantùm, & copia munerum dubio procul mirabilis: sed ipsum quoque genus eorum singulare, atque nouum: vt quidquid auri argentique exquisiti esset in mulierum mundo, in crepundiis infantium, in curiosorum hominum vasariis, & antiquitatis nummariæ scriniis abstrusum, id plerique prolatum adornando huic sacro agmini

agmini dedicarent. Mirum porro quantis lætitiis tota Vienna primis diebus redintegrati eius sancti moris inceſſerit, qua religionis acceſſione profecerit, cùm ſummæ dignitatis prodire cœpit Chriſti in Sacramento, ſub vmbellæ operto regificè inuehentis, ſacer chorus, aſſectatorum ſexcentenis capitibus, accenſo funali, & multa oris ad eximiam venerationem compoſitione conſpicuis. Archiepiſcopus autem Strigonienſis, idemque E. R. Cardinalis, & de Auſtria nobilitate principes quique, cum captata omni eius rei occaſione, in hoc, Chriſtum honorificè deducentium, agmen ſe religioſos comites adiungebant, tum verò ingens pietatis ſenſus in plebeiorũ exoriebatur animis, & eidem comes verecundia, ſi ſe in Chriſtiani hominis officio à Cleri Nobilitatisve proceribus ſuperari æquaríve paterentur. In ipſa quoque Lutheranorũ, marmorea tametſi, pectora cõmunis ille ciuium omnium motus peruadebat, vt non affici animis non poſſent, cùm in eos incurreret diuini ferculi auguſtum ſpectaculum, cui Catholicorum parem venerationem, vt ne denégarent in publico, ſua conſcientia vel inuitos adigeret. Campano ex ære grandioris modi cymbalum, in eadem S. Stephani æde principe, comparatum eſt, conciendo, ad frequentandam pompam, Viennenſi populo, cuius æris noto ex cantu, tota ciuitate conſtet, proditurum pòſt paullò Chriſti ſacra vehentium agmen, ad ciuium aliquem ægrotantem; quo dato ſigno, derepentè prouolant, omnibus vrbis regionibus, incenſo ardore, & numeroſis ca-

teruis Viennenſes, mox in ordinatam coituri aciẽ, quæ Cælitum beatos exhilaret globos, Tartari diras legiones mœrore compleat. Ne tamen, deferueſcente olim Viennenſium ardore, tempus aliquando aboleret, quod præclarè inſtitutum, magnis in dies incremẽtis Diuinorum venerationem cultumque amplificabat magnopere; opportuno conſilio eſt prouiſum, vti ne procuratio Euchariſticæ Tranſuectionis in incertum toti populo permitteretur, ſed cederet in delectorum hominum tutelam, quos iuſtæ leges ſuo munere ſanctiùs adſtringerent: quæ vna ratio animaduertebatur, ſacri moris in perpetuum propagandi. Viennenſis ergo Antiſtes Sodalitatem inſtituit honeſtorũ ciuium, Euchariſtię præcipuum cultum ex indictis legibus ſanctè profitentium, quibus adminiſtrantibus, & agmen de ſuo corpore, cæteraque ciuitate cogentibus, Euchariſtica pompa, quàm magnificentiſſimè ac religioſiſſimè poſſet, deinceps procuraretur. His primordiis feliciſſimè cœpta res, in primore vrbis templo; pari quoque religionis æſtu, non modò in reliquas Viennenſium ſacras ædes peruaſit, ſed extra pomœria longè lateque tota Auſtria, & finitimis prouinciis, incenſo noſtra æmulantium ſtudio, diſſeminata eſt. Atque hæc fuit inſtituti, ſanè quàm laudabilis, ſub ipſum eius exordium tam longè latéque fuſa propagatio, quam ex inuſitato populorum ſtudio futuram diuturniſſimam, adeóque perpetuam, fas ſit interpretari. Per idem ferè tempus Beati Calliſti, Martyris ac Pontificis, corpus magna ex parte ab Hæreticorum

tum contumeliis vindicatum est, atque Lincij, in sacra Imperatoria cella, honorificentissimè collocatum. Eas Beati reliquias Imperatrix, heroina religiosissima, in sacello Crumlouiensis arcis, marmoreo tumulo conditas cùm obseruasset, verebatur ne Roseenses Reguli, Hæretici eius arcis domini, violassent, sicuti sacellum exaugurauerant: quamobrem apud Cæsarem Matthiam, coniugem suum egit, vti Crumlouio Lincium transuehendas iuberet. Sacerdotem igitur nostrum, concionatorem suum, eò destinat Cæsar, qui, omnibus antè sollerter exploratis, sacra ossa Lincium aduehat, si quidem constet ex integritate marmoris, loculorum, & ossium, eis Hæreticos abstinuisse manus impias, quod & constitit, inuiolato planè comperto marmore, ac iis multò magis, quæ illo conderentur. Hæc porrò Beati Martyris sacra pignora cùm noster iam inuecturus in aulam Cæsaream esset, multa cum fide ac religione procedit obuiam Imperatrix, sanctéque venerans, Cæsari coniugi, grauiter ex podagra laboranti, propitium aduenire Christi militem precatur. Inde ad eumdem Cęsarem properat, nunciatura tam optati hospitis felicem aduentum, à quo prospera omnia & poscere, & sperare quoque iubet ægrum Imperatorem, neque frustra: vbi enim Sancto Calliſto votum piè nuncuparat, mox artuum dolor omnis discussus est, vt postridie, cùm in ornatiorẽ capsam Lipsana inderẽtur, ipse venerabundus, ac valens adesset. Multam porro auctoritatem, venerationemque ipsi Martyri, & Cæsari fiduciam rogandi con-

ciliarat repentina Sacerdotis noſtri ſanatio ex grauiore febre, qua vrgente, mittenti Cæſari ad reliquias aduehendas, valetudinem fuiſſet excuſaturus, niſi ſacræ illius ſarcinæ proxima vectura certiorem ei ſpem faceret ſanitatis; quam ſanitatem ipſi ex ſepulcro ſua oſſa promenti munificus Martyr, etiam ante vectionis officium, liberaliter repræſentauit. Inter cætera verò aulicæ procurationis compendia non vulgaria, illud eiuſdem Sacerdotis vnum fuit, vt ipſius opera Hæretici vnus ac ſeptuaginta in Catholicæ Eccleſiæ diſciplinam, fidemque couceſſerint, quorum de manipulo fuit, qui, celebrium aliquot concionum illuſtri auctoramento, ſe ſuaque Predicantium Decuriæ iam addixerat. Turcico mancipio, alioquin rudi, duram ſeruitutem inter Hæreticos annis decem iam ſeruienti, Diuina bonitas luminis tantum infudit, vt planè diſpiceret, quid Catholica ſententia ab Lutherano dogmate diſtaret; quare neque frequẽti fuſtuario, nec aliis vexationibus ſæuis diuturniſque, ab hero vmquam adduci potuit, vti ab Lutherano Prædicante Baptiſmum ſuſciperet, etiam moribundus, cùm aſſeueraret, malle ſe Turcam, quàm Hæreticum interire. Cuius fortitudinis id à Deo præmium tulit, vt conualeſceret, ac deinde optimæ Imperatrici dono daretur, cuius beneficẽtia eſt aſſecutus, vt mox allegeretur in Chriſtianos & Catholicos, & Chriſtiana libertate frueretur.

Suadorffium in oppidum, Templariorum olim tota ea regione arcem, quarto ab Vienna lapide. venerunt duo de noſtris accerſitu eius arcis præfecti,

fecti, quem Episcopus Passauiensis, Leopoldus Austriacus, ei oppido Catholicæ Religionis strenuum assertorem præposuit. Eodem verò tempore cum nostros aduocauit, tum suæ ditionis populo edixit, vti ad Sacramẽta ritu Catholico frequẽtanda conueniret; cuius edicti cum habita non esset ea ratio, quam oporteret, grauius mox interdictum prodiit, & reuerentiam rerum sacrarum abtrecentis, eoque amplius indigenarum expressit, quos nostri piaculo Confessionis eluerunt, ibidemque plus ducentenos diuellerunt ab Hæreticorum corpore. Aliquanto plus negotij fuit in debellandis Calixtinis, eiusdem tractus oppidanis, maximè vbi ventum erat, ad Diuini sanguinis in Eucharistia vsum laicis extorquendum, quo se per summam iniuriam & nefas prohiberi querebantur, cum nihilo essent minùs Christiani, quam ipsi Sacerdotes; impenseque flagitabant, si quidem essent penitùs ipso Christi calice abstinendi, vti suo saltem ex poculo Sacerdos pro ara profanum vinum eis propinaret; vel si neque hoc esset licitum, argenteo certè ex scypho singulorum ora prolueret. Sed vt, ne quod erroris vestigium, specie cuiusquam boni, resideret in populo, semel accepti moris tenaciſſimo, postulatorum spem omnẽ in posterum eis præscindendam nostri Patres censuerunt. Quibus autem nonnulla vis est allata, vt in Christi ouile compellerentur, offusa deinde cælitus copiosa luce, ij nouæ conditionis rationem adamarunt adeò, vt pœniteret, cur non multò antè ad officium fuissent adacti.

GRÆCIENSE COLLEGIVM.

ABDITIORIS seceſſus ſalubrem quietem ſibi apud nos delegerunt diuinis cum otio meditandis homines triginta, cuius exercitationis in partem venit ipſe Principis Cancellarius, atque Religioſarum familiarum aliquot viri. Pertinaciam erroris ſine ratione tuendi, ac errores denique ipſos, bene multi paſſi ſunt ex animo ſibi funditus euelli, quibus euulſis, eum ſenſum de re Catholica & Catholicis hominibus, deque Societate noſtra, experti ſunt, quem ipſi vetera ſua indicia nouis conferentes, demirarentur. Ex eo grege Baro vnus, tota Stiria illuſtriſſimus, quadriennium ſolidum aduersùs veritatem obſtinatiſſimè luctatus, magno cum voluptatis ſenſu ſolitus eſt commemorare, ita ſe intimo animo erga Societatem affici, vt eius cauſa ſanguinem vitamque ſumma ſit alacritate profuſurus, quam paullò antè cupiuerit non exſulare modò vniuerſis tertis, ſed acerbo exſtinctam leti genere. Huius verò ardentiſſima ſunt & aſſiduiſſima ſtudia in familiæ numeroſo non tantum cœtu, ſed ſtirpis ac cognationis etiam vniuerſæ ingentibus cohortibus, ad Eccleſiam adiungendis. Princeps femina in Stirienſi tractu, Hæretici dogmatis conſultiſſima, eique haud paullò minùs addicta, vt ſuæ ſectæ Papiſſam, principatus quodam titulo, plerique omnes vocitarent: vbi Catholici moris ſaniora inſtituta eam ſuis momentis æſtimare noſtri accuratè docuerãt,

abdicata

abdicata confestim vana magisterij prærogatiua, inter Christi discipulas animi demissionẽ professa est. Quædam de triuio mulier adeò combiberat insanam persuasionem salutis sibi certò asserendæ, ex specioso vnius dumtaxat Fidei Christianæ obtentu, vt cuiuscumque probæ actionis simulacrum ab se procul amoliretur, ne qua rectè factorum labe tam potentis pollentisque Fidei vim enernare videretur. Quoniam tamen, omnium virtutum ab se exigendis exterminandisque actionibus, neque vel Fidei suæ dignitatem prædicare, vel salutis certam fiduciam statuere se cumulatè satis arbitrabatur, dignum præterea Hæretico pectore facinus adiiciebat, vt nullo in flagitij genere non studiosè diuque volutaretur, quò augustiorem sui dogmatis speciem in animo suo designaret, acrioremque illius viuidæ Fidei sensum intimis præcordiis impressum defigeret. Impurissimum tamen hoc contaminatissimæ vitæ prodigium Deus optimus ab se non ita est aspernatus, vt non tandem benignissimè ad se inuitaret, immissaque ipsi teterrimæ vitæ pœnitudine, per nostrum Sacerdotem ex hæresis scelerumque sentina non educeret. Virgo ab ipsis cunis ad multam senectam, cum hęresim, tum eius tuendæ summam obstinationem protulerat, cui nulla vnquam nobilium de sua stirpe virorum gratia, nullius mortalis auctoritas persuaserat, vti salubres de Fide sermones vel ad aurem admitteret. Sed missa de cælo potentior machina mulieris peruicaciam fregit: cui grauiore morbo diu tentatæ, cùm accessisset vberior è

naso sanguinis profluentia, quæ paucis diebus ex summa debilitate certam perniciem induceret, in vltima delapsæ demum à propinquis persuasum est, vt data fide exuendæ hæresis, votum Magnæ Matri nuncuparet; quo nuncupato mox suppressum est narium profluuium, neque multò post reliqua sanatio subsecuta, quæ viam fecit Catholicæ fidei ad animum admittendæ. Summa capitum fuit centenûm octonûm, quæ ab hæresi desciuerunt, quem in numerum veniunt oppidani Hurekienses plerique, Hæreticorum Stirienſium nuper contumaciſſimi, quos, Principis edicto adiuti nostri, ad Catholicos pertraxerunt. Ex selecta frequentissimorum discipulorum iuuentute, quam multa celebriorem facit nobilitas, Religiosi Instituti curriculum ingressi sunt plures triginta, quorum senideni ad nos deuerterunt. Sanctissimo exitu religiosissimam vitam terminauit Baro annorum quatuordecim, gymnasij nostri alumnus, cuius ab ipsis iucunabulis præclara fuit innocentia, & singulare omnium virtutum, ac Castitatis maximè studium. Ei ab prima pueritia sollemne semper erat, non feminarum omnium modò, ac matris quoque ipsius vel leuissimum commercium, sed puellorum quoque ætate supparium studiosiùs declinare; ac ideò quinquennis adhuc cum esset, matris iussu acceptum in societatem lecti annis æqualem sic auersatus sit, vt integro ei concesso toro, seminudus ipse subter lecticam curbaret. Quo in facinore deprehensus, & increpitus à matre, lectulo quidem posteà non abstinuit,

sed

sed eo tamen, suffixis aciculis, aut substratis calculis, & tabulis duriter asperato, deinceps vsus. Hic pudoris amor sic in eo cũ annis adoleuit, vt quinquẽni paullò grãdior, sæpenumerò sit auditus asseuerare, ferrũ se cuiuscumque manus aduerso pectore excepturum potiùs, quàm admissurum vllo pacto, quod vel vmbram præferret animi in Castimoniæ studio minùs accurati. Virginum gloriosas in cælo palmas, Doctorumque ac Martyrum celebres laureas, sic erat animo & cupiditate complexus, vt earum ingenti flagraret ardore, seque ad eas suis laboribus promerendas strenuè compararet. Hoc igitur Diuini amoris æstu succensus lectissimi pueri animus, cum in singula momenta seipso sanctior euaderet, eam dignationem merito suo nactus est, vti iucundissimam cellulam sibi Deus in eo legeret, in qua libentissimè assiduéque diuersaretur. Inde puero diuina meditanti, vel participanti cælestis mensæ conuiuia, tanta se infundebat diuinæ suauitatis copia, vt iucundissimo eius sensu primùm totus diffluueret in lacrymas, ac vehementiùs deinde intendente se voluptatis æstu, impares tam incitato deliciarum torrenti hauriendo, vires corporis, eum, diuino amore colliquescentem, penitùs deficerent. Frequens eius animum subibat, & cum stupore quodam admiratio, cur existerent inter mortales, qui, languidarum pecudum instar, toti effunderentur in eas oblectationes, quæ hauriuntur sensibus: vix autem millesimus quisque hominum adspiraret ad purissimas mentis delicias, ex æternarum rerum

tractatione perfruendas : quæ humani moris ac ingenij propriæ ac condignæ sint; quarũque Deus cupientibus liberalissimè, ac vltro etiam sufficiat vbertatem. Hunc ei sensum, & diuinarum rerum tantam prudentiam in ea ætatula conciliauerat earumdem multa experientia, vt consultissimi more magistri de iis loqueretur & sentiret, iis vitæ annis, quibus reliqui puerorum vix prima pietatis elementa condiscere instituunt. Nimirum, qui ab infantia eum sibi secreuerat de multis vnũ Deus, nactus in eo cælesti disciplinæ planè congruentem indolem, eo genere institutionis magister optimus excoluit, quæ paucis annis puerilem eum candorem ad omnis virtutis sublime fastigium eueheret; vnde mox, vt, legitimè iam emeritis Christianæ militiæ stipendiis, ad cælestes perpetuosque triumphos in cælum euocaret. Leobij, octo milliaribus ab Græcio, Domus Probationis primordia instituimus, felicibus auspiciis, ac liberalitate in primis Ferdinandi Archiducis Austrij, & Atmotensis Coenobiarchæ; quorum ille suam ipsam Basilicam nostrorum domicilio, hic propinquam ei sacram ædem Sociorum obeundis muneribus attribuit, corollariumque munificentiæ adiecit dena Florenorum millia, vt hoc cumulo vetera sua in nos beneficia exaggeraret. Ei summæ terna Florenorum millia sunt adiecta beneficio Baltasaris Scrottenbachij, inter Ferdinandi familiares rei Aulicæ Præfecti; neque defuerunt, qui exemplo istorum nouæ domui, ædique instruendæ, argentea, & aurea vasa conferrent.

ALSO-

ALSOLINDVÆ Sacerdotibus noſtris duobus plus eſt negotij, quàm longè plures valeant exhaurire, quòd in eo non ſolùm oppido, ſed in eius ditionis,& finitimarum Satrapiarum circumiectis pagis, Curionum munera omnia in noſtros redeant, Catholicorum Sacerdotum penuria; vt facile ſit æſtimare,in frequentiſſimo populo,quàm non tranſigant dies vllos ab opera vacuos. Leuamentum verò laboris eſt non mediocre, quòd in dies conſtat, & bene amplum illius pretium, Catholicis ſinceram fidei ac morum diſciplinam ſtudioſe adſciſcentibus, vnde nuper non parum deſciuerant, diuturniore cum Hæreticis commercio. Ex quo autem animi magna ſimplicitate populus, falſitatem Lutherani dogmatis edoctus, ſeriò animum adiecit ad frequentem Sacramentorũ vſum, & Catholicos ritus amplectendos, ſui candoris,& integritatis luculentum à Deo præmium ferre cœpit,vt,ſollennibus Eccleſiæ vſurpandis ritibus, omnium ferè noxiarum rerum vim ab ſe procul amoliatur. Quod genus ſunt frequentiſſimè, diræ Cacodæmonum inſectationes, per oblata horrendi aſpectus ſimulacra, & monſtra, reuocandis à recta fide idiotis hominibus, aut ad ſalutis deſperationem inducendis. Cuiuſmodi omnia pericula, vt etiam proteruos incubones, vel aqua luſtrica, vel cereo agno, ſincera cum fide adhibendis, plerique feliciter depulerunt: & quidem Lutheranis ſæpenumerò conſciis, atque ad idem ſalutaris auxilij genus ſibi poſtulandum non rarò ad nos adeuntibus, ſimulque in ſuos Miniſtellos palam, & aſperè

aſperè ſtomachãtibus, à quibus præſidiorum eiuſmodi nihil vnquam aduerſis caſibus exprimi, aut exſpectari poſſit.

VNGARICÆ Miſſiones quaternæ magno ſtudio, parique fructu procuratæ ſunt. Hõmonæ, Makouicæ, Vngarini, & apud Strigonienſem Cardinalem, quarum Hommonenſis beneficentia ſingulari, ac pietate oppidi eius Dynaſtæ, propediem in Societatis Collegium tranſitura eſt, deſignatis ab optimo Comite, quæ ſunt in eiuſmodi familiam neceſſaria, vt vna modò Præſidum noſtrorum auctoritas præſentiaque exſpectetur. Magnitudo meſſis operas plerumque ab ineundo ſuorum manipulorum numero auocauit, ei cogendæ quàm recenſendæ in multa eius frequentia intentiores. Certis tamen locis, vbi venit in mentem quotidiani lucri rationes nonnullas conficere, in codicem relata ſunt trecenta quadraginta & ſex capita, quæ noſtri Sacerdotes bene pauci vel hæreſeon, vel Ruteni ſchiſmatis ſeruilibus nexibus explicauerant. Et pretium quidem operę fuete non vulgare Predicans vnus, vnusque Rutenæ ſeceſſionis Epiſcopus, quos in ſacram Romani Euangelij naſſam feliciter induximus, altero item Prædicante tantum non in eamdem ingreſſo, ac proximi quidem introitus voluntatem præferente. Creberrimæ nobis, & peracres obtigerunt cum noui Euangelij buccinatoribus congreſſiones, quibus confutandis, vt illis ipſis pudorem ſæpe ac mœrorem incuſſimus, ita eorum ſectatoribus fidei ſuę ac magiſtrorum verecundiam, eorumdemque non

leue

leue odium, in frequenti nobilitatis corona conflauimus. Vnius certè Prędicantis ex ore, vbi compositiore verborum circuitu multa prolocutus, nihil planè dixisset, confessionem eam expressimus; vt non pigeret asserere, se falsa pro concione nonnumquam docere, adeoque ipsa Biblia, quibus vteretur, falsitatem multam continere. Templa sex, quæ maiore vi grassantes Hæretici Catholicis extorserant, nos iure posteà vindicantes, iis licèt inuitis redhibentibus, demum recepimus, & in eis sacra instaurauimus. In illius agri perampla vastitate pauciores nostri versantur Sacerdotes, quã vt idoneæ culturæ satis esse possint, nisi Deus, cuius agitur causa, extraordinariis virium supplementis suos agricolas corroboraret. Omnes Curionum vices plerisque locis nostri solent explere, quòd fermè absunt earum legitimi curatores; atque vt inertes ab otio eis esse non liceat, certa regione duobus Sacerdotibus sua diœcesis in sex ac triginta vel oppida, vel castella, vel pagos, laxioribus terminis est definita. Rutenæ dissensionis labes Hõmonensem ditionem olim longè latéque peruaserat, cui abolendæ Comes Hommonensis Rutenum Episcopum Catholici dogmatis ex Polonia euocatum adhibuit, cuius industria, pióque studio, abalienatus errore populus à Christi Vicario, in eius iurisdictionem facilè concessit.

QVINQVE CLESIAS vrbem proximis annalibus memorauimus, binorumque Sociorum ad eam Turcarum vocatu appulsũ. Ea vrbs *Peuce* olim à Peucinis Sarmatiæ populis eius conditoribus dicta,

cta nũc vulgò *Petſzium*, & Quinqueccleſiæ appellatur; vna nuper, ſtante Vngarico imperio, ex clariſſimis Regiis, & muro cinctis vrbibus, aulica dignitate ac celebritate memorabilis. Paullo quidem ſuprà quàm Drauus, Vngaricorum fluuiorum rapidiſſimus, in Danubium amnem ſe inuehit, ad vitiferi montis latus, molliter decliui ſitu, poſita, ſubiectorum camporũ amœniore aſpectu hilaratur, ſolo ad omnem frugum copiam, varietatem, ad pecoris & piſcis vbertatem cum primis illuſtri, vt indigenis valdè frequens, ita perquàm celebris aduenarum commeatu. Quinquageſimo ab hinc anno oppreſſa iugo Turcicæ tyrannidis ſacrorum, litterarumque amiſit duo præcellentiſſima lumina, quibus inter Vngaricas vrbes illuſtriſſimas vna maximè florebat, ſuo quondam inclyta Epiſcopo, & gymnaſiorum nobilitate ac numero clariſſima; in quibus ſelectiſſimę iuuẽtutis capitum terna quàternaque millia interdum recẽſuit; & de quibus expediti adoleſcentes trecenti, Scholæ magiſtro duce, cum Ludouico Vngarorũ Rege ſtrage Mochacenſi, ab Solimanno Turcarum Principe Vngaris illata, fortiter pro Fide ac patria depugnantes occiderunt. Exinde Mahometani munitiſſimæ copioſiſſimæque vrbis multa opportunitate allecti, frequentes in eam, cum Sacrorum ſuorum inſtrumentis, ac poparum ingentibus familiis, commigrarunt, quam, perpetuandis Alcorani ritibus, vaſtis Moſquæarum molibus ita frequentarunt, vt vix vllis ſeu compitis, ſeu foris, ac vicis, vacui quidpiam fuerit, vbi non exſecrabiles

biles illæ aræ impietatis immani fastigio assurrexerint. Quinqueccleſias porro vrbem, accersitu Turcarum, vt noſtri Sacerdotes duo adierint anno ſæculi huius duodecimo exeunte, ſcripſimus quidem ſtrictim annalibus proximis, ſicut allatum erat, ſed nacti hoc anno ampliorem eius profectionis commẽtarium, eiuſdem narrationem vberiorem, & ſequentis biennij res geſtas in hunc annum illigabimus. Apud Dynaſtam Bamffium de noſtris duo Sacerdotes Alſolinduæ, Vngarico in oppido, fructuoſiſſimè verſabantur, quot etiamnum verſantur, vt ſuprà oſtendimus; quorum pia, fidelique opera, ac plebis ingenua ſimplicitate delectatus Deus, omnibus morbis factitatam ab eis Patribus, per vſum aquæ luſtralis, cereiqne agni medicinam, ita ratam habuit, vt ea curatio infinitis propemodum ægris attulerit ſanitatem. Harum curationum multitudo, & ſanationis felicitas, cum admirabilitatem maximam habere cœpiſſet in vulgus, & fructum admiratione lætiorem oſtenderet, ingentibus præconiis, ea omni regione, tum medici tum medicamenta celebrabantur, vt eius rei nuncios ad Turcas præſidiarios, Caniſiam vſque, fama perferret. Caniſia, militaris eſt munitio, in Croatię Vngariæque confinio, Turcica vi duodecimo ferè ab anno Chriſtianis extorta; qua ex arce Alſolinduam tributorum cogendorum gratia, cùm ad Dynaſtam Bamffium, noſtrorum hoſpitem, Turcæ frequentes ventitarent, quę Caniſiæ audierant de noſtris, ea præſentes diligentiùs percontabantur; neque ab certis auctoribus

bus

bus accipiebant modò, sed suis ipsi oculis aspectabant, crebra eius generis miracula, quorum magnitudine ac crebritate vti attoniti stupebant, ita eorum apud suos periculum fieri cupiebant maximopere. Canisienses igitur Turcæ nonnulli posteà quàm, non alienis dmutaxat, sed suis etiam nunciantibus, qui ab se comperta, & oculis designata narrarent, de incredibili agnorum & aquæ facultate accepissent, Alsolinduam ad nostros aduolant, eiusmodi amuletorum aduersùs noxia quæque copiam aliquam sibi fieri cupidiùs efflagitant, nullum non supplicandi genus interponunt, vt à nostris earum rerum tantillum exprimant; atque vbi tandem impetrarant, suorumque ægris corporibus admouerant, mira illico vis rerum sacrarum etiam in Mahometanæ impietatis hominibus eluceſcebat, impertienda ipsis subita sanitate. Tantum porro aberat, vt, quod Lutheranus fortè non nemo faceret, expertam suo commodo sacri agni & aquæ mirabilem efficacitatem maligno silentio supprimerent, vt etiam vbique & apud suos, & apud Christianos prædicarent studiosissimè, ac inusitatis eueherent laudibus. Atque vti ne qua in parte officio defuisse viderentur, eximia grati animi significatione, cum muneribus, acceptam graviam repensuri, ad nostros Canisia redeunt, neque vllam sibi partem quietis indulgent, dum perdifficili aditu eò euaderent, vbi tum nostri versarentur, quos non semel sibi conueniendos putarunt, vt idoneis gratiis agendis, & offerendis donis haud vulgaribus, aliquid ampliùs impetrarent. Eninuerò ab

rò ab perſpecta cæleſtium remediorum ſumma vi, facilè in eam ſpem venerant, vt, ignoris in vulgus, eorum Patrum potentiſſimis medicamentis nullum non, etiam inſanabilis, morbi genus vinceretur; quamobrem aut illorum manu, aut nullius mortalium, Tribunum illum militarem, de quo ſuperiore anno ſcripſimus, deſperatæ valetudinis ægrum, denique perſanatum iri. Patrum igitur in ſuos fines euocandorum cauſa honorificam legationem Turcicus Magiſtratus Alſolinduã deſtinat, luculentiſſimoque diplomate, principum Turcici nominis virorum chirographis, anuliſque conſignato, noſtrorum ſaluti & honori cauet ampliſſimè, quorum impetrata tandem à Præſidibus profectione, & ſuperatis, quas Ariani graues interiecerant, difficultatibus, exeunte Septembri antecedentis anni Sacerdotes noſtri duo iter Caniſiã versùs ingreſſi ſunt. Quarto ab Caniſia milliari, Patribus venientibus, honoris gratia, procedunt obuiam Mahometani equitatus bene multæ turmæ, atque magnificæ, quæ medios aſſumtos eos honorificè in primis, ac beneuolè in Caniſienſem munitionem deducerent, quibus introgreſſis cæteræ cohortes eam beneuolentiam venerationemque detulerunt, qua nulla maior inter Chriſtianos potuit cogitari. Ibi confeſtim Mahometani ritus matrona oblata eſt, quæ flebiliter cum Patribus quereretur, numeroſam prolem in cunis ſibi adhuc ereptam, & eam, quæ infans ſuperſtes eſſet, grauiter periclitari; cuius è cerui cibus ſacram ceræ plagulam cum noſtri alligaſſent, inſe-

quenti tota nocte infestissimæ laruæ vehementer connisæ sunt, vt sacrum amuletum puero auellerent, sed inani conatu; quo ex tempore earum vis penitus discussa cùm esset, infanti deinceps semper fuit optimè; quo genere item remedij aliis sanitas est reddita, & nostris tanto illustrior quæsita auctoritas. Canisia iter deinde Szigethum, aliam in arcem, Patres iter intenderunt, quò nominatim arcessebantur, ad Tribuni militum, quem diximus, curationem; qua in via prætergressis eis Baboczam castellum, subsecutus est cum amplo comitatu eius Castelli Præfectus Turca, Canisiensibusque præsidiariis sua in statiua retrogredi iussis, honorificè de nostris præfatus, eorum incolumitatem dignationemque curæ sibi deinceps futuram prolixè recepit; quibus Baboczam reductis, eius ægroto filio sacra imponenda cera repentè salus est allata. Szigethum inde ventum est, in arcem munitissimam, qua potiti sunt Turcæ ante annum quinquagesimum, cùm immanem stragem Vngarorum eddissent; qua in munitione, clarus militari gloria, Tribunus ille Mahometanus pridem à Cacodæmone vexabatur, quem populares medici anguem intestinis conceptum credidissent. Ei Cacodemoni, quòd vnus Patrum erat comminatus, vexatione deinceps abstinuit, donec Quinqueclesias est reditū, vbi nostri palam omnibus Catholicis, Mahometanis, Hæreticisque, in æde sacra, Exorcismos Energumeno adhibendos esse censuerunt, quorum diuina vi fractus Dæmon prima pænè congressione abactus est. Beneficij

neficij magnitudinem Mahometanus vti facilè animo perſpexit, ſic luculenta gratæ mentis ſignificatione, omnibus coram, in templo teſtatus eſt, cùm ex intimo ſenſu præteritæ calamitatis, præſentiſque boni, præ lacrymis, & ingentibus ſingultibus, inter agendas gratias eloqui non poſſet. Feliciſſimè cecidit, & in rem non Patrum magis, quàm Catholicę Eccleſiæ in tota Vngaria, vti tùm primùm aduentantibus noſtris ad Romanam Fidem reſtituendam, luculentiſſimo planè exemplo Romani ritus auctoritas integritaſque aſſereretur, & quidem in Hæreticorum, & Mahometanorum auribus, oculiſque. Nam ex quo Petſzium Turcicæ iuriſdictionis factum eſt, præter Alcoranicæ impietatis frequentes Moſquæas, Arianum quoque ſacrilegium, Lutheranum Bacchanal, Caluinianaque perfidia eò inſanas vexillationes ſuas immiſerunt, ſed omnium numeroſiſſimis ac potentiſſimis Arianis, non infirmis Lutheranis, quibus vtriſque ſuum dogma publicè differendo licet propagare, hac facultate prohibitis Caluinianis, tamquam Hæreticorum omnium, Mahometano etiam arbitrio, peſſimis, & formidoloſiſſimis. Atque vt Catholicorum Petſzienſium, quaternos inter coniuratorum hoſtium infeſtos exercitus, luctuoſiſſima pridem cœperit eſſe calamitas; eò tamen luctuoſior eſt multò, quòd innumerabilium ferè membrorum ampliſſimum corpus non habet caput, cuius auſpiciis, ductuque, aut intra Eccleſiæ ſtatiua Chriſtianam diſciplinam, aut extra caſtra in acie aduersùs ingruentes hoſtes fidem ſar-

tam tectamque possit tueri. Quod enim sit instar prodigij, etiam post quinquagenariam Petszienſis Ecclesiæ captiuitatem, seu veriùs cladem, vel ciues, vel rusticani etiamnum censentur ampliùs centies milleni, qui se Catholicos profiteantur, quibus omnibus vnus modò superstes erat Sacerdos, cùm eò nostri venerunt: sed, quod miserationis lacrymas audientibus, multoque magis rem ipsam periclitantibus excutiat, Sacerdos tam omnis rei Christianæ ignarus, ac stupidus, vt Sacerdotis meram vmbram, laruamque iure censueris. Nam alter quidam vicino præsidens pago, sic languidè omnia Ecclesiastici ritus munera, tam parũ congruenter sacris decretis, obibat, vt ab Hæretico non procul abesse videretur. Quod enim reliquum erat vnum solatium Christi gregibus, omni cætero animorum pabulo calamitosè destitutis, vt certè Confessionis Sacramentum cum multa cura eis administraretur; non singulis seorsum ab ignauo Pastore adhibebatur, sed turmatim & promiscuè, ad ipsius genua prouolutis, nullius audita noxa, nullo cuiusquam fructu, maximo omnium damno, absolutionis formula in confertam cateruam pronunciabatur. Vtque nihil deesset ad afflictissimam gentem quouis genere infortunij obruẽdam, omnium flagitiorum fœda labe inquinatissimi, &, vt vno dicam verbo, scelere ipso sceleratiores, homines decem de plebe, quos incertum est, an inita cum Dæmone pactio, an dirum Numinis odium, an insita peccandi libido accenderat ad immanitatem teterrimi criminis, quo huius

huius innocentis populi salutem nefariè pessumdarent. Idiotæ omnes erant, eoque ad audendum proiectiores, nulla vel infimorum Ordinum vmbra etiam initiati, qui non Sacerdotum ac Curionum modò, sed Antistitum pænè munere defungerentur in hac gente vniuersa, cogendis cœtibus, concionibus habendis, administrandis Sacramentis omnibus, ipsoque adeò altaris simulando per summum nefas Sacrificio: quos quidem adumbratos ritus Sacrorum, vt rudi populo imponerent splendidiùs, eumque facinorosiùs dementarent, vel superstitionum inusitatis vmbris, vel veneficiorum prodigiis, quasi mysteriorum recondita varietate quadam distinguebant. Vitam eos multa impuritate inquinatissimam viuere populi magna pars nouerat, sed, quod religionis studium præferre videbantur, conducibilius sibi esse putabant minimè mali homines, vel his contaminatissimis Popis auctoribus, ac magistris, Sacrorum nonnullam sibi copiam fieri, quàm eis exauctoratis in perpetua rerum diuinarum orbitate ac solitudine cõsenescere. Atque vt plerumque est rude vulgus felicitatis in re familiari asserendæ cupidissimum, & ad subeundas in hoc genere fraudes perquàm opportunum, subditicius ille Sacrificulorum manipulus, ardens auaritia, & ambitione clari nominis adipiscendi æstuans, idoneam ingenio ac studio suo materiam in stolida gente nactus erat. Ex eorum nempe cuiuslibet adytis, velut ex Delij Apollinis cortina, prodibant de suo facto consulentium sortes, prosperorum euentorum nun-

ciæ, quas falsis persuasionibus infatuata plebs grandi pretio redimeret. Cuius autem infaustius fatum ex abditioribus oraculi responsis Vati obscurè indicatum fuerat, eius fati depellendi vna erat ratio, si forte infausta damnatus positam in Diuini manibus felicitatem licitaretur magna fortunarum suarum parte, atque in Stygia membrana Tartareis apud Orcum verbis ac symbolis consignatam acciperet. Vt non deessent aliæ multæ, fœdæque religionis labes, in eo populo, ex diuturna scilicet Mahometanorum tyrannide, ac proiecta Hæreticorum licentia: nostris tamen ea visa in primis detergenda, quam tanto cæteris pernicioſiorem, funesta simulatione pietatis, tetræ illæ Sacrilegorum fraudes incautis animis, ac rudibus inusserant. Ante omnia autem placuit tantæ in Christi cœtu ruinæ auctores appellare, ac eorum sensum periclitari de suo tam exsecrabili facinore: quorum altera pars admonitorum conspectum verita sustinere, cessit inde procul, sacrilegiisque operâ dare porro pergeret, nisi fraudem edocta plebs, eorum declinaret cõsortia, impiaque sacra. Parti alteri, quinque ij fuerunt, sanior insedit sententia, vt nostros sacrilegiorum dissuasores admitteret priuatim; publiceque, quod impiè admissum erat, exponentibus Patribus, vt tam pernicioſum aboleretur facinus, ipsi auctores mali apud totam concionem suum scelus exsecrati sint, postulataque delicti venia, se ab eiusmodi sacrilegiis longè abfuturos deinceps sanctè adiurarint. Hoc monstro satis feliciter confecto, ex Arianæ, Luthera-

theranæ, Caluinicæque peſtis colluuie triceps Hydra exſcindẽda relinquebatur noſtris Patribus, ſi Catholicæ plebi ab cæteris præſidiis deſtitutæ, vellent in poſterum integritatem Fidei puram tutamque præſtare; atque ſi per Turcicos Magiſtratus liceret, vt apud Petſzienſes ciues ſibi, ac venturis eò deinde Patribus ſedem conſtituerent. Lubentiſſimis autẽ Magiſtratibus Mahometanis degendi agendique cùm indigenis Chriſtianis aduenisque, facta eſt poteſtas; qua ſupra ſpem indulta, nihil procraſtinandum rati, quod reliquum eſſe poterat ab inſtituendis Catholicis otij, ad exagitandos Hæreticos traducebant. Arianiſmus toto illo tractu ſua ſponte nuper interibat, hominum damnatas eius ſtirpes propagantium penuria, cùm exſtitit neſcio quis ex Orco capularis ſenex, qui Arianæ procurationis aſſumtis Infulis, nemine refragante, permultis nouitatis ſtudio applaudentibus, tribunal, & tautumnon Regiam Ario iis finibus ſtatueret. Congruenter autem eius perniciabili inſtituto cùm res fluere in ſtolidiſſimo populo cœpiſſent, vt ſui dogmatis ſtudioſos propagatores poſteritati ſufficeret, arceſſitos nuper inde ab extremis Getis ſeu Tranſſiluanis quindenos adoleſcentes Arianos, ſua cuique regione in ampliſſimæ gentis finibus attributa, ad Arianiſmi emortuas radices ſuſcitandas, ac propaginibus diſſeminandas allegauit. Huius hominis conſuetudine amicitiaque nuper vſus alter Patrum, adeundum ſibi putauit, ac pro veteris amicitiæ iure fiduciaque familiariter libereque admonendum,

vti se patetur fœdam hæresim dedoceri; ac eò maximè, quòd effeto iam viribus corpore, orboque luminibus, haud procul abesset vltima vitæ clausula, quam inire iis implexum erroribus funestum ipsi planè futurum esset. Sed eius animi cæcitatem haud paullò tenebricosiorem, quàm corporis deprehendit, ac in errorum caligine tuenda pertinaciam incredibili cæcitate maiorem: cuius duritiæ non modica ratio peti ex eo videbatur, quòd abdicando Arianismo, de sublimi dignitatis ac gloriæ fastigio exturbari se putaret, qui ab adepta Antistitis Ariani prærogatiua, suis auspiciis quadragenûm millium capitum Ario conflatum gregem videret. Quem igitur nullis rationibus, nulla humanitate ab nefario consilio demoueri animaduertunt, aduersùs eum, ipsiusque coniuratas partes iusto pioque duello grassari quouis loco, ac tempore, decernunt, & quidem tantò liberiùs, atque alacriùs, quòd ab Caluinianis, & Lutheranis erat maior quies, quibus scilicet in Petszienſi ditione non licet sui ritus vsum, aut rituum curatores habere publicè, cum tamen Arianis, cæteriſque nominis Græci Hæreticis, eius rei faciant potestatem Turcæ. Nostrorum porro industriam alacritatemque acuebat non mediocriter Turcarũ in eos liberalis humanitas, quibus, in cætero quolibet, ac Fidei maximè negotio, non beneuolis tantùm, sed approbatoribus quoque vtebantur Patres: quin eosdem rei bene gerendæ adiutores experiri sæpe contigit, vbi disciplinæ Mahometanæ sua opera nihil repugnaret. Aggressis igitur

nostris

noſtris latiſſimè patente apud Quinquecclesienſes curandorum animorum prouinciam, & magnis quidem animis, ac contentione virium, quantam res exigebat, auidiſſimè omnis ipſorum labor à Catholicis exceptus eſt, vti quorum animus diuturniſſima eiuſmodi operarum ſiti æſtuaret, vt perbene multos dies incenſæ eorum cupiditati non poſſet fieri ſatis. Concionum certè ipſo etiam principio frequentia tanta fuit, eò confluentibus numeroſiſſimis non modò Catholicorum agminibus, ſed quorumlibet etiam ſectariorum cateruis, vt ex eo concurſu apud illum Arianum Antiſtitem, nuper ſuæ factionis auditoribus celebratiſſimum, deſertiſſima ſequeretur ſolitudo. Atque tametſi, vt eſt omnibus mortalibus nouarum rerum noſcendarum ingenita cupiditas, ille ardor noſtras conciones frequentandi plus quiddã ſtolidæ curioſitatis, quàm conſilij, ac vtilis ſtudij præferre potuit forſitan videri: conſtantia tamen audiendi, etiam poſt iterata Præſidum interdicta, facilè probauit, conſentientis cum recta ratione doctrinæ initio captos æquitate ſoliditateque, lubentes poſteà concionanti adhæſiſſe, ac audire perſeueraſſe. Cæcus ille Ariani dogmatis præco, deſtitutum quidem ſe, vel à ſui ritus auditoribus pænè omnibus, dolebat maximoperè; ſed eum longè peius habebat maioris cuiuſdam cladis formido, ne iidem qui ſuas conciones præ noſtris negligerent, ab Arianiſmo quoque deſciſcerent; quare de ſuis ſatellitibus ſubornat fidiſſimos quoſque, vt eis exploratoribus, noſtrarum concionum

argumentũ & tractationẽ omnẽ articulatim percipiat, illo maximè animo, vt ſi quid ſecus dictum eſſet, quàm ratio publicæ trãquillitatis, & Turcica ferat diſciplina, noſtros confeſtim perduellionis reos ad Mahometanũ deferret magiſtratũ. Illi verò ſtomachũ mouit acerbiſſimè peracris maximeque ardens noſtri Sacerdotis in horrẽdas & exſecrandas Arianorum, de Chriſto Domino ſententias, pro cõcione inuectio, inſectatióque, quòd eorũ cõcepta verba, impietatis immanitatiſque in Chriſtum Deum pleniſſima referebat, cum multa indignatione, ac eis acriter exagitandis indignationem ex ſumma rei atrocitate non mediocrem in audientium animis concitabat. Arianus Senatus, decrepiti Præſulis frequentibus querimoniis laceſſitus, fuſtuarij & aliquot Talerorum multa ſuis ſanxerat interdictum de Fidei capitibus cum quoquam noſtrorum conferendi; non tamen ab eis expreſſerat plagarum metu, quò minùs congrederentur nobiſcum, & excuſſo ab ſe Ario ad Catholicos tranſirent, vt erat cæteræ multitudinis Arianæ noſtrum ad Concionatorem concurſus mirabilis. Et certè illi vetulo, duodequinquageſimum annum ſuos Petſzienſes Arianos nihil ſapere docentí, cùm, luminibus orbo, audientium ſe ratio non conſtaret, die quodam renunciatum eſt, vicena quina dumtaxat capita ſibi verba publicè facienti adſtitiſſe; quam ſui, ac templi deſertionem & tulit ægerrimè, & ſuarum partium imminentem ruinam interpretatus, vniuerſo ad ſe aduocato Senatu, eius ordinis fidem auctoritatémque obteſta

obteſtatus, miſerè occumbenti Arianiſmo eos ſuppetias per ſanctiſſima quæque obſecrabat. Tam formidoloſum ſuis partibus præſenſque exitium vaticinante Antiſtite, diſceſſit omnis Senatus in eam ſententiam, vt ingentis fraudis in publicam rem haberetur reus, qui Ieſuitam verba facientem ad populum ex ea die audiret, cuiuſmodi noxam ea ſequeretur pœna, vt illius conſcius Ariano cœtu exterminaretur. Sæuitia & Epiſcopi, & Magiſtratuũ Arianorum in ſui corporis membra, ædem noſtram & conciones celebrantia, ingentis odij pridem in Patres cõcepti apertiſſimum argumentum fuit; cuius maleuolentiæ hoc erat acerbitas & impotentia maior, quòd diu iam collecto ad nocendum impetu, exeri tamen in noſtros non poterat, Turcici Magiſtratus tectos reuerentia. Clandeſtinis conſiliis Arianorum principes rationem ſæpe inierant, vt ab Mahometanis Præſidibus noſtrorum diſceſſus prece ac pretio exprimeretur; quæ ratio cùm certò proſpiceretur exitum non habitura, ex nota Mahometanorum procerum in Patres beneuolentia, & eorumdem in Catholicos ritus propenſiore ſtudio; interdum eò deliberationem conuerterat, maleuolentiæ diro veneno ſuffuſus, Antiſtes, & qui Arium cum eo colebant impenſiùs, vt de tollendis è medio Patribus funeſta conſilia caperent. Eius immanis decreti vis, vt ne in parricidarum ſanguinarias manus erumperet, occultis quidem rationibus Deus, vt ſolet, prohibuit; eadem tamen Turcicorum Magiſtratuum veneratio multum etiam ad impetum

tum reprimendum potuit; quibus scilicet egregiè in nostros animatis, non poterat non esse anceps & periculosus parricidij euentus, & in reos cædis atrox animaduersio. Enimuerò præter Bassam, qui Petszienſi regioni præerat cum imperio, & optimatum omniū, & iuri dicundo prefectorum, propensa in nos erant maximè studia; quorum studiorum vt se apertissimè prodebant illustres & quotidianæ significationes, ita nobis Arianorum diram conflabant inuidiam; sed aduersùs eosdem nos tuebantur, quorum odia in nos concitabant. Illa certè cogitatio Arianorū animos vrebat acerbiùs, cùm sacra sua, & vniuersus suæ factionis ritus, Mahometanorum iudiciis frigebat maximoperè; nostra verò omnis ratio eis supra modum probabatur. Vbi autem in contentionem rerum gestarum veniretur, Arianis, qui Christum in primis exhorrerent, nulla vis in Dæmones, & morbos ex Iesu implorato nomine suppetebat: Iesuitarum contrà numerosæ, ac prodigiis claræ commemorabantur sanationes, quarum conscij atque participes ipsi Mahometani citabãtur. Et reuerà ægrorũ longa series cẽsebatur, quibus, aqua, oleo, cera, Ecclesiæ ritu consecratis, aut idonea tantùm precatione adhibenda, nostri restituerant valetudinẽ: neque exiguus Energumenorum designabatur numerus, quos diuturna, sæuáque Cacodæmonis vexatione iidẽ Patres per Exorcismos vindicassent. Quarum rerum iucunda recordatione apud Turcas stabat egregiè nostrorum auctoritas & gratia, Hæreticorum contrà iacebat existimatio, quos nullius

nullius rei gestæ splendor aut dignitas in vulgus commendaret. Pugnare interdum pro Hæreticis, quasi pro sociis ac fœderatis, Dæmon videbatur, cum in eos sæuiret iracundiùs, quorum opera essent ad nos adducti Hæretici, eiusdem seruitute liberandi; vti reuerà, & atrociter sæuiit in Catholicam matronam, cùm eo animo Arianum adolescentem ad nos perduxisset, cuius dominatu exactus, mox insiluit in piam feminam, vt impetu eam opprimeret, nisi à nostro vetaretur. Societatem sibi cum Hæreticis intercedere, quòd Dæmon nullis non argumentis indicat, ac testimoniis probat, ægerrimè omnino illi ferunt, nec facilè hanc iniuriam concoquunt, id tamen ab eo probri frequentissimè illis in os ingeritur, cum dolore dissimulantibus; quibus etiam & illa contumelia cadit ab eodem acerbissima, quòd Exorcismorum vim stringentibus nostris in Hæreticos ab Dæmone infestos, is non patitur se de statione, tamquam de sui iuris fundo, demoueri, quamdiu ab hæresi non desciuerunt: qua eiurata, facilè abigatur. Catholicorum quidem animos ad omne genus pietatis egregiè comparauerat Patrum assidua, & strenua opera; Hæreticorum verò ferocitatem cum nostræ æquitas causæ, tum Patrum apud Mahometanos gratia, compresserat, vt si perseueraret, qui tum erat, rei Catholicæ status, res Petzienſium eo loco essent, vt eos suæ conditionis, nos operæ nostræ neutiquam pœniteret. Hanc felicitatem florentium rerum turbauit grauiter, ac tantum non euertit nostræ concio-

nis

nis argumentũ quoddam, ſua ſponte laudandum, & impugnandis huius ſæculi Hæreticis conſentaneum: ſed pro loci, temporis, ac perſonarum ratione nec vtile, nec neceſſarium apud Quinqueccleſienſes. Kalendarium vetus, repudiato Gregoriano, præfractè retinent Ariani, ac cætera fæx Hæreticorum, vt in hoc etiam capite diſſentiant à Romano Pontifice; cuius moris cùm incurriſſet mentio inter concionandum, noſter oſtendebat, quàm decentius æquiúſque fuerat, vti manipulus hominũ, tametſi ab Eccleſiæ decretis diſſidentium, in Kalendarij Catholici communionem veniret, cuius in rationem vniuerſus orbis Chriſtianus ſumma voluntate conſenſiſſet, ob eas vtilitates quæ inde proficiſcerẽtur. Cuius conſenſionis eos ſi pœniteret tantoperè, iniuria ipſos facturos, ſi non paterentur, Petſzientibus Catholicis eam eſſe libertatem Gregoriani Kalendarij nunc demum adſciſcendi, quam eis mater Eccleſia, & æquitas ipſa eſſe voluiſſet. Hanc cauſam pertractanti Concionatori, ſeu non venit in mentẽ negotium quoduis publicum priuatumque à Turcis adminiſtrari ex veteris Kalendarij ratione: ſeu id argumentum paullò vehementiùs agitauit, inſuperque Feſtum diem aliquem ex formula Gregoriana indixit Catholicis obſeruandum; ea certè concione non apud Hæreticos omnes tantùm, ſed apud Mahometanum quoque populum Magiſtratumque grauiter offendit; quam offenſionẽ vt impenſiùs accenderent, Ariani omnem lapidem mouerunt. Quòd ſublato Petſzij dumtaxat veteris Kalendarij vſu, &

forenſis

forensis & nundinaria omnis conuellebatur ratio, in Europæo Asiaticoque Mahometanorum imperio; vt iam nullus dierum consensus intercederet Petsziensibus Catholicis, non modò cum peregrinis in quouis alio foro, seu emporio rem gerentibus; sed ne cum ipsis quidem suis ciuibus, vetus Kalendariũ retinẽtibus. Ea Concionatoris denunciatio, non Hæreticis solis, Pontificij decreti aduersariis infestissimis, sed indigenis aduenisque mercatoribus, adeoque ipsis omnibus Turcis bilem acriter cõcitarat. Tametsi enim ad illum diem opinione integritatis, religionisque plurimum valueramus apud Mahometanos principes, populũque, aliæque causæ non leues interuenissent, cur nobis bene cuperent; tamen quòd arrepta ex hoc casu ansa, Vngaricæ nobilitatis nos esse satellites & emissarios Ariani iactabant, ad Turcicum imperium subornandis concitandisque ad rebellionem populis Petszium destinatos: quam calumniam mercatores inuidia commoti Kalendarij adiuuabant; facilè fiebat, vt Turcis veniremus in proditorum suspicionem, & eorum à nobis abalienarentur voluntates. Concitatis vehementiùs hac procella suspicionum animis, multorum ferebatur sententia, geminorum Sacerdotum supplicio conciliandas esse omnium popularium mẽtes, tranquillitatemque prouinciæ deinceps asserendã. Aestimanti rem ex gentis ingenio, & loci conditionibus, procliuius sit mẽte complecti, quàm mihi stylo exsequi, quantum moræ Christianis rebus, quantum molestiarum, ex ea diuini cultus mora nostris

noſtris Patribus pepererit huiuſmodi turbatio. Refrixiſſe magnopere Turcarum aduersùm nos ſtudia ob iniectam minùs opportunè Kalendarij mẽtionem, cum aliis argumentis, noſtri deprehenderunt, tum ex ſubtracta ſibi quotidianorum cibariorum annona, quam Patribus quotidie oſtiatim cogentibus ſtipem illi olim ſubminiſtrabant largiter, nunc pauci, & valdè modicam impertiunt. Impacta quoque nobis eſt alia non leuis calamitas, & alieno maximè tempore, cùm per eoſdem ferè dies Baſſa Petſzienſis iuriſdictionis, cuius in nos ſtudio res noſtra fouebatur egregiè, vita functus eſt, eiuſque loco ſuffectus is, qui & ingenio ſuo, & aduerſariorum occupatus calumniãtibus delationibus, nobis eſſet infeſtior. Apud hunc, expoſtulantibus maximè Arianis, cæteriſque Kalendarij nomine irritatis, cauſam dicere iuſſus eſt noſter Concionator, raptus in iudicium ab eiuſdem Baſſæ apparitore, omnium opinione ac ſentẽtiis priùs damnatus capitis, quàm Quæſitori ſiſteretur; Deo tamen inſitam hominis ſæuitiam demulcente, inflexit ſe Iudicis ſua ſponte animus in mitiorem ſententiam, &, pro cruce ac palo, exſilium Patri edixit. Pater condonatam ſibi ab eo vitam, agendis ſummiſſo animo gratiis, ingentis beneficij loco ſe habere oſtendit, ac modeſtè percontatus quàm ad diem, profectioni adornandæ, ſibi liceret, eius bona venia, in vrbe agere, hominis duritiem mitigauit adeò, vt ad ſuos conuerſus diceret; arbitrari ſe illum vetulum, cuius dubia ſibi probitas non eſſet, angi animo neceſſitate

ceſſitate ſui diſceſſus. Aderat tum in Baſſæ conſilio Gabriel Bethlhem, qui Tranſſiluaniæ Tetrarcham agit, vir à Catholico ritu nuper alienus; is nullius inuitatu, cauſæ tantùm æquitate ductus, Patrem damnatũ ſuo patrocinio ſtudiosè ſibi tegendum ſamſit, & quà rationibus, quà precibus Baſſam ab exſilij ſententia deduxit; cuius rogatu, adſtipulantibus quoque omnibus Catholicis, ſuaque capita, & liberorum ac coniugum, pro Patris incolumitate addicentibus, noſtro proſcriptionis pœna eſt remiſſa. Tantillum Patres ab formidoloſo turbine immanis tempeſtatis reſpiraũerant, cùm aliunde ſuborta turbulentiſſima infamium ſuſpicionum procella nutantes res noſtras pænè funditus afflixit, allatis Roma ſcilicet Patris Ferdinandi Alberi epiſtolis ad alterum è Patribus, quibus ex litteris coniurationis clandeſtinæ coniectura petebatur. Suſpectiſſimum omne genus litterarum peregrinarum habent Turcæ, quibus ab recenti noſtro caſu, & aduerſariorum multiplici accuſatione, omnis noſtra res fiebat ſuſpicioſior; & graue pondus coniecturis accedebat ex Ferdinandi nomine; quaſi Ferdinandus Auſtrius hortator eſſet alicuius in Mahometanos conſpirationis, nos eius artifices & adminiſtri eſſemus. Huius fraudis probabile indicium petebatur ex minuta claui argentea, epiſtolæ immiſſa, quam arcis cuiuſpiam prodendæ argumentum interpretarentur. Arianæ Scholæ magiſter apud Skenderum Baſſam verſabatur, cùm reſignatis epiſtolis è faſciculo emerſerunt & clauis, & ſacri agni cereæ plagulæ, quem

magistrũ vt est percõtatus Bassa de cereis pastillis, & claui, respõdit is, videri sibi ea comparata morbis,& dæmonib.ex malè affectorũ corpore depellendis.Quæ respõsio Ariani hominis nõ mediocriter minuit Turcarũ suspectiones,Basãque mitigauit;cuius missu ille idem Arianus alterũ ex Patribus cũ adduxisset,illeque modestè ac cãdidè, quod erat, indicasset, factum sibi satis Bassa iudicauit, & retenta claui, cætera omnia reddidit. Sub idem tempus, Hæreticis calumniæ architectis, litterarum ac nunciorum significatione apud exteros nostro Cõcionatori crimen adulterij est inustum, cuius flagitij compertus, ideoque in carcerem actus, & pecuniaria multa damnatus, ferebatur. Sed huius contumeliæ iniuriæque ipsos & Turcas & Arianos habuimus officiosos vindices,quorum, ac maximè Iudicis luculento testimonio, nostra publice asserta est innocentia. Catholici prætereà veriti ne infamia, maleuolorum dissipata nunciis, longiùs in Vngariam serperet, datis ad Cardinalem Forgatschium, & cæteros Vngariæ Dynastas, in eam rem accuratè perscriptis litteris, fraudis aperuerunt auctores, nostrosque omni suspicione absoluerunt. Satis diuturna, grauisque vexatio nos in hunc diem tenuisse poterat humano iudicio videri, nisi aliud esset plerùmque à nostro Numinis arbitrium, quo decernente Bassa ille,quem infestiorem nobis rati eramus, iniuncta sibi legatione procul in Transsiluaniam, vrbanæ præfecturæ vicarium reliquisset in nos longè sæuiorem. Is ad gubernacula vix manus admouerat,cùm publici

blici ſtatus perturbati redintegrata criminatione, ad exſilij pœnam iteratò apud eum poſtulamur; tantaque fuit aduerſariorum poſtulantium violẽtia, vt mox in concionatorem proſcriptionis decretum extorquerent; quorum impotenti libidini ac furori Vicarius Baſſæ, vt cumulatiùs gratificaretur, intentatis Patri acerbiorum plagarum grauibus minis, ni pareret, edixit vti eo ipſo die vrbe excederet; quod facere cogebatur, niſi forenſis Prætor auctoritate ſua interpoſita, tridui modicas inducias impetraſſet. Intereà ciues Catholici eiulatu vrbem complere; flebiliter cum noſtris queri; lamentari, & rogare, cur in articulo ipſo Chriſtianæ rei apud ipſos conſtituendæ, omnis præſidij expertes ab noſtris deſerantur; ſupplicitèr obſecrare, vti Patres de ſuo iure in cauſa Kalendarij Romani nonnihil in præſentia remittant, qua remiſſione, lenitis aduerſariis, calumniarum in eos ſit futurus finis, & Catholica res ſuum curſum ſine offenſione habitura. Huic iuſtiſſimo optimorum ciuium dolori Patres indulgendum rati, recipiunt eis de Kalendario ſe condonaturos tantiſper, dum ab Vrbe reſponſum afferatur. Ab Patrum ſponſione ciues exſultantes gaudio, vt eo exſoluti nodo, qui ſuum negotium diſtineret, rectà, erectoque animo, ac ſpei pleno, adeunt ad Baſſæ Vicarium, ab eo tricenis quinis Taleris paciſcuntur noſtris Patribus exſilij condonationem; quod pretium ſuæ libertatis cùm non paterentur Patres dependi pecunia ciuium, ſed diuendita ſua ſupellectile, ipſi de ſuo numerarent; tùm verò noſtrorum

ſtrorum in ſe inuſitata caritate Petſzienſes attoniti, felices ſe iis Chriſtianæ vitæ doctoribus prędicabant. In iis porro durioris vitæ incommodis, laborumque grauitate ac multitudine propè infinita Patrum alter, Concionatoris ſocius, grauiore cœpit tentari valetudine, quàm vt eius breuis exitus, & idonea curatio in omnium rerum inopia ſperari poſſet. Capit igitur vterque ab imminente pernicie conſilium, vt æger quà expeditius iter pateret, euadere tentaret in proximum quodque Societatis domicilium. Et habuerunt etiam aduerſarij, quod criminarentur in ægroti hominis laborioſiſſima profectione; quaſi, noſtro periculo, acuti homines certarent, ambitione oſtentandæ ſollertiæ, in comminiſcendis criminationibus, noſtroque nomini adſcribendis. Quod enim fraudis vterque Quinqueccleſiis, in rem Mahometanã animo ſtruxiſſe inſimularetur, illud eorum alterũ cum ſimul coniuratis Vngaris, tota regione circumfuſis, in via communicaturum, & auxilia concepti ſceleris patrandi petiturum, ex ingenio ſuo mentiebantur. Nimirum mallent Hæretici vtrumque exceſſiſſe, ac in terras quidem vltimas, quàm ab reſide altero Catholicum ritum Quinqueccleſiis promoueri, & ingentibus in dies incremẽtis propagari. Quem certè animi plenum, & illuſtribus operis clarum, non amplæ modò ciuitatis fines, ſed agreſtis quoque plebis immenſitatem ſuo ſtudio & induſtria complexum cùm viderent, ne latiùs emanante ipſius opera, tantumdem ſuæ cupiditati ſpeique detractum poſteà dolerent, prohibendum

bendum penitùs vrbis egreſſu ſibi eſſe decernunt. Baſſæ igitur abſentis nomine Præfectum prouinciæ falſis in Patrem accuſationibus occupant; eſſe nempe diligenter prouidendum, ne Ieſuita, peritus vtique rerum Turcicarum, atque in eorum gentem & ritum peſſimè animatus, ſermonem miſceat cum vicina gente Vngarica, cuius auxiliariis copiis ei facile ſit, Turcicarum arcium aliquam, præſidiario milite oppreſſo, inuadere, viamque maiori calamitati aperire. Haud difficile fuit barbarum, præcipitem, ſtolidum, atque flagrantis auaritiæ hominem, propoſita ſpe alicuius prædæ illò adducere, quò noſtri aduerſarij cuperent; extemporali ergo interdicto vetat noſtrũ pomœrio excedere, ratus fortè hanc ſeruitutem ab eo pecunia redemtum iri, qua ductus cupiditate frequẽter in eũ prȩcipitata & iniqua iudicia pronũciarat. Aequi porro ſpeciẽ quamdam ſuis prætentã criminationibus calũniatores videbãtur interpretari, quòd frequentes Mahometani totis campis per eos dies trucidabantur ab agreſti Vngarorum turba, vt publici tumultus funeſta quædam initia in Petſzienſi territorio metuerentur, cuius exempla deinde, mali contagione quadam, in finitimas regiones emanarent. Ex eo itaque ſpecioſior anſa oblata eſt Baſſæ Vicario in Patrem, ſuo ex ingenio, ſæuiendi, ad pecuniæ prædam exprimendam, cùm is per abſentiam eiuſdem Vicarij, legitimo commeatu ab vrbano Magiſtratu accepto, procurandorum funerum gratia in agrum exiſſet; cuius profectionis, vt Edicti violati, reus ab æmulis factus, ex ipſa

concione tractus est in carcerem, ibi cum cane pernoctaturus, nisi Catholicorũ ardentissimæ preces, datis vadibus, & vicenûm quinûm Talerorũ collato pretio, eum è vinculis exemissent. Grauiter anteà in vulgus offenderat illius publici prædonis fœda, crudelisque rapacitas, toties in Patris inopiam debacchata; sed ab illo proximæ prædæ immani flagitio, inuidia tanta sordes ipsius flagrare cœperunt, vt conuiciis in eius auaritiam publicè iactandis ciues non abstinerent. Propolarum certè in mediis foris & compitis passim audiebantur dicteria in prætereuntes eius satellites, quos procaciter percontabantur, numquid essent licitaturi manubiaria illa pecunia, quam de senis illius Sacerdotis summa penuria tam frequentibus compilationibus expressissent. Velut iniecto in auidi canis hiantem gulã osse non opimo, ad sedandã eius præsentem iugluuiem, pasta pertenui vigintiquinque Talerorum quæsticulo argentaria duri latronis fames, tantisper acquieuit, dum vberioris faciendi compendij alicunde se ostenderet ratio; quã breui non tam casus aliquis obtulit, quam illa nũmaria hirudo nusquam oblatam arripuit, aut potiùs excogitauit. Quinqueclesienſi Episcopo vectigales olim trecenti ac sexaginta pagi, Mahometanorum permissu, etiamnum veteres pensiones Antistiti suo numerant; quarum exigendarum ius locauerat Episcopus Dynastæ Vngaro; cũius litteræ, adiuncta pagorum vectigalium descriptione, ad Skenderum Bassam destinatæ, vt eius auctoritate pensiones cogerentur, Bassa in Transsiluaniam

siluaniam profecto, in illius prædonis manus deuenere. Iis lectis litteris, tot pagorum recensione offensus, bruti homo & truculenti ingenij, ac præcipitis iudicij; eius autem moris, qui annorum quinquagenûm perpetuo vsu firmatus esset, aut ignarus, aut dissimulator malignus; quasi ea pagani populi commemoratio iurisdictionem dignitatemque Turcicã minueret, nostrũ Sacerdotem eius descriptionis mox suspectũ habuit, & in eum furenter exscanduit. In Patrem igitur repentino decreto pœnam capitis edicit, nisi locupletes sibi vades sistat, qui sponsione se obstringant, nullam eius fraudem in ea paganicæ gentis censione interueniſſe. Huius rei noxam ab se depellere, vt facillimè poterat, cùm Pater tentasset, non est auditus, sed ingeminatas compedum & ferri comminationes tulit, ni mox sponsores adessent. Hominis barbara crudelitas Christianos deterrebat, & acriter dehortabantur Ariani, ne sua fide nostro salua omnia iuberent; qua in suorum destitutione noster cùm anxius laboraret; ecce tibi Turcarum globus, de Canisiensi præsidio, qui Patrem, pro veteri familiaritate & beneuolentia peramanter complexi, vna voce alacriter omnes profitentur, suo se, ac vniuersi Canisiensis Præsidij nomine, fortunas, capitaque sua pro salute ac dignitate Patris, in hac causa, & cætera qualibet, eius meritorum gratia, perlibenter obligare. Ad hanc tam liberalem, beneuolamque Mahometani manipuli professionem, Catholicis, qui grauiter obtorpuerant, rediere animi, móxque processere ob-

sides aliquot, quorum vadimonium ea lege admissum est, vt, quaternis illico promtis Taleris, ea gratia redimeretur; quam rapinam ea totis compitis consecuta sunt in prædatorium Prætorem elogia, quæ in eius sordes maximè conuenirent; Patris intereà innocentiam, voluntariamque inopiam omnibus digna laudatione ac commiseratione prosequentibus. Sed non defuit tamen ex ea corona Mahometanus, qui Patris merita studeret assentando exaggerare, ab adscripto ipsi studio quodam singulari Turcici dogmatis; simulque sui ritus nobilitatem asserere ab Patris honorifica de ipso sententia; quam sententiam suam, vti omnibus coram Pater apertiùs profiteretur, ille assentator hortari videbatur ex eo, quòd in Mahometismo putaret existere certissimas ad æternam salutem rationes; quarum Pater adhuc incertus, in multa senectute, ac grauibus ærumnis, orbe toto anxius vagaretur. Alius Turca, longè iniquiore in nostrum animo, vt ei summa fraude certam perniciem crearet, clam eum aggressus, ad conferendam de Mahometismo capitalem disputationem pellicere conatus est, cùm velut arrepta ansa ex solitudinis commodo, diceret; Nemo nos audiet, effare modo liberè, quæ sentis de nostræ legis capitibus. Hanc veteratoriam, importunamque nefarij proditoris sollicitationem breui sollertique responso eluſit Pater; vt cùm eum suisipsius captum vinctumque artibus, sine offensione tamen, ab se dimisisset, ille deinde profiteretur, se incidisse in neminem hominem, cuius in agendo loquendoque

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

doque sapientior esset, quàm illius vetuli Sacerdotis cautio. Expeditiones instituerant nostri ad finitima, summotáque loca, fructu non modico; vbi paucis diebus centenos homines ex variis erroribus in Catholicum agmen redegerũt. Coloca, nobile olim oppidum, Archiepiscopi sedes fuit, quod bellorum iniuria iam rediit ad quadragena non ampliùs domicilia; quibus in oppidi ruinis sũt Catholicorum quædam pastore destitutæ reliquiæ, ac veteres thermæ. Illò igitur venit noster Sacerdos per causam valetudinis vsu balneorum instaurandæ; sed maiore studio Catholici nominis affirmandi, vbi res ei cessit ex sententia. Vulgato enim per Catholicorum ædes de aduẽtu Vngari Sacerdotis nuncio, cuius opera fierent postero die sacrorum participes, si vellent adesse; oppidani frequentes accurrunt, & Patrem vrgent, vti publicè in templo sacris operari ne grauetur; quibus ille huius rei periculum grauius excusat; hortatur tamen, vt Diuinorum in eadem copiam fieri sibi ab Caluiniano Iudice postulent. Mox ad ipsum eo nomine adit Catholicorum, quæ tum aderat, manus: quorum ille postulatis est adeò irritatus, vt si pergerent eius facultatis mentionem facere oppidani, eis dirissima quæque minitaretur. Ea repulsæ acerbitate vehementiùs accensi Catholici ad suæ possessionis ius persequendum, quòd per eos dies acciderat commodè, vt vterque adesset cum Prouinciæ Prætor Mahometanus, tum Iudex primarius, ad eorum æquitatem prouocant; & quando suorum sacrorum exercitatio nihil officiat Ma-

hometano Imperio, vti ſibi, pridem imparatis ab omni Sacrorum & Sacerdotis ope, eius hominis opera, quem Deus afflictis inſperatò ſummiſerit, vti magno ſuo bono liceat, vehemẽter obſecrãt. Se illius eſſe ritus, qui ſit omniũ orbe toto antiquiſſimus, ac religioſiſſimus, cuius nomine ſint exſtructę omnes ædes ſacrę, quę appellatione Chriſtiana cenſeãtur; quamobrẽ æquũ non eſſe, in Mahometano Imperio, deteriore ipſi conditione ſint, quàm Caluiniani, nouæ ſectæ homines, quorum ipſo loco, quo de ageretur, ſui moris & dogmatis tolerarentur neſcio quæ profana myſteria. Magiſtratus vterque Turcicus, cùm capita contuliſſet, animaduertit Catholicos æqua cenſuiſſe, atque poſtulaſſe: quamobrem Colocenſis oppidi Caluinianum Iudicem, qui ſua petitione tam præcisè Catholicos excluſiſſet, ad ſe illico accitum Prouinciæ ſummus Iudex in hæc verba increpuit: Quid eſt, homo temerarie, ac partium tuarum malè cõſulte; quamobrem iſtis antiquæ Fidei oppidanis vſu ſuorum ſacrorum interdicas, acerbaſque inſuper intentes minas, cum fugere te non poſſit; toto Mahometano Imperio, adeoque in ipſa Imperij vrbe principe Byzantio, Romani ritus Chriſtianis fuiſſe olim, eſſeque in pręſentia Diuinarum rerum liberam poteſtatem? Deprehenſum in manifeſta iniquitate ac iniuria vt ſe vidit Caluini aſſecla, conatus eſt docere, non damni afferendi cupiditate, ſed tuendæ ſectæ ſtudio ſe prouectum paullò ardentiùs, cuius ſtudij teſtes, eſſe vellet ſuas lacrymas, expreſſas, vt intelligi optaret, ex pio

ſenſu

sensu, ac mera caritate, sui dogmatis. Eum fletum vbi Recuperator Mahometanus & consilium totú ludibrio exceperat, Caluinianũ Iudicem permolesta interrogatione ita lacessunt; Vestrane an istorum, qui ædem suam vindicãt, Fides est antiquior? tum, vtræ autem partes, illorum an vestræ, hanc controuersam ædem fabricarunt? Illorum quidem maiores, inquit Caluini discipulus, templum id ædificarunt; quid inde tamen sibi sumunt? nos ab illis pridem fabricatum, aliquot annorum possessione posteà vsurpauimus, & iam possidemus. Tum Recuperator, vel vestra ipsorum confessione; rem alienam mala fide occupatis, vestro ipsi testimonio, ac iudicio repetũdarum, plagiique vos ipsos damnatis; Colocensis ergo Catholici populi ea ædes propria esto, ex Mahometani Iuris formula, Imperiique moribus; sin vno latercule eam meliorem feciſtis, quod vestrum fuerit, inde id eximite: sed ædem integram Colocensibus extemplo reddite. Quid apud me diuturnitatem possessionis nescio quam, vestræ prætexitis iniuriæ, ac violẽtiæ? Quasi ego nesciam, quibus cuniculis, quámque recenti fraude, irrepseritis in hanc plagam, qui Szolnaki per id tempus iuri dicundo præessem; vt mihi perfacile sit ex ephemeridibus meis vel ipsum designare diem, qui princeps vobis fuit ad Catholicorũ templa inuadenda, & per iniuriam vindicanda. Ex interuallo igitur repetant Catholici Colocenses, quod ius fasque ipsorum esse decernit, isque Sacerdos, cuius nunc vsura se offert, Catholici moris in eo templo munera obeat tantisper

tisper, dum ego cum Vizire agam, cuius auctoritate Quinqueccleſiis huc ille allegetur, cuius ſint deinceps perpetuæ omnium ſacrorum functiones. Caluinici ergo ſacrilegij curatoribus & ſectariis Colocenſi templo exactis, Catholici ſuis illud ſacris denuo inaugurarunt, noſterque Sacerdos rem Diuinam fecit, & ad concionem Chriſtianis Turciſque miſtam dixit publicè, cuius oratio & Emingio, eius prouinciæ Dynaſtæ, & Mahometanæ militiæ primoribus Tribunis accidit iucundiſſima. Inde verò cùm Mahometani proceres exceſſiſſent, proximo die Dominico ab Caluiniano conuenticulo turbarum exſtitit plurimùm in Catholicos, & aduersùm nos comminationum; ſed petulantię ſuæ haud ita multò pòſt grauior eos cepit pœnitudo, cùm certis nunciis audiſſent Turcas, & Raſcianos Catholicis præſidio repentè adfuturos, ſi quid ab Caluiniano aduerſario increpuiſſet, vt Catholico nomini omnia deinceps libera & tranquilla fracti Hugonotti eſſe ſinerent. Per hanc quietem, Colocenſibus ſedula nauata eſt opera, omnibus Chriſtiani moris exſequendis officiis, ſtudiosè adlaborante omni eius oræ populo, vt ſuas præteritas iacturas opportunitate Sacerdotis, cuius ope breui eſſent carituri, ſarcirent cumulatiùs. Enimuerò Pater in Auſtriam, Prouinciam ſuam, à Præſidibus reuocabatur, qui nuncius, vt ad aures Catholicorum allatus eſt, non ſit procliue ſcribẽdo exſequi, quam multis, quàm lugubribus lamentis ſuum noſtri deſiderium, futuramque ſuam orbitatem proſequerentur, quibus Patrem non

dedu-

deduci à sententia profectionis cùm intelligerent, ausi sunt Turcicæ gentis principes viros interponere, vt eorum potentia Pater, nisi lubens maneret, coactus distineretur. Sed graui denunciatione adhibita significauit certum sibi omnino esse decedere, quando id Præsides sui decernerent, quorum voluntas, ex Societatis Instituto, sibi esset instar Diuini oraculi; cæterùm haud dubiis argumẽtis adduci se vt crederet, ipsos Diuinæ Prouidentiæ cordi futuros, qui se ac socium aduenientes, tamquam cælo ad se missos Angelos honorificentissimè accepissent, suorumque capitum periculo aduersùs ingruentes calamitates essent religiosissimè tutati; ac in pietate huiusmodi processus habuissent, quos nefas sibi esset putare, apud Deum eo loci poni, vt sufficere nollet curatores, qui eos fouerent. Eiusmodi Patris ad mœrentem populum sermone, turbatis grauiter animis est reddita tranquillitas, indeque sunt conuersa Catholicorum studia ad Mahometanos Magistratus demerendos, vt bona ipsorum venia Patribus liber esset in posterum reditus; quod vbi erat impetratũ, noster cum pace dimissus est, incredibili Hæreticorum omnium lætitia, qui se Patris decessu leuatos ingenti calamitate censerent. Exinde ad Cardinalem Forgatschium, cæterosque Vngaricos Satrapas, datæ sunt populi Quinqueclesiensis nomine litteræ, quorum auctoritate ac gratia, vt idem ille Sacerdos, qui nunc abibat, adiunctis sociis tribus aut quattuor, à Præsidibus nostris sibi denuò impetraretur, impense supplicabant; cuius mul-

multiplices,ac præstantissimæ virtutum dotes cõmemorabantur,quarum nomine gratiosissimus esset apud Mahometanos proceres. Igitur non alia lege missionem à principe Bassa obtinuisse, quàm vt reuerteretur; quam legem ipsa in commeatus formula, iussu Bassæ, disertè adscriptam fuisse, factosque Petszienses ciues eius conditionis ad Bassam obsides. Diuinæ porro beneficentiæ summum illud erga se donum fuisse, vt Patres Societatis, quorũ strenuissima opera esse nulla poterat afflictissimis suis, iam quinquagesimum annum, rebus congruentior,nulla nec magis,nec etiam æquè salutaris,quòd simul populo Petszienſi tam cari ac fructuosi,simul apud Mahometanos ipsos,sub quorum grauissimo dominatu seruitutem ipsi seruirent, ab opinione ac experientia summæ probitatis & modestiæ, tam gratiosi accidissent. Quo duplici tam fausto euentu audere se sperare in centenûm millium capitum populo suo, qui iam nullos haberet Sacerdotes, rei Christianæ paucis annis statum florentissimum, si Patrum Societatis quaternæ quinæve operæ,iis similes, quarum proximis laboribus culti essent, ad se delegarentur. Rogare autem maximopere, vt iidem ipsi Patres, quorum salutaribus institutionibus meliores euasissent, quod commodo ipsorum, ac Præsidum bona venia fieret, ad eorum cupidissimos homines, cum aliquot aliis Sacerdotibus, iteratò mitterentur. Atque hæc quidem de Missione Quinqueclesiensi, quam inierant nostri anno huius sæculi duodecimo, Septembri exeunte, prouexe-

runt-

runtque ad medium Martium anni decimi quarti.

IAVRINI, seu Iauarini, quæ eadem est Alba Græca, & Belgradum, nostri Patres suas operas ciuibus præstant fructuosas. Inferioris, seu Australis Vngariæ vrbs est, positu manuque munitissima, in ipsis Saui Danubiique mediis confluentibus, ab Mahumetis, Turcarum Principis, qui Constantinopolim vi ceperat, fuso fugatoque Coruini auspiciis immani exercitu, quondam celebratissima. Quadraginta dumtaxat eo in oppido numerantur Christianorum capita, quibus, siue ab ingenio loci est insita durities, siue Mahometanum, Hæreticumque iis inussit commercium, culturæ sunt perquàm difficilis, vt satis multò tempore nostri pretium operæ haud amplum se tulisse putent, quindenis modò ciuibus reuocatis ab hæresi. Spes tamen se ostendit inferendæ per assiduos labores maioris mansuetudinis in eorum animos, ac vberioris posteà frugis colligendæ. Iaurino Moahtzium traiecimus; quo ex oppido Sacrificium altaris octogenos fermè annos exsulauerat, vbi tanto ex interuallo nos, gaudio ciuitatis incredibili, quod faustæ acclamationes vberibus mistæ lacrymis testarentur, primùm publicè litauimus. Gabriel Bethlem, qui nunc pro Transsiluaniæ Dynasta gerit, de quo proximè diximus, nuper nostrum Sacerdotem Iaurino accersebat, quo ad Catholicos Transsiluanos iuuandos vteretur, Sed nõ visum est de illa statione, licèt minùs adhuc fructibus læta, decedere, vt quæ sit summi momenti futura, vbi eam Deus largiore suæ benignitatis pluuia imbuerit.

MONIO

MONIOROKEREKIVM, Satrapia est in Vngariæ finibus versùs Austriã, satis ampla, quam Thomas Erdeadiẽsis Comes, Dalmatiæ, Croatiæ, ac Sclauoniæ Prorex, quinquagenariæ litis iudicio tandem ex Hæreticorum manibus extorsit, in eamque, recepto gentis iure, Catholicum ritum, exactis septem Prædicantibus, mox inuexit, opera duorum de nostris, quorum princeps industria versata est per pagos tricenos octonos, quaterna oppida, & quinque castella, templis, arisque instaurandis; qua quinque mensium excursione ducenteni homines ex Caluinismo & Lutherismo recepti sunt. Frequentioribus locis gemina est concio, Germanorum prior, posterior Vngarorum, vtraque amplissima, quarum hæc illius exitum sub dio præstolatur auidissimè, huius autem & illius vniuersæ audiuntur crebræ acclamationes, legitimam esse doctrinam, quæ ab nostro traditur Concionatore: optimæ item plebis vberes interdum sentiuntur lacrymæ ac gemitus, quæ doleat se à Prædicantibus in negotio Fidei tamdiu & tam turpiter delusam. Matrona nobilis Hæreticè vixerat, cui ex improuisis vulneribus, per viam inflictis, moribundæ in mentem venit, vt Confessarium postularet, ex eóque postulato inter cognatos venit in dubium Lutheranóne an Catholico more humaretur; cuius cõtrouersiæ id arbitrium fuit, vt Lutherani ad Cœmeterij Catholici terminos efferrent cadauer, non vltrà progressi, vbi à Catholicis sumtum in ædem induceretur. Sed Lutherani rati sunt minùs fortiter se facere, si non

in ædis

non in ædis quoque intima irrumperent; Prædicans verò nisi ostentandæ suæ alacritatis ac eruditionis in Catholicum suggestum illico inuolaret; quem parantem ad adstantes proloqui, noster Sacerdos è medio populo elata voce admonuit, ne facinus tentaret, cuius eum caperet sera pœnitudo; qua voce perculsus, & increpitus à suis, citiùs exscendit, quàm adscenderat. Vidua ætatis ac formæ dignitate præstans in tenuitate fortunæ virtutem egregiè colebat, cuius cubantis in torum nobili familia vir cum ex insidiis arrepsisset, omni genere blanditiarum, munerum, ac violentiæ denique castum pectus ad stuprum sollicitare frustra conatus, amore deinde in odium verso, multis plagis ferro incussis, eam seminecem reliquit. Virili animo conseruatæ castitatis ei mulieri iustum præmium Deus esse voluit, ab religiosè obita Confessione, non modò certam contra peritorum iudicium, sed subitariam propè sanitatem, vt hac eximia fortitudine virtutum opibus nobilem animum pergeret exaggerare.

GRÆCIENSI familiæ alter annus duos Sacerdotes abstulit, septem & viginti egregiæ frugis adolescētes Societati adiunxit, quorum septem ex Cōuictorum familia, duodecim ex Ferdinandeo Seminario exstitere. Pater Ioānes Hermanus quattuor annos vltra septuagenarium vixerat, in Societatis palæstra quinquagenarius, ab instituto Græciensi Collegio, ei semper domesticus, litterarum Græcarum laude celebris, cùm magistrum ageret, neque minoris præconij concionator: quo

ex munere, fractis iam ætate, ac magnitudine laborũ viribus, in laudabili,ac fructuosissimo Confessariorum puluere consenuit, ac æternitatis palmam inuenit. Pater Dauid Lang, Coadiutor Formatus duodequinquagesimo vitæ anno multorum laborum in Conuictorum Collegio,& ratione nostra domestica procuranda,egregię pietatis,& candoris in omni re agenda increbilis, cæterarumque virtutum præmia, regio exstinctus morbo, est assecutus; maturus scilicet ad felicitatem, cum ętate adhuc,& viribus floreret.Ne quis temerè intercessum ab se deinceps vellet, quò minùs liberè quis ferretur ad diuinæ seruitutis iugum subeundum; documento fuere vir & adolescens,luctuoso funeris genere, in eiusmodi temeraria procuratione absumti. Adolescens rescierat suum æqualem, Societatis studiosissimum, ei se velle dedere; cuius rei factus index illius adolescentis matri,quo animo incertum est, sic tamen vt eius ab scholis nostris retrahendi causam præberet;quo ab scelere admisso, ei tam funesta omnia ceciderunt, vt manibus suis exitium ipse sibi conscisceret, ac deinde à canibus discerperetur. Adolescentis autem parens,illius alterius vsus indicio ad detegenda filij consilia, posteà quàm ipsum inuitum Græcio domum abduxerat,dum accubiturus lauat manus, repentè mortuus corruit. Septuaginta capita hæreseon, flagitiorumque funestis auspiciis Orco auctorata, exitiali sacramento absoluta, Ecclesiæ asseruimus; atque in his familiarum claritudine insignia quædam, vti Barones & huiusmodi; sed inter

inter cætera mulierem propemodùm octogenariam, quam Græcium, ſtudio ſalutandæ cognationis, è Sueuia venientem, morbus lecto afflixit, ſecundùm quem noſtrum Sacerdotem audire cupiit, moxque manus dedit, congratulantibus propinquis omnibus, ipſa verò ſuam veterem cæcitatem profuſiſſimis lacrymis proſequente. Millenis, & ampliùs, diſcipulis cenſetur Græcienſis Academia, & illis quidem ex præclaro iuuentutis flore ſelectis, quem, veluti lucentem ſtellarum chorum, grandiora, illuſtrioraque aſtra, è prima nobilitate, Barones, Comites, Marchioneſque non infrequentes, ſuo ſplendore mirificè cohoneſtant, & auguſtiore dignitatis radio exornãt. Auſtriæ Principes, Ferdinandum, & eius coniugem, redeuntes peregrè in vrbem, Academica iuuentus, vti Apollinem & Palladem, ſtudiorum ſuorum præſides, ac fautores, auguſtiſſima ſpecie triumphãtium excepit, non minore accipientium honorem voluptate, quàm alacritate deferentium. Tametſi verò intelligeremus, nullo, etiam honorificentiſſimo, genere officij, Principibus iis parem ipſorum in Societatem benefactis gratiam reponi poſſe, idque nos præferremus apertiſſimè, & res ipſa loqueretur; vterque tamen Princeps agendis publicè gratiis eam ſedulitatem adhibuit, quaſi à nobis tùm in ſe collatum eſſet beneficium, cuius obrueretur inuſitata magnitudine. MONIOROKEREKII duo Sacerdotes noſtri decurrenda ea regione, quam priore anno indicauimus, mille admodùm Hæreticos Catholico agmini adiunxerũt.

ALSOLINDVÆ tricenos hæreſeon labe perpurgatos Catholicis ſacris impertiuimus: duos ex iis tergiuerſantes acrioribus aduentitiorum morborum verberibus Deus ad officium concitauit, & adegit.

LEOBII, vt paullò antè diximus, in Principis Ferdinandi Baſilica, Tironibus noſtris domicilium caprum eſt, quam familiam Parochorum liberalitas, frumentaria, vinariaque annona, & pecunię ſubſidiis perbenignè ſubleuauit, tribus etiam Florenorum legatis millibus Clarius, in Stiria celeberrimi nominis medicus, maximopere iuuit. Operæ in proximum collatæ, per hæc exordia inſtruēdæ nouæ domus, primitias Deo ſacrauimus Hæreticos nouem Eccleſiæ reſtitutos.

PRAGENSE COLLEGIVM.

AB Iulio menſe ad anni exitum, & latè, & crudeliter, ſi quo vmquam aut loco, aut tempore, in Pragenſes peſtilitas ſæuiit, vix vt vlla familia, familięve menbrum vllum tabo immune abiuerit, aut plus triduo fuerit ſuperſtes, ex quo teter halitus afflauerat. Inde nobis allata eſt neceſſitas & ſcholarum, & noſtri contubernij diſſoluendi, emiſſis in agros Sociis, quorum labor vrbi neceſſarius non fuit, aliquot Sacerdotibus in ciuitatis ſolatiū reſiſtentibus, quorum vni, cum Adiutore ſocio, expetita ſorte obtigit lue contactorum in vniuerſa vrbe procuratio. His duobus non potuit non eſſe negotij ſatis, ampliſſima in vrbe, ac ciuibus freque-

quentissima, domiciliis pæne omnibus pestilenti sidere afflatis: sed acriores adiiciebantur ad sollicitudinem stimuli, & grauius laborum pondus ex inusitati moris tabe, cuius ea fuit sæuitia, vt biduo, aut summùm triduo, affecta corpora exstingueret; nullus vt esset interdiu noctúve finis animorum procurandorum, aut funerum. Sacerdotes reliqui, publico prohibiti, nihilo quietiorem vacationem ab opere domi sortiebantut, quos quotidianus, aut habẽtium rectè, aut habere existimãtium, concursus, anni eius altero semestri, cessatione penitùs abstinuit. Non enim modò vrbis regionibus omnibus, sed ædibus ferè totis perpetua erant, & manifesto veneno pereuntium, & eorum quos nec leuiter afflatos crederes, frequentia subitariaque cadauera; vt cùm nemo compertæ sanitatis fidem sibi faceret, omnes se pro depositis haberent; tota ciuitas Sacramenta iniret, tamquam præsidia extremæ dimicationis. Quibus verò felici præter spem euentu obtigerat, proximam vt hebdomadam sine labe decurrissent, quòd insequentis ratio tantò videretur incertior futura, vix quisquam esse volebat sui tam immemor, vt non & ista, & sequentibus hebdomadis, ad vltimam se vitæ aleam per Sacramenta communiret. Ad hunc modum comparatis Pragensium animis, nullus dies Patribus nostris suo in templo abibat non satis operosus, periculique plenus, cùm promiscuè ciues adirent, bene maleque habiti: eorum plerisque pestilentem corporis sui affectum aut ignorantibus, aut dissimu-

lantibus ; quem bene multorum inexſpectatus patefecit occaſus , vbi primùm noſtra ex æde, Chriſtique menſa, domos eſſent regreſſi. Aduersùs eiuſmodi pericula eò funeſtiùs , quò tectiùs in noſtrorum caput graſſantia, quoad humana prouidere potuit cautio , Patres ſe intactos præſtiterunt , vt diuturniore tantò, ac fructuoſiore ipſorũ opera,ciuitas vteretur; ſed vigilantiſſimam curam in vno Patrum , eius palæſtræ valentiſſimo pugile,ſupergreſſa eſt vis mali occultior,potentiorque. Huic quaterna iam laborioſiſſima æſtiua in hoc certaminis genere, hoc eſt funeſtis Pragenſium ſuo periculo depellendis cladibus agenti, vertens hic annus, deterſa iam fermè peſtiferæ exſpirationis labe, glorioſum finem laborum attulit, & præmia virtutis aſſeruit. Patri nimirum Marco Soldano,in Italis nato,annorum vnius ac viginti cùm Societatis militiam ſortiretur, ſexaginta cùm defunctus eſt, in cuiuſlibet virrutis exercitatione illuſtrium palmarum viro. Italici nominis conuentum,Pragæ negotiationis cauſa degentem,iam pridem procurabat,quem frequentibus concionibus, omnique alia diſciplina, ſic inſtituerat, vt ex auditorum virtute, magiſtri nobilitatem facilè agnoſceres ; quàmque illuſtri erga Numen religione imbuti eſſent, vel ex ipſius ſacelli ſui auguſtiſſimo cultu, ornatuque ipſi apertiſſimè indicarẽt.Italicũ Noſocomium Pragæ inſtituit, excipiendis curandisque illius gentis ægrotis hominibus egenis,cui præter idonea vectigalia , ædium amplitudinem, quantam vel miniſteria , vel ægrorum ratio ad ſa-

lubrita

lubritatē exigeret, percommodè attribuit,ex corrogata gentilium ſtipe,ipſius ſingulari virtuti omnia deferentium. Cuius Noſocomij egregia diſciplina, optimi Patris perquàm appoſitis temperata legibus,magno ægrotantium emolumento,Pragenſiſque ciuitatis multa approbatione, ſic hodie perſeuerat, vt perpetua quoque futura videatur. Huius Patris plurima illuſtriaque in Pragenſes ciues merita ipſum pridem eis vnicè carum, gratioſumque apud omnes Ordines fecerant; ſed illa prouinciæ procuratio, quæ hominem tandem exhauſit, in qua per continentes diro tabo ciuium pereuntium clades, ſuæ ſalutis oblitus, alienæ ſeruiebat ardentiſſimè, ac plures quidem annos, quòd incenſæ in ipſos caritatis argumentum erat, & inuſitatæ virtutis exemplum; incredibilem ciuitatis amorem aduersùs eum, paremque veneratione concitauerat. Neque illa tam operoſa vniuerſorum iuuandorum ſolicitudo poterat obeſſe, quò minùs alterius cuiuſdam generis cura priuatim deriuaretur in egentium neceſſitates,tota vrbe ſubleuandas,quo nomine pauperum pater ab omnibus ac,meritò quidem,audiebat. Ei ergo vt iam eximia illuſtrium virtutum facinora felicitatem inſequentis vitæ aſſeruiſſe viderentur, quò tamen illius certior ei ſpes fieret,paucis ante occaſum diebus, Beati Patres Ignatius, Xaueriuſque, cæterorum Cælitum de ſua familia lætiſſimo ſepti choro, ei ſe, auguſta claritate fulgentes, ſpectandos præbuerunt,ipſiſque inſtantem ex hac vita exitum, aditumque in æternam beatitatem nunciarūt. Bimeſtri fe-

ſtri ferè interuallo hũc Patrem Matthias Pleícher, ex Logicæ ſtadio eſt conſecutus, octo annorum in Societate, inter viuos vicenarius ſenarius, cuius ſingularis in florida iuuentute moderatio, multarũ eximia cuſtos, nutrixque virtutum, eius inter beatos accepti non mediocrem nobis ſpem reliquit. Vetiti calicis non legitimum vſum eripi ſibi triginta homines paſſi ſunt; octingenti, eoque ampliùs Hæretica ſententia communioneque ſe auocarunt. Ex hoc grege decumbentem anum, in exuenda hæreſi cunctantiorem, cæleſti ſpecie adoleſcens per quietem hortatus erat, ad exitialis peſtis euomendæ concipiendum ardorem, cuius viſi non fermè aderat exitus, cùm tetri cuiuſdam Aethiopis, alia omnia ſuadentis, imperantiſque, ſpectrum dormienti oblatum eſt. Sed eius ſermo vt vetulæ auribus non excipiebatur libenter, dilapſo humano ſimulacro, mox ingentis molis, horrendique aſpectus adſtitit porca, fetæ ſimilis, numeroſis, & lacte plenis turgens vberibus, quæ derepentè toto corpore ſupra iacentem ægram ſtrata, fœdas papillas in vetulæ, ſumma vi obnitentis, manus ingereret, ad eaſque adigeret emulgendas, vnde, natum Erebo, mulieris adactæ manibus expreſſum lac tam acriter volam adurebat, vt in triduum acerbus doloris ſenſus pertineret. Quæcumque tandem fuerit Cacodæmonis ſententia, iis mammis, eoque lacte obtrudendis, ſic eſt interpretata mulier, peſtiferæ illum hæreſis venenatum eſſe ſuccũ, quo incautos mortales ſimul demẽtaret Lutherus, ſimul exſtingueret; quare primi nũcij

cælo

cælo missi dictis obsecuta, hæresi se absoluendam, Sacramentisque muniendam tradidit. Feminæ, in cuius familia pro ancilla gerenti, primùm inusitatę diuturnæque tristitiæ grauis molestia incesserat, posteaque ipsius vitæ fastidium tantum; vt festinati obitus causam sibi optaret obiici; quam, sic animo affectam Dæmon, humana specie oblatus, subitò correptam, in peranguſtam, obscurissimamque domus latebram præcipitat. Heris famulam aufugisse ratis, nulla eius perquirendæ cura quemquam deinde subiit, quoad, tricesimo quinto pòst die, molliter atque ex abdito ingemiscentis sonus, ad patris familiæ aurem delatus: rei certiùs explorandæ cupidinem injecit, inque abstrusum domus angulum, vnde missus erat gemitus, eum adduxit; vbi humanæ vocis non dubia sunt agnita vestigia; sed latebram claudente pariete, non nisi anguſta & sublimi feneſtella peruio. Eo ex antro educta puella cùm esset, mortuæ simili, ad reficiendas inedia exstinctas vires, instillăda fuit calida sorbitio quinque nimirú iam solidas hebdomadas nulla gustăti cibaria, præter aquæ vrceolũ, quẽ ipsa vicesimo primo suæ secessionis die, de nocte, clam omnibus, sibi noto ex loco sumserat, moxque in speluncam se iterum abstruserat. Ei verò posteà quàm idoneis cibis ac fomentis integratũ est robur corporis, animæ itidem per Sacramentorum vsum reddita est sanitas, ac triste illud vitæ deterſum planè est tædium. Obeunti noſtro Sacerdoti oppidanas, paganasque Boemici agri expeditiones, certum erat die quodam diuersorij gra-

tia notum ad pagum adire, cùm per viam cupido subit deflectendi ad oppidum, Hæreticis affluentius, vt per causam salutandi Parochi, eius de recta fide sententiam periclitaretur: cuius in ædes, Dei se vocantis occulto instinctu, adductum pòst paullò deprehendit. Octogenaria Curionis mater, grauiter ægrota decumbebat, cuius frequentia per morbum, ac pridie illius diei maximè, fuerant ad Deum suppliciter missa vota, vti ne sua infinita benignitas pateretur afflictam mulierem decedere Catholici Sacerdotis ope destitutam; cui, de Diuina prouidentia bene speranti, tamquam cælo missus noster Sacerdos accidit, & quidem in tempore. Pia prudensque mulier beneficij diuinitus in se collati magnitudinem, ex loci, temporis, morbique sui, ac ætatis ratione, sapienter æstimauit, ac Numini grates habuit, pro eo atque debere se intelligebat; sed, quod caput erat, Sacerdotis salutari opera cupidissimè vsa, quod reliquum vitæ fuit, in asserẽdo sibi cælo religiosissimè collocauit.

ALTERO ineunte anno, Kalendis Februariis, aperto Gymnasio diuturnius Iustitium litterarium solutum est, & eo quidem ardore discipulorum, nihil vt offecerint Scholarum semestri vno longiora silentia, quò minùs è Philosophico stadio prodierint anno vertente vnus & viginti adolescentes, laurea corona insignes. Quinæ toto anno conciones in vrbe ab Nostris habitæ, ac illæ quidem omnes ad auditorem bene frequentem; ad Boëmos geminæ, singulæ ad Italos ac Germanos, sua quibusque lingua; & ad Academiæ nostræ alumnos

alumnos Latina. Sollemnem Euchariſtici Ferculi triumphum quàm apparitiſſima magnificẽtia, elegantiaque, tum agminis ſupplicantis, tum carminum emblematũque, tota veteri Praga, oculis variè iucundeque blandientium, celebrauimus: in vtraque verò recentiore Praga, repetito, alternis per hebdomadam diebus, triumphantis pompæ agmine, ac eius panegyricorum ſcripto, pictoque apparatu, quo genere argumenti nihil pridem Pragenſibus Catholicis auguſtius, optatiuſque contigerat, vt, lætitiæ religioniſque intimo perfuſa ſenſu, ciuitas ad ſpectaculum vniuerſa effunderetur. Honorem per eos dies quantum oportuit ab ſincerè Chriſtianis hominibus Chriſto habitum, ſoli Picarditæ, ac Caluiniani ſuam iniurioſiſſimam ignominiam, contumeliamque malignè, pro ſuo ingenio, interpretati, cætero omni Pragenſi plaudente populo, rabidarum canum inſtar, publicè priuatimque ringebantur, eiuſque Comediæ, vt vocabant, actoribus Ieſuitis malam crucem precabantur, & verò etiam deſtinabant, ſiquando Pragæ rerum potirentur, vt reuerà ſexẽnio deinde potiti, Ieſuitas Praga, & quattuor inſuper Boëmicis vrbibus, per ſummum ſcelus, exegerunt. Ex adulterinis Hæreticorum plantariis, vbi iam altas radices egerant, euulſi centum duodequinquaginta, in Chriſti hortis, tanto ſalubriore atque pinguiore ſolo, volentes ſunt inſiti: à Sanguinis, in Chriſti calice, vetita participatione ſeptem & viginti ſe abducendos permiſerunt. Ab tetererrimo ſacrilegio Hæreticus, ſumma Chriſti beni-

benignitate, quod omnium minimè voluerat, & cogitauerat, ad Catholici dogmatis veritatem agnoscendam, ambiendamque sibi viam ignarus patefecit. In Catholicorum pio cœtu scelerata mente accubuerat ad Christi mensam, vbi Diuinam Hostiam impuro cùm excepisset ore, in linteolum posteà clam demisit, periclitaturus ferro, quid in ea tam Diuinũ inesse Catholici vẽditarẽt; in quam simulac domum rediit, cultri cuspidem cum validè strinxisset, cruoris guttæ ab illata plaga derepentè fluxerunt. Mitissimi verò Iesu benignitas non modò dirum vulnus infligi sibi passa est impunè, sed, altero quoque, ac maiore beneficio, cum immanis feritatis pectore sibi certandũ esse duxit; enimuerò ab aspectu innocentissimi sanguinis tantum mansuetudinis ac lucis in brutum cæcumque iniecit animum, vt mox se reũ atrocissimi flagitij agnosceret, Christumque totum Sacræ Hostiæ intimum inesse fateretur, vt ei nulla mora fieri posset, quò minùs ad nos eucstigio Catholica Sacra susceпturus accurreret.

OLMVCIENSE COLLEGIVM, ac ex eo Missiones.

FAMILIÆ Olomucienſi pænè vniuersæ priore anno pessimè fuit à grauiore valetudine, ex qua tandem recreatis cæteris, Pater Villianus, Anglus, Coadiutor Spiritalis, quinquagenarius in Societate, inter viuos septuagenario maior annis quattuor, sic tentari perseuerauit, vt, intercluso

cluſo ad ſanitatem regreſſu, tandem occumberet. Sinceræ Fidei ſtudio adoleſcentulus è Britãnia patria profugerat, immiſſaque deinde cælitus noſtri Ordinis cupiditate, vt ei ſe valentiſſimum ſiſteret militem ad duriſſima quæque toleranda, ſic aſperiore cubatu, multos dies ſtratis in nudo ſolo mẽbris corpus ſibi durandum ſumſit, vt id tantum non obtereret. Ab tam generoſis ac ſanctis primæ adoleſcentiæ inſtitutis facilè ſecutum, vt deinceps in Societate omnes animi corporiſque motus perpetuò habuerit egregiè domitos, & ad Religioſæ vitæ omnem rationem percommodè temperatos. Tam ſerena, iucundaque omnibus fronte ſemper oblatus eſt, vt non affatu modò, ſed ipſo etiam contuitu mœrorem triſtiſſimo cuique detergeret: incredibili verò cum excelleret morum ſuauitate, iucundiſſimæ conſuetudinis illecebra, nobis ſua ſponte beneuolos, præſtaret beneuolentiores; odij verò acerbitatem omnem ex maleuolorum animis facilè diſcuteret. Quæcumque Diuini cultus ſacra ſunt munera, obibat altiſſimo quodam pietatis ſenſu, ſed auguſtum in primis aræ Sacrificium; quo in obeundo ſiquem Sacerdotem aduerteret, præcipitanter ferri magis, quàm ex Diuini myſterij dignitate, offenbebatur non leuiter, vt ex illata Chriſto permagna iniuria. Flagrantiſſimo in puerum Ieſum amore totam vitam traduxit, cuius ab picta imagine vix oculos abduceret, quo nomine, ardentiſſimo erga Matrem Virginem, Cæleſtemque ipſius prolem ſtudio, ſollemne Diuini Aduentus ſacrum, in ara ſuauiſſimè, reli-

religiosissimeque pronunciabat, & ab aliis pronũciatum quàm attentissimè audiebat. Cuius religionis, inter cætera multa, hoc præmium à Deo tulit, vt eum modò diem, qui ei supremus fuit, exsortem à sacrificio perpetrando viderit. Hæretico Sacrificulo, quas Diris & Orco, nescieńs fortè, destinabat victimas, quinas & sexagenas excussimus è manibus, & Catholico ritu, mysteriis initiauimus. Eorum vni, militari viro, periculosè decumbenti, Tartareæ voraginis inusitata supplicia per visum oblata sunt, in quæ suo merito abripiebatur, cum circumstante, ad pœnarum incrementa, Cacodæmonum numerosa multitudine. Quo ex tam horrendo insomnio vt redeunte vigilia paullisper recreatus est, nostrum Sacerdotem derepentè acciri ad se iubet, cuius opera dogmatis impietatem mox exuit, neque ita multò pòst morbum ab se depulsum singulari Dei miseratione sensit. Recentis Euangelij artifices ea munus suum, seque ipsos dignatione esse autumant, vt non nisi rheda vectos adire ad ægrotum quemquam, & bene muneratos inde redire, aut iustum, aut decorum esse putent; cuius honoris & annonæ si nulla spes affulgeat, suam præsentiam operamque sectariis quibuscumque, vt suo dignum est dogmate, fortiter negant, & subtrahunt. Huius Euangelici moris bene consultus Hæreticus, ab re familiari tenuissimè instructus, cùm aduersa valetudo ei spem vitæ non faceret, nec Prædicantis sua inopia, consilium init Eucharistiæ auspiciis suis, ac ritibus, sibi adornandæ; aridi nimirum panis pauxillum,

ac pro

ac pro præsenti copia,frigidæ tantumdem sibi apponit, atque huiusmodi epulas à propitio Numine postulat,immo ipse decernit,instar arcanorum, salutariũque mysteriorum ægro futura,ex hac vita proxime migraturo, ratus, neque iniuria, sibi adesse hoc genere Sacri,de cælesti ope,quantum ipse Minister impertiuisset.Dedignantium,quę sui muneris sunt, Ministrorum fastus & vesanus tumor, sicut alios Hæreticorum plerosque nobis non tam relinquit, quàm obtrudit procurandos,ita & hunc tradidit nostro Sacerdoti, cuius ope is dedidicit mox hæresin; & iis Sacris refectus est, suo ingenti gaudio, quæ, aliam vitam paullò pòst ineunti, salutem assererent.

POSTERIOR annus Patri Georgio Ebellio postremus fuit, quem duodequadragesimo ætatis, duodeuicesimo anno quàm nostræ militiæ nomen dederat, hydrops & tabes exstinxerunt. Ei viro ætate, viribus, animisque florenti, vitæ filum, medio in cursu, immodici labores, in Christi vinea fortiter suscepti,videntur succidisse, cùm Missiones varias, postremamque in eis Linhartouiensem,nauiter obiret. Idoneum solum eximiis virtutibus inserendis, singularem ingenij docilitatem, facilitatemque morum Deus in eo sibi finxerat; quibus itidem dotibus valdè opportunum alienæ vitæ formandæ curatorem, magistrumque parauerat. In tutelaribus Cælitibus, præter cæteros, Beatam Catharinam Aegyptiam sibi adsciuerat, cuius patrocinio mirificè delectabatur, eiusq; Natali die optabat sibi diem extremũ obtingere,quod

&

& magna ſua voluptate,nec minori ſpe conſequẽdæ ſalutis impetrauit.Septeni adoleſcentes de noſtro Gymnaſio, eiuſmodi iacturæ olim ſarciendæ in noſtrum corpus adoptati ſunt;quorum, ſeu natalium, ſeu pugnarum in hoc puluere obitarum claritudine,familiam duxiſſe viſus eſt illuſtris Dynaſtæ filius, cùm patrem ſuo inſtituto maximè repugnantem, mortuoque patre,cognationẽ vniuerſam, cuius ipſe caput eſſet, aduerſariam experiretur. Neque Numini dignus eius maieſtate honos habebatur in carcere, nec vinctis vlla illecebra ſuppetebat, vel anſa Diuini cultus ſtudiosè amplectendi, quod anteà Sacrum fiebat in cæca & peranguſta ergaſtuli latebra, nulloque aut perexiguo arę cultu & ornatu.Sacerdos noſter luſtrãdis cuſtodiis præfectus, vt ne tam neceſſariũ captiuis ſolatium deeſſet, piorum hominum largitionibus ſacellum à fundamentis centenûm hominum capax excitauit, ſacraque ſupellectile ad ſacrificij vſum percommodè inſtruxit, cuius dedicationẽ,ſollẽni Eccleſiæ ritu procuratã, excepit copioſum epulũ carcere damnatis omnibus ab ipſo Capitalium Quæſitore datum, ſuam in eo ſacello conditionem gratulante. Gymnaſium noſtrum numeroſa celebratur iuuentute,ſed propenſo in primis cum ad cæteram virtutem, tum ad religiosè colendum Numen ingenio ac ſtudio; qua in palęſtra primarum ſunt partiũ Marianę Sodalitates quattuor. Cilicini ſaguli, flagellorum, longioris inediæ, inter hos adoleſcentes frequentior, ſeueriorque intercedit vſus, quàm vt facilè credi

credi possit, sed ad Christi sepulcrum fuêrẽ ipsorum in varias turmas partitorum diuerberationes maximè celebres; quas eorumdem armatorum, ardentique cereo lucentium, solidæ noctis ad Domini tumulum exciperent excubiæ, ingenti vrbanæ iuuentutis, ac ciuium omnium stupore atque approbatione. Conuictoribus omnibus pridie natalem Beati Parentis nostri ardor pietatis in ipsum insedit eiusmodi, vt nemo vnus fuerit, qui non eo die sibi arctiorem inediam iniunxerit, suoque tergo flagellum adhibuerit, Natalem verò ipsum Sacrorum participatione celebriorẽ ac sanctiorem nõ egerit. Discipulorum vnus nuper Hæreticus, eiurata apud nos hæresi, tantam ex eo die combibit domandi corporis sollicitudinem, vt ferrea mox catena præcingi ad cutem voluerit, quam deinde numquam posuit; mero autem tametsi à pueritia cõsuefactus, adduci tamen nullius auctoritate potuit, vt toto quadragenario ieiunio, eius guttulã ore admitteret. Pusioni ex Elementariorũ nostra schola parens grauiores quotidie intentabat minas, vt ab Catholico instituto puerilẽ animum auocaret: cumque inter cætera, illud iactaret frequentiùs, peruicaci filio se id impositurũ pœnæ, vt exhæredẽ olim faceret, nunc verò sui consortij expertẽ, cùm eum exegisset ex ædibus. Sed neque illa vox patris, tam seuera edicta in puellũ detonantis, diuina manu consignatã in puerili pectore constãtiam fregit, vel etiã leuiter concussit; cui nempe sedato animo, paucis, grauiterque ita retulit; nihil quidẽ in humanis rebus sibi esse parẽte suo cariũs,

& sanctius, eo tamen, nedũ ipsius fortunis omnibus, tota vita cariturum se potiùs, quàm vt à Catholico ritu tantillum deflecteret. Intrepidum, simulque sapiens pueri responsum, paternæ iræ ita sopiuit æstum, vt neque tùm, neque posteà eius argumenti comminationes vllas incuteret filio, sed placatior ei deinceps esset in omnibus.

CREMSIRII plurimùm degit Cardinalis Dietrichstheinius, idéque Olomucienſis Episcopus, vbi stabilem nostris, ex Principis aula in priuatas ædes traductis, posità superiore anno proximis Annalibus scripsimus, quo anno, summissis duobus subsidiariis, erat instituta quaternorũ Sociorũ familia. Eo de numero consequẽs annus, huius sæculi tertius decimus, Patrẽ Petrum Ederũ subtraxit, ætatis anno tertio & octogesimo, altero & quinquagesimo Societatis adeptæ, tertio ac vicesimo quàm in Spiritales Coadiutores erat adoptatus. Cuius illud pridẽ eximiæ virtutis documentum; eum vicenos continentes annos in Scholarũ puluere Grammaticæ tradidisse rudimenta. Collegium Sodaliũ ex ciuibus Olomucienſibus, sub Beatæ Annæ tutela olim condidit, cuius exemplũ in cætera pietate, ac Fidei maximè retinenda constãtia, reliquæ Sodalitates hodiequelibenter propositũ sibi esse patiantur. Eum verò multos abhinc annos Cardinalis suæ conscientiæ curatorẽ à Præsidibus depopoſcerat, & apud se habuerat in Cremsirienſi aula, iis micantem religiosissimæ vitæ argumentis, quæ venerationem caritatemque omnium ipsi promererentur. In Aulica illa copia & splendore pauper-

tatem

tatem adeò seuerè coluit, vt mortuo vestes omnes fuerint superstites, quas vix mendiculus humo sustulisset. Multa summi amoris significatione Cardinalis demortuo, & perseipsum, & per suos bene multos Sacerdotes non semel parentauit.

BRVMOVII modò tres, modò quattuor fuerũt Sacerdotes in aula Ioannis Kaskæ, illius regionis prępotentis Dynastæ, vnde perpetuę sunt nostrorũ excursiones in oppida duo, & circumiectos vicos plurimos, quibus excolendis, vt priores annuæ docuerunt, opera non leuis, & plerumque irrita ponitur, adeò sunt rusticanorum peruicacia ingenia in Hæretico dogmate tuendo. Quæ tamen est Dynastæ sedulitas, & animi constantia in clientũ procuranda salute, non paucis hoc anno euulsa est ex animo hæresis, quorũ de numero censi sunt, in nobiliore oppido, Senatorij ordinis quinque, nuper omnium tota regione hominum sui dogmatis retinentissimi. Ex Brumouiensi porro Satrapia in aliam ei finibus consortem transiuimus, vbi nobis agentibus Caluiniani Catholico templo cedere coacti sunt, quod iniuria vsurpabant; ex interuallo autem ad sua Sacra reuocati Catholici, suum gaudium inusitatis argumentis testabantur. Quòd templo, Catholicique ritus Sacris aliquamdiu caruerant, sibi visi sunt, per illud triste silentium, ex animo diuinarum quoque rerum memoriam penitús obliterasse; hocque nomine Sacerdotis nostri omnem in templo, & foris gestum motumque curiosiùs obseruabant, & imitando exprimebant, vt quod ipsis imprudentibus exci-

derat de religione, hoc eius exemplo in seipsis restituerent, & aduersùm similes casus suis animis altiùs imprimerent. Inde finitimam in Paræciam ventum est, tanto cum populi gaudio plausúque, vt beneuolentissimarum consalutationum in templo finis non inueniretur; cumque multi non sibi temperarent, quin amplexantes Sacerdotis collo bracchia implicarẽt; ab eius ceruicibus auelli priùs se passus non est centenarius, antiquæ probitatis homo, quã sibi Pater bene comprecaretur. Fuit eo loci Christianarum frugum omnis generis bene ampla messis, eaque facillima, vt metentis falcem ipsa pæne seges sua sponte anteuerteret; cuius in prædæ portione non leuissima censi sunt Hæretici duodesexaginta. Posteriore anno itum est Brumouio in Trinchinienſem Vngariæ Comitatum, vbi nauata est fructuosissimè opera triũ Satrapiarum Catholicis populis, Pastore destitutis, quibus singulari eorum lætitia, compendióque facta est Sacramentorum copia.

LINHARTOVIENSIS agri quam sit malignum solum, Lutheranis nimirum eò se pridẽ infundentibus paludibus, assiduè maceratum, & dilutum, vix vt Catholicæ stirpis vlla fibra superstes hæserit, proximis Annalibus significabamus, cùm scripsimus præcellentissimi Baronis, Caroli Haugvvichzij, Morauiæ Subcamerarium appellant, accersitu nostros eò venisse, illisque principiis perparũ inter obstinatos homines promouisse. Constantia tamen laboris, multaque comitate loquendi & agendi nostri, Deo adiutore, peruicerunt, vt as-

vt aſperrimæ gentis erga nos odium denique in beneuolentiam verteret; vt iam non ægrè domos ſuas admittant noſtros, officij cauſa ad ſe adeuntes, ſed perbenignè, ac vlrò ipſi ſuas in ædes inuitatos, cum Miniſtellis de Fidei controuerſiis certaturos committant. Quibus ex congreſſibus duodeſeptuaginta meliores facti hoc anno priore, in hiſque octogenarij quattuor, ab Lutheri cœnoſo lintre in puriſſimam Chriſti cymbā tranſiere, quo ex trāſitu ægra mulier cuius vita periclitaretur, corollarij loco etiam eſt adepta ſanitatem, puellaque tantùm hauſit conſtantiæ, vt nullis parentum minis aut vexationibus ab Catholico ritu potuerit auocari. Hæretico, viro nobili, per quietem geminorum Angelorum ſpecies oblata eſt, præcisè iubentium, vti noſtros vel adiret, vel euocaret, eorúmque vſus opera planè deſciſceret ab hæreſi; cuius viſi non eſt veritus omnem rationem euulgare, ſeque obſecuturum polliceri.

LVTHERANIS, Caluinianiſq; infenſiſſimis cohortibus obſidetur vniuerſa Linhartouiana ditio, vnde imminet perpetuò noſtræ agricolationi non aliqua modò labes, ſed vltima vaſtitas. Atque tametſi calamitoſa eſſe ſolet huic ſegeti Lutherana vel carbunculatio, vel pruina; præ Caluinianæ tamen peſtis atrociore clade, illa nō tam videri debet noſtrarum frugum calamitas, quàm calamitatis vmbra quædam, vel hebetior imago. Iagendorfenſis, ſeu Carnouienſis Principis, qui eſt Brandeburgenſis Electoris germanus, huic Satrapiæ vicina Tetrarchia tota merum Caluinum ſpirat,

exemplo, institutis, & auctoritate sui domini, qui Caluinicum virus, ingeniumque ipsum intimis combibit medullis; quorum hominum vt sunt mirabiles artes, studiumque inexhaustum, & incredibilis moliendi audacia obstinatioque, ad animorum instituendam corruptelam, nostris dubium esse neutiquam potest, quin ex tanta tam funestæ pestis vicinia, sibi sit grauis imposita necessitas pro suo grege attentiùs excubandi. Et certè ita excubarunt, vt, suis saluis manipulis, centenos duodeuicenos Lutheranæ factioni assectas detraxerint, ac nonnullos etiam Caluinianæ; sed vnum in primis, quo ductore, numerosæ paganorum cohortes, in Caluiniana gurgustia veneno potandæ, frequenter ventitabant; cuius nunc salubrioribus auspiciis ductuque ad Cõfessionis Sacra libentissimè adeunt. Eximiam par virorum nobilium nostri piscatores ad hamum suum cùm studiosè pellicerent, nihil fuit antiquius illis corruptoribus, quàm omni adhibita fraude prohibere, vti ne sincero Dei verbo inescarentur; sed eis vix ęgriùs vnquã fuit, quã cũ illi gemini primæ notæ pisces sua sponte capti, trahentis sequerentur linũ, & in eius manum prona voluntate concederent. Trãssiluanus miles, cædis compertus, in Linhartouiana ditione, nostros sibi adhibuit ad expiandum noxiis omnibus animum, vehementerque ab Linhartouiensi Dynasta contendit, vt sibi, capitis pœnas luituro deinde in Caluinianiritus oppido, Iesuitam summitteret, idonea præsidia inter cruciatus allaturum; sed noster ab illis Euangelicis homini-

minibus admissus non est, quantumvis rogante Satrapa, vt sibi ea gratia ingentis beneficij loco apponeretur. Eò deductum reum Ministelli adeunt in vinculis, nec latum vnguem exin discedunt ab homine, dum animam in suppliciis efflaret, quem licet mentiti eum ab Iesuita contemni, se autem, tantò potiores animorũ medicos professi, salutarẽ operã ipsi nauaturos, tantillũ de Catholica sentẽtia non demouerunt. Caluinianorum quàm proiecta sit audacia impudentiaque, in stabiliendo suo dogmate, vel per cuiuscumque impietatis, & sacrilegij apertam professionem, nostri Patres magno suo stupore frequenter experti sunt, cuius impudentiæ hoc vnum esto documentũ. Inaudierat noster de Caluiniani Prædicantis iactantia, & fastu frequentissimè, cuius concionantis erant illæ ferè perpetuæ assertiones; nõ Papistico ex more se, ineptis glossematis deprauatum, verbum Diuinum auditoribus propinare, sed purum putumque, vti ex Christi ore prodierat. Aureum purumque istud os Diuini eloquij, hunc cælestium oraculorum tam conscium, peritumque præconem, noster Sacerdos sibi conueniendum compellandumque ratus, vbi primùm eius facta est copia, ex eo percontatur horum Christi verborum, *Hoc est corpus meum*, enucleatam penitùs, sine vllo glossemate, sententiam; tùm ille Blatero intrepidè, tumidéque, quasi Pythia de Phœbi tripode, percontanti refert; Sub pane, vel in pane, vel penes panem, est corpus meum. Contrà noster, atqui abunde hic, inquit, & nimio plus glossarum est,

quæ nec Sacra Scriptura expreſſæ ſint, nec illius verbis vllo pacto nitantur; quinetiã eius, Chriſtique adeò ipſius, apertiſſimam ſententiam corrumpant fœdiſſimè. Hîc autem furcifer ille, vbi eum ratio verbaque deficerent, ex Caluiniano planè ingenio, ab impudentia, ſummaque impietate, qualecumque ſubſidium expetiit; atque procaciſſimè; Enimuerò quoniam olim Deus ignorauit, Ieſuitas cum Orthodoxis de huius clauſulæ ſenſu aliquando eſſe diſceptaturos, ei non venit in mentem ipſius vim enucleatiùs explicare, facturus alioqui, ſi animo prouidiſſet veſtras ea de re controuerſias, aliquamque ex iſtis voculis, in, ſub, ſuper, ſubter, ponè, penéſve, commentarij gratia, ſubditurus.

THESSINVM, in Sileſiæ oppidum, Ducatus Theſſinenſis caput, ab ineunte anno huius ſæculi decimo quarto, miſſi ſunt duo noſtri Sacerdotes, perpetuæ Miſſionis, quæ temporaria fuerat, inſtituendæ gratia, Theſſinenſis Principis rogatu; cuius conſilij noſtri vt vulgata eſt finitimos inter Catholicos ratio, tum illi pro ſuo in nos ſtudio, conditionem noſtram miſerãtes, acerbiſſima quęque cœperunt illo ex oppido nobis denunciare. Eorum ſcilicet plerique, ſuo incommodo ſæpius edocti, didicerant, quàm atroci odio oppidani Theſſinenſes in omne Catholicum nomen æſtuarent; cuius odij tantò infenſiorem acerbitatem aduersùm nos inde interpretarentur, quòd præſentibus noſtris, &, vt iactabant Hæretici, auctoribus, Princeps Lutheranos Prædicantes duos oppido

nuper

nuper exegerat. Cur porro nobis ab Theſſinenſi, paucis aduenis exceptis, prorſus Hæretica ciuitate, grauiter eſſe metuendum videretur, illa quoque ratio accedebat, quòd à Principis arce translatum erat Patrum domicilium in vrbanas ædes, & quidem ad vim defendendam adeò infirmas, vt, velut in mediis hoſtium caſtris, inermes perpetuæ maleuolorum pateremus iniuriæ, atque contumeliæ. Noſtri tamẽ haud ignari, intutum vſquam poſſe eſſe nihil, vel inter infenſiſſimos hoſtes, quod Diuinæ prouidentiæ tutela nitatur, proximique ſalutem ſua vita potiorẽ recordati, haud vllius deliberationis interpoſita mora, futuri domicilij, deſignata vrbis maleuolæ regione, locum capiunt, etiam inter petulantiæ militaris frequentia eo in oppido contubernia. Neque Deus de ſuo bene ſperantibus auxilio deeſſe voluit, maximè vbi ſuus in primis honos agebatur; Patribus ſiquidem ex prudentiæ præceptis conſilia ſecundùm Deum petentibus, omni ſcilicet adhibita ſermonis comitate, reique gerendæ cautione, nequa vſpiam exiſteret iuſtæ offenſionis materia, paucis Theſſinenſes deliniti, noſtros priuatim publicéque reuereri maximopere, atque amare cœperunt. Noſtræ igitur conciones æquiſſimis non modò auribus, ſed beneuolentiſſimis quoque animis, audiebantur, earumque exceptarum ille fructus fuit principio, vt plurimi oppidanorum errores ſua ſponte damnarent, quos paullò antè tuerentur obſtinatiùs; iamque tota vrbe illæ voces audiebantur, controuerſis capitibus reliquis nuncium

se facillimè remissuros, si vtraque species in Eucharistia sibi permitteretur. Quin eò res quoque processerat, vt plerique assererent, vnam sibi speciem videri, & esse satis, seque in ea perlibenter acquieturos; eius tamen singulatim vsurpandæ, nec esse, nec dici velle auctores, aut principes. quo fiebat, vt in eius Fidei, atque ritus, quem vniuersi palam ac singuli vehementer approbarent, participationem nemo vnus toto anno veniret, eo nimirum prohibitus metu, ne susceptæ in Religionum causa, mutationis cuiuspiam caput deinde proderetur, quod ignominiosum fore stolidi homines arbitrarentur. Sed, præter hanc metus stoliditatem, obseruatum etiam est, inter oppidanos vel omnes, vel plerosque, animorum conspirationem, sacramenti religione confirmatam, intercessisse, vti eorum nemo ciuibus suis ducem se præberet nouitatis in religionem inuehendæ; qua iureiurandi lege diutius vetiti sunt aliquot mendiculi, præmiis à principe prouocati, exsilij pœna etiam, ni parerent, territi, vt ne se paterentur ad Eucharistiam ritu Catholico sumēdam adduci. Exeunte itaque anno quinquagena tantùm capita, ex aduenis paucis, & illis conflata mendicis, Eucharistico epulo, ex Romana formula, excepimus, ciuibus vniuersis interim animo suspensis, dum quis ex suo corpore, ad audendum promtior, viam patefaciat Sacræ Hostiæ Romano more sumendæ. Per anniuersaria Dominici Corporis sollemnia, Principe absente cum vniuerso ferè Catholico conuentu, verebantur nostri, ne honori-

honorifica pompa circumuehendæ Euchariſtiæ deeſſet, magno rei Catholicæ probro: aut ſi eis copiis, quæ tùm adeſſent, ea inſtitueretur, ne alicunde ſeditio ab Hæretica factione, aliò auerſis Domini oculis, exiſteret. Cùm tamen ipſi Patres eius rei opportunam mentionem apud aliquos ciuium iniecciſſent, ſua quiſque regione vicos, compita, & forũ, feſta fronde conueſtierunt, frequẽtesque puerorum albatos choros, auro & argento radiantes, ſummiſerunt matresfamilias, quorum compoſita, longáque acie, ac vernaculo carmine Euchariſtiæ celebrantium præconia, Chriſto triũphanti ſplendor magnificentiaque longè maior acceſſit, quàm quis eſſet auſus eo loco ſperare. Quidquid autem per Religioſi Principis abſentiam ei triumpho deceſſerat, cùm ante octauum eorum Sollemnium diem reuertiſſet, ex votiua peregrinatione ad B. Mariæ Czaſtochouienſis in Poloniã, id ipſe tanto auguſtiore amplioreque apparatu, repetita die octauo eiuſdem triumphi põpa, magna Catholici gregis lætitia ſuppleuit. Cæterùm, quin ad alterius modò ſpeciei Communionem perducendi ſint, proximo quoque die, omnes oppidani, Patribus noſtris dubium vix eſſe poteſt, ſi huius adſciſcendi moris viam ſuo exemplo aperiat de ciuium proceribus aliquis; quo in negotio Princeps, vniuerſi Senatus ciuibus fructuoſam operam, ſibi non defuturam ſperat, quorum imitandorum auctoritate nemo ex oppidanis ad eiuſdem ritus Sacra continuò non ſit aditurus.

BOSCOVITIVM Morauiæ nobiliſſimum eſt oppidum

oppidum,sex milliaribus ab Olomucio, Boëmiam versùs, quò nos aduocauit eius oppidi Satrapa VVenceslaus Morkovviskius,Catholicæ Religionis tota sua iurisdictione instaurādæ gratia. Natus erat parente, Picarditici dogmatis æmulatore studiosissimo, iisdemque institutis perquàm accuratè imbutus, Viennam tamen puer nostras in Scholas missus,Grammaticæ præceptis informandus, sed domestico curatore insigniter Hæretico; cuius vigilantia, prohibendo ab discipuli sensibus Catholico semine,, tam efficax esse non potuit, eius vt radices tenaciùs non hærerent in puerili pectore. Quem sinceræ pietatis suecum libens hauserat puer, eum deinceps fouit studiosiùs, & adolescēs gustauit cum voluptate ac fructu,ac grādior posteà,quantumuis repugnāte genitore,quod interiore sensu occultarat de Romana Fide iudicium, expromsit intrepidè, Catholicumque palam omnibus, paucis annis antè mortuum patrē, professus est, nec ita multò pòst demortui quoque fratris hæres amplissimum nactus est patrimoniū. Boscouitianis erudiendis adhibiti nostri mox ad templorum cultum splendoremque reuocandum, quem Picarditę aboleuerant,conuersis studiis,cæteraque omni procuranda Catholici moris institutione, sensum pietatis in populo concitarunt, ex quo Romani ritus ac dogmatis penitùs percipiendi fructuosa sequeretur curiositas, & deinde studium eius amplectendi. Parando etiam solo, Catholicæ velut arationis & sementis,tanto molliori obsequētiorique,in pueritiæ ac adolescentiæ ani-

animis,Picarditæ Miniſtelli Gymnaſiorum procuratione procul abacti ſunt ; qua ſedulitate adhibita, quinquageni ciues, & in his nobili loco nati aliquot,paucis menſibus,ritus & Sacrorum communionem inter Catholicos ſibi adſciuerunt. *Capitaneus* more gentis appellatur ſummus tota Iuriſdictione magiſtratus, cui ſecundùm Principem cum poteſtate imperioque præeſt; quo munere fungebatur antiqua nobilitate, ſcientia adminiſtrationis, rerumque geſtarum gloria clarus vir, cæterùm natura ſeuerus, & aſper moribus, cùm eò venimus, cuius tamen haud laborioſa fuit expugnatio, quòd apertè oſtenſam veritatem non ex Hæretico ingenio auerſatus eſt, aut præfractè impugnauit, ſed agnitam continuò arripuit. Is de ſe, cum Catholicorum Sacrorum, & ingenij ſui etiam admiratione, libens frequenſque commemorare ſolet, quemadmodum cum natura eſſet ad fletũ minimè procliui, tamen inter obeundam apud noſtrum primam omnium Confeſſionem, ipſe in lacrymas ſolutus derepẽtè ita eſſet,pænè vt totus diffluueret. Pro ea verò prudentiæ ac grauitatis opinione, quantam ea omni plaga pridem nactus eſt, vti, nec leuitate animi, vel ignorantia, nec cuiuſquam adductus gratia, creditus eſt à Picarditis defectonem iniuiſſe, ita eius ad nos tranſitio maximis momentis eius populi animos ad Catholicam Fidem videtur incitatura.Per eos dies funeſtus caſus Viennenſi mercatori, Caluinianæ ſectæ, accidit, quem Boſcouititius Dynaſtes in memorabilium euentorum capite, ſuis ephemeri

meridibus consignatum, frequenter solet recensere, nosque quoniam eius testes fuimus, tantò certiùs memorabimus. Vienna mercium quidpiã Baronis iussu aduexerat, ab eoque quasi Catholicus, mensæ fuerat adhibitus, cùm exorto de Fidei capitibus sermone, damnatoque ab cæteris Caluinismo, ipse acriter illius partes tueri cœpit, vsque eò dum eum rationes, & verba deficerent. Tum verò caput suum deuouere, tertiumque ab illo diem optare sibi fieri extremum, nisi Caluinicum dogma cum recta ratione, atque illo Euangelio, cuius Christus esset auctor, penitùs conueniret; nostro autem Sacerdote, qui simul accubuerat, increpante hominis insanam exsecrationis formulam, is errore, ac studio Caluini amens, deuotionis carmen in se ingeminare tantò asseuerantiùs, atque audaciùs. Propiùs aberat ab homine sceleratè impiéque temerario Diuina vltio, quã ipse fortè cogitaret; qui postera die sub prãdium, vbi non comparebat in Dynastæ Basilica, ipseque percontaretur, quid eo factum esset, nunciatum est eum habere pessimè, multoque peius deinde sub vesperam; postridie autem constitit concubia nocte temere deuotam infaustæ morti animam efflasse.

CRVMLOVIENSE COLLEGIVM,

PERPETVATÆ toto anno conciones geminæ, Boëmica altera, altera Germanica, & cætera Hæreticis strenuè nauata opera, priore anno, de ipso-

de ipsorum corpore tricenos septenos; posteriore binos ac vicenos nobis, hoc est Ecclesiæ peperit, non pœnitendo in tam obstinatis ingeniis compendio; quodque à Boëmis impetrare arduum sit non minùs, quàm Herculi clauam excutere; hoc anno, quinis ac quadragenis; illo, quaternis & quinquagenis sacrum Calicem de manibus extorsimus. Ex his vnus, ætate grauis, ac auctoritate præcellens, annos iam multos pressam silentio hæresin, specioso retinendæ Vtriusque Speciei tegumento, callidè celabat, cùm in Catholicorum cœtu Diuinam Hostiam participaret, nostris eum frequenter exitialis sibi fraudis, officiique sui commonentibus, sed euentu semper irrito; quem tamen interpellandum sibi sumserunt, quoad obstinatam voluntatem conuellerent. Et suus denique constitit perseuerantiæ labor, vt is aliquando palam omnibus in templo, pro ipsa summa ara Sacerdotem nostrum euocaret, cuius ad genua procumbens, ipse se reum egit noxarum omnium, quibus à puero Numen læserat, quarum absolutus, animo iam planè Catholico, Cælesti mensæ accubuit, factum eius demirante, ac approbante vniuersa ciuitate: nihilo autem minùs ipso suum sibi facinus gratulante, ciuibúsque suis lucem, quam sequerentur, libenter præferente. Picarditæ cuidam ciui, ex grauiore valetudine lecto pridem affixo, incidebant diuinitus afflati quidam instinctus, Beatæ Virginis Caiouiensis, prodigiorum laude celebris, in roboris subsidium, & leuamentum morbi per preces adhibendæ; quam animi mo-

mi motionem, vt rem se indignam auersabatur, Sacerdotísque nostri, quem ea de re consuluerat, verba, de Magnæ Matris, in eo genere præclaris dotibus audire neutiquam sustinebat. Caiouium tamen ad Dei matrem excurrit, quo animo non constat; sed eum non puduit reuersum vxori asseuerare, longè sibi melius factum esse ab ea peregrinatione, ad Mariam Dei Parentem instituta; & quidem eiusmodi testimonium, erga se immeritum, beneficæ Virgini dedisse Numine adigente visus est, qui vt antea putarat impium tribui vim sanitatum Dei Matri, sic pòst redditam valetudinem Hæreticus tamen perseuerauit. Imperator, Imperatrixque, Boëmicæ gentis Comitiis, Budüicum proximam in vrbem edictis, Crumlouij tantisper sunt versati, geminúmque nostrum drama in vrbis arce spectarunt; quorum actores omnes Cæsar Imperatoriis vel rhedis, vel equis triumphantium specie, lituis, tympanisque pompa vniuersa concrepante, vltimo ex oppido in arcem traduxit; Imperatrix verò primarum partium adolescentes quinque muliebri cultu prodituros, suis manibus vestiendos comendósque depoposcit, eisque mirabilem dignitatem, & argumento maximè congruentem affinxit. Ex illustrissima Rosæensium familia, quæ Crumlouium olim condidit, huius quoque Collegij conditorem habuimus, Societatis amantissimum; cui deinde mortuo successit Hæreticus frater, is de cuius obitu priore Annali scripsimus, tantò ab omnibus Catholicis, & nostro in primis nomine alienior, vt

ea causa

ea causa nos excluderet attributis olim ab germano familiæ huic annuis quingentorum florenorum vectigalibus. Eius iniuriæ supplice libello admonitus ab Collegij Rectore Cæsar, beneuolentię in nos pleno Rescripto annuam illam pensionem Collegio deinceps numerandam edixit ab iis, qui Roseensium ampliſſimam hæreditatē gentilitatis iure adierant.

COMMOTOVIENSE COLLEGIVM.

SINE noxa cuiusquam de nostris, & tota ciuitate, circùm ipsasque Collegij ædes, & in nostris ferè penetralibus sæuiit pestilens virus priore anno, exstinctis duobus de pauperum contubernio, cui nos præsidemus. Quo amplior illustriorque per eam calamitatem offerebatur de Commotouiensibus bene merendi materia, eò insederat nostrorū animos alacritas maior deferēdæ illis suæ operæ, ac fortiter in malè affectos conferendæ. Verum partim ab insita ingenij duritie, partim ab errore, quem in eis studiosissimè fouent & Prædicantes, & earum partium capita, per nostros oblata sibi animorum subsidia neglexerunt; vt in tanto ciuium numero, septenis dumtaxat, operam nostram vel deposcentibus, vel admittentibus, vtiles esse potuerimus. Ab Luthero ad Christum octo translati, atque illi quidem non maiorum gentium homines, sed quod in Commotouiensi agro satis esse videatur, pro eo rerum statu, qui est in præsentia. Enimuerò Commotouien-

si cuipiam de Lutheri conuentu cum Iesuita collocutum esse, tam capitale sit, quàm parricidio manus inquinasse. vbi ad Prædicantes fama rei emanarit; cuius noxæ anno posteriore apud eos factus reus ludi magister tantum non suo excidit magisterio. Nihilominus, quibus arguti aliquid sub læua papilla micat, conciones nostras, frendentibus licèt Lutheranis Popis, palam adeunt, neque deest, quod obgannientibus ignauis canibus appositè referant, quo illorum os obducant; vt ea messis, quæ nunc hiberna in herba est, suam aliquando æstatem habitura videatur. Lecti sunt hoc anno manipuli ex tam infecundo agro non quidem plures, quàm priore, sed potioris notæ; nobilis siquidem matrona, ipsiusque filiæ aliquot, clari nominis miles, Hussita celebris, & supra hos capita deinde quattuor, Prædicantium iras & minas susque deque habentes, alacriter in Petri cymbam concesserunt. Quæ verò ansa non suppetit in vrbe operę in ciues conferendæ, tanto hęc luculentior in agro subministratur, ex circummissis oppidis pagisque, vnde terna hominum millia profecta, piæ peregrinationis nomine, ad Beatæ Mariæ Crupnensis, quattuor Sacerdotes nostros aliquando pæne obruerunt, tricenis licèt Sacerdotibus extraneis suppetias ferentibus, cum toto ex illo ingenti agmine vix vllus esset, qui non aliquem ex nostris Confessarium sibi deposceret.

DVXOVIVM vocati sumus ab illustrissimo VVenceslao Popelio, in oppidum ditionis eius, ad fines Boëmiæ, versùs Misniam, vbi libentibus oppidanis

pidanis, & paganis oppido finitimis, ea omnia administrata munera,& erga omnes hominum ordines, quæ huiusmodi excursionum sunt propria, nec maiore nostra, quàm illius populi totius voluptate, cui Dynastes ipse, coniux, & omnis omnino familia, illustri exemplo ad omnia pietatis officia præibat. SCHRECKENSTÆNIVM deinde, cùm pestilenti aura campestis regio afflaretur, secessimus, in editam supra rupes arcem, ad Albin fluuium, vbi eadem pæne concionum, exercitationumque cæterarum munera, erga Dynastæ amplam familiam, atque in Duxouienses oppidanos, obseruata sunt. Quæ disciplina vbi eò vsque tenuerat, dum sua sponte currentes in pietatis stadio Dynastę familiares, poterant ad tẽpus suę ipsorum tutelæ cõmitti, ac institutoris carere prędentia in vicina montiũ iuga degressi sunt ex arce nostri, suam quoque industriam siluestribus hominibus, cultura tantò egẽtioribus, cõmodaturi; vbi accidit peropportunè, vt ad maximè volẽtes, & attẽtos de Fidei rudimentis, loco & auditoribus congruẽs haberetur oratio, quattuor ex eo conuẽtu, prima tẽtatione, ad Ecclesiæ sinũ redeuntibus. Ex illis iugis in plana camporum, & frequentissima incolis oppida descensum est etiam, sed longè vberiore laborum compendio; nam, apud Austenses vulgatis sollemnibus Missionum nostrarum Indulgentiis, incredibile dictu est, quibus lætitiis incesserint Catholici, quamquam rari deinde ad earum fructum hauriendum Confessione se compararunt; non tam quòd plerique non vellent, quàm quòd

extra Pasca Confessionis mos eo loci nondum increbuerat, & longa eius rei desuetudo initij faciendi rusticanum pudorem plerisque omnibus inducebat. Ea tamen voluntatum propensio, qua publicè priuatimque nostri, eorumque habita verba ad populum excepta sunt, lucris etiam ingentibus est apponenda, quando in oppidanorum animis paratum est solum idoneæ deinceps culturæ inferendæ. Nam concionantibus nostris Hæretici frequentes sua sponte adfuerunt, & indicta magistratus imperio maximè sollemni omnium Ordinum, Tribuumque supplicatione, placando in pestilenti calamitate Numini, suam præsentiam Lutherani neutiquam illi subtraxerunt. His, eiusmodique aliis, & suorum excitatus emolumentis Popelius Dynastes, ordinariam suæ ditioni nostrorum Missionem à Præsidibus Societatis depoposcit, & obtinuit.

NOVODOMENSE COLLEGIVM.

QVATTVOR & quadraginta res suas, seque ipsos ad hæresin, velut ad tutissimũ portum, appulerant, quos commonefactos imminentis inde naufragij, retrò ad Ecclesiæ fidam stationem reduximus; quo de numero censentur & primaria Virgo, & Prædicans factionis Vtraquisticæ, qui eodem tempore bene viuere, rectéque mori nobis auctoribus didicit. Hunc criminis cuiuspiam peractum reum indicat huius anni decimi tertij commentarius, nosque reuocat ad eius rei memoriam ex pro-

ex proximo Annali refricandam; in cuius tamen anni Nouodomensibus capitibus nulla planè illius exstat vel Prædicantis vel criminis mentio. Compertum certè flagitij grauioris esse oportuit, cum eum sui pessimè habuerint ante supplicij diē, qui Prædicantium alioqui scelera dissimulare solent studiosè, atque ne, qua eorum fama in vulgus efferatur, omni cautione prouidere. Cui ergo capite luendum scirent, quod in leges admisisset, eum, suis sacris priùs exaugurandum Praga destinant ad summum Vtraquistici dogmatis Antistitem; ne qua scilicet labes ex hominis nefarij, non exaugurati, sanguine in suam sectam aspergeretur; atque vti hoc suo facto hebetis populi stolidam mentem infatuarent cumulatiùs, falso persuasi sacerdotium suis inesse Popis, quod eis illo ritu detraheretur, vindicatis interim ipsorum sacris turpiore ignominia. Eius porro exsecrationis sic habet ratio, vt in mystico fraterculorum conciliabulo, præsidente supremo Antistite, reus ex vinculis audiat coniecta in se acerbè ab obiurgantibus collegis probra omnium scelerum, quibus communes cum ipsis ordines turpissimè inquinauit; eisque maledictis pro rei grauitate exaggeratis; velut deradendo penitus Ordinis characterī nuper impresso, concerpuntur publicè, quas Formatas vocant, litteræ, quibus eius olim eruditio, probitas, ordoque commendabantur. Hac igitur, Vtraquisticæ germanitatis stirpitus exscindendæ nouacula velut desquamatum, delibratumque, suo gradu ac ministerio misellum Prædicantem,

ſuo exedrio, Pontificiaque curia, proturbant veteres Collegæ, Nouodomenſem in carcerem denuo raptandũ dedunt. Non aderant vincto ſui ordinis & ritus Prædicantes, qui conſolatoriam operam ægritudini leuandæ adhiberent; has igitur partes Orco legatus Tartareus Popa ſibi ſumit, libertatemque captiuo, ſi ſe audire velit, pollicetur. Ea igitur ſiue familiaris ſolatij deſtitutio, ſiue præſentis exitij formido, & ſalutis alea, cùm eius animum non leuiter affeciſſet, Sacerdoti de noſtris in cuſtodiam aduocato Cacodæmonis fraudem aperit, cuius mortiferas petitiones vti certiùs eludat, Sacri Agni poſtulat ſibi amuletum; quo inſtructus Tartaream belluam ita eneruauit, vt ſe illi præſentem ſiſtere non auderet, ſed procul ex abdito loco tumultus modò aliquid excitaret. Hoc aditu in eius animum patefacto, cùm noſter opportunè inſtaret, vt cuius ſummam vim ex re inter nos neutiquam primæ notæ, recèns, & ſuo ingenti bono perſpexiſſet, eius Fidei cæteras opes, numero & magnitudine ſingulares, & notitia & ipſo vſu ſtuderet ſibi facere cum Catholicis communes; cum principio non valdè repugnãtem habuit, ac paucis etiam diebus penitùs conſentientem. Quam in ſententiam vt ne quo ſe metu, errore, aut neceſſitate adductum Prædicans apertè demonſtraret, eius Fidei, palam, & ſæpius quidem profitendæ, quam toto animo eſſet amplexus, nullam non occaſionem ſtudioſiſſimè arripuit. Eò etiam operam contulit, & ardentiore quidem animo, vti Nouodomenſes ciues, qui ſe falſitatis doctore

ctore nuper à veritatis linea procul deerrassent, nunc se, salutarium dogmatum longè consultiorem magistrũ, audire, ac præeuntem sequi animũ inducerent; quã in sententiam vt eos pertraheret, vernaculi sermonis eloquentia, qua eximia pollebat, elaborauit, quàm fieri poterat, vehemẽtissimè. Quo autẽ ductus est die, vbi ad patibulũ ventum erat, audiente vniuersa ciuitate, ac peregrinis, qui numerosi confluxerant vndique, Catholicam fidem ex Tridentina formula perquàm alacri fortique animo professus est, vt quot Romani ac Hæretici ritus aderant auditores, testes haberet totidem, sue, in Romana sententia tuenda ad extremum vsque spiritum, constantiæ. Cuius Fidei, eius in mente haud leuibus vestigiis consignatæ, illud fuit argumentum luculentissimum, quòd, exspectando excipiendoque supplicio legibus imposito, æquitatem animi singularem, parémque fortitudinem prætulit continenter.

ANNO altero tribus ac viginti Nouodomensibus vel hęresin vel Sacri Calicis vsum dissuasimus; mulierem Iudæam Christianis institutionibus ad Baptismi sacra comparauimus; eius prolem, ipsa cupiente, salutaribus aquis imbuimus; tertio ab vrbe milliari, Hussitæi ritus oppidum adiuimus, vocatu Dynastæ illius loci, concionibus, cæteraque Catholica cultura imbuendum, vbi pretium operæ non leue habitum est, vt septena capita ciuium ad Christi sacrum epulum inducerentur, binaque ex iis Sacro Calice abstinerent, quod in ea gente sit planè prodigio simile. Monumentum

ſuæ impietatis Hæretici parietibus ædis ſacræ inſcripſerant, hoc eſt, eius diei memoriam, quo ſe Papiſticis, vt loquuntur, exſoluerant ſacris, quo ſuo facinore, vt omnium honoratiſſimo triumpho impenſius gloriabantur; quam felicitatem vt ſibi perpetuam à Deo precabantur, ita Papiſticum ritum, & Papam diris omnibus deuouebant, ſiquando quis animum adiiceret Romano ritui apud ſe inſtaurando. Fœdum illud Hæreſeos, ſacrilegia ſua prædicantis, elogium noſter Dynaſtæ ſignificauit obliterandum eſſe, vbicumque tandem fuiſſet exaratum; ſed ex eo maximè loco, vnde ipſi etiam Deo Hæreſis inſultaret: Dynaſta, vt Patrem audierat, confeſtim ſacrilegam tabulam abolendam curauit.

LABACENSE COLLEGIVM.

VT ciuibus fructuoſiſſima, ita Labacenſi Epiſcopo iucundiſſima cùm eſſet noſtrorũ omnis opera; quò pluribus prodeſſemus, nos bis priore anno vocauit Oberburgum, ad totius regionis promiſcuã multitudinẽ, feſtis Aſſumtæ ac Naſcentis Virginis confluentem, concionibus, & Pœnitentiæ Sacramento excolendam. Ad quaterna hominũ millia, cupidiſſimas aures concionanti præbentia, dictum eſt de hominis Chriſtiani officio tam vtiliter, vt omnis concio mox ad Confeſſariorũ genua conuolaret, vt iis audiendis frequentium Sacerdotum opera, duobus pæne diebus, & interiecta eis nocte, continuanda fuerit. In ipſa

porro

porro vrbe, ciuium frequentiæ ad Sacra, & conciones commodiùs laxiuſque accipiendæ, amplioris templi fundamenta iecimus, cuius determinandis finibus, ſacrandaque area, Labacenſis Antiſtes, pluuio quantumvis cælo, aliquas horas ſumma religione conſumſit, Ferdinãdus verò huius Collegij conditor, cùm ſui copiam facere non poſſet, inſcripto lapidi demittendo ſuas vices Siticenſi Abbati delegauit.

POSTERIOR annus familiam Labacenſem triplici multauit funere, ac earum quidem operarum, quæ gerendis rebus vtiles iam fuerant, vtilioreſque deinde ſperabantur. Martino Feldkirchen, Morauo, Adiutori familiarium rerum, duos & triginta nato annos, nouem in Societate verſanti, feliciſſimi exitus prima ſors obtigit, cum eum ex continenti & immodico labore permoleſta corripuiſſet Pleuritis, eamque mortiferam ipſe coniecciſſet, omniumque id primùm prouidiſſet, vt ſemel, iterumque vniuerſam vitam ad Sacerdotis aures excuteret: contraque medicorum ſententiam cætera adhiberet Sacramenta, non multò pòſt vitæ in ſtrenuis laboribus religiosè ac fortiter exercitæ præmia percepturus exceſſit. Septimo ab huius occaſu die Andreas Lanſcha, Labacenſis, ætatis quarto & viceſimo, tertio Societatis initæ, Pleuritide quoque abſumtus, ab docendi vltima in ſchola, & viuendi munere abſolutus eſt, paucis annis religioſiſſimi certaminis glorioſum, & virtutum palmis celeberrimum ſtadium emenſus. Patre autem Euſtachio Tunzlero quòd

per idem ferè tempus orbati ſumus,tanto eius deceſſus viſus eſt Collegij,Prouinciæque rebus alienior, quòd ipſius erant eximiæ, ſupra vulgarem notam, indolis, ingenij, eruditionis, Religioſique moris dotes, præſtãſque cum ab natura,cum ab arte mortalium animos conciliandi, quoque res exigeret, pelliciendi facultas. Vixerat annum quintum & triceſimum, inter Socios decimum ſextum, in Iſtria natus,cuius ad cæteram eruditionem, & trium principum linguarum notitiam,celebriora etiam Europæi generis idiomata corollarij loco acceſſerant; vt priuatim publiceque dicẽdi vtilibus de rebus expedita ſemper copia ſuppeteret, ingenti audientium emolumento. Magna ſpe illuſtrium rerum olim gerendarum Iſtricam Miſſionem attigerat, vnde affectũ permoleſta febri corpus retulit, iam debilitatum longiore alio, perdifficilique itinere, cum Praga huc contendiſſet: vt morbi violentia fractas vires tametſi fortis animus ad deſtinatos labores integrare niteretur, illæ in ipſo conatu hominem deficerent, ac,ſtudio nobilium coronarum præclarè currentem, in mediò ſtadio exſtinguerent. Vt quinque à pertinacia hæreſis tuendæ profitendæque demoueremus,non ſegniter deſudandum fuit; quòd genus prædæ his locis eiuſmodi eſt, vt propemodum æquare poſſit iuſti triumphi materiam. Sed in Hæreticis tamen cenſentur nonnulli,tametſi ſententia & ritu à nobis longiſſimè diſcrepantes, qui voluntate, ac beneficentiæ ſtudio nequaquam alieni eſſe velint; nam copioſa ex eo genere familia, integédis templi

pli noſtri geminis turribus, æris Cyprij maximam vim nobis liberaliter ſubminiſtrauit, acceſſionis loco adiunctis centum & quadraginta Taleris, ad eamdem ædem pleniore ornatu inſtruendam.

PLETRIACI hoc biennio toto Lutheranis ſocietatem renunciarunt octo, quorum vnus, genere nobilis, & opulentia clariſſimus, condonantibus noſtris, vt principio Catholica Sacra priuatim adiret, eam gratiam, vt ſua conditione indignam, aſpernatus eſt, profeſſus veri patris familiæ partes in rectè factorum exemplo potiùs, quàm in poteſtate ac imperio eſſe poſitas; quamobrem vt ne iis obeſſet diſſimulando, quibus omni ſua actione prodeſſe deberet, luce palam quæcumque Catholici hominis eſſent munera, in cõmuni æde vſurpaturum. Altero anno huius biennij deceſſit Georgius Bartolich, Slauus, domeſticæ rei nauus curator, duodequinquagenarius, vndeuiginti ſtipendiorum in Societate, quem Ariani Claudiopolitana Tranſſiluaniæ clade ſecuri contuſum, ruptis duabus in pectore coſtis, ſemianimem reliquerant, qua ex carnificina, quod reliquum ei vitæ, ac diuturnæ quidem fuit, in perpetuis cruciatibus tranſactum eſt, in quibus eximia Chriſtianæ tolerantiæ, cæterarumque virtutum documenta perpetuò edidit.

CLAGENFVRTENSE COLLEGIVM

LVTHERANA cauſa vicenos ſenos erroris ſui adſtipulatores anno priore amiſit, quo de grege

grege vnum sua vxor triceſimo ab hinc anno in baratrum impietatis ſecum detruſerat, ex quo ipſa deinde cùm ſalua emerſiſſet, non deſtitit virum reuocare, quem præcipitarat, dum illum quoque in ſalutis portum aſſereret. In multo ciuium torpore, ſingularis Scholaſticæ iuuentutis, frequenti eximiaque nobilitate florentis, emicat feruor tanto ardentiùs, quanto eis impenſior adhibetur cura, Numiniſque ſolet in hoc genere liberalitas eſſe cumulatior. Et verò Ferdinandus Princeps, cùm nos inuiſeret, hanc Deo ac Religioni, ſibique, tantum nobilium adoleſcentium numerum, tamque compoſitos ipſorũ mores gratulatus eſt.

ALTER annus manubiis ex Lutherano exercitu opulentior diſceſſit quadragenis militibus ipſorum ex acie, iuſto certamine, detractis, & quidem virgine ac viro nonagenariis vtriſque, nihil vt eſſet ampliùs, cur tranſitionem differrent, iſto præſertim & animi & corporis orbo luminibus.

EBERNDOFFENSIS SEDES.

CARINTHIÆ, Stiriæ, finitimarúmq; prouinciarum oppida & pagos, ſeu Labacenſis, ſeu Bambergenſis, ac Seccouienſis Epiſcoporũ iuriſdictioni obnoxios, Sacerdotes ſuæ Probationis triẽniũ exſoluentes, per eam ſilentij & quietis opportunitatem luſtrare aggreſſi ſunt, eiſque populis, vel Lutherana labe turpiter inquinatis, animorũ maxima ſubſidia importarunt. Expeditionum prima ſuſcepta eſt Pleiburgũ oppidum versùs, & in agrũ oppido finitimũ, quò Labacenſis Antiſtitis litterę,

in

in cuius ditione ille tractus est totus,quoniã erant antegressæ,nobis aduenientibus,apud Parochos & Vicarios prona cedebant omnia;indeque sequebatur plebis ad officiũ Christianum adducendæ summa facilitas. Nobilitatem principio minùs æquam experti sumus,abalienatis nõnihil ipsorum animis rumore quodam aduerso maleuolorum, non eius populi salutẽ,sed commodam sedẽ nostrorum coloniæ quæri,vulgantium;destinatã scilicet esse illã totius oræ lustrationem, priuatorum explorandis opimis prædiis,quorum possessionem ambiremus; sed eam calumniã facilè discussit nostrorum breui perspecta innocentia. Vbi autem publicè constitit, eam inuidorum fuisse criminationem, cleri, nobilitatis, ac plebis vniuersæ animus, tùm se in nos palam effudit maxima significatione beneuolẽtię, nemoque fuit de numerosissimo populo, qui nostrum aduentum sibi, vt maximè salutarem, non gratularetur; vt præter Catholicos, omni genere cælestium auxiliorum, duobus oppidis, pagis pluribus egregiè curatos, quattuor etiam Lutherani ab hæretica labe sanarentur. Ab istis ritè procuratis translata est opera in frequens incolis oppidum Carinthiæ Feldkirchium,ac eiusdem agrum,Bambergensis diœcesis,indeque in quaterna Stiriæ oppida grandiora,in Seccouiensi diœcesi,pari,ac maiore quoque oppidanorum compendio, vtroque Antistite per se ac suos nostrorum laboribus amãtissimè obsecundante; vbi ad cæteræ messis ingentes aceruos, ille quoque accessit cumulus vnius ac viginti Hæreticorum, Luthero ac Ministris eius

suas

ſuas res habere iubentium. Ab his oppidis in aliud *Sanctum Vitum* appellant, cùm demigraſſemus, ſeueriùs à Parocho ac ciuibus accepti, non niſi pro ara dicturi ad plebem admittimur, & quidem circumſcripta dictione intra breues quadrantis anguſtias; ſed felicior nobis, populoque iucundior & fructuoſior, cecidit ea conciuncula, quàm Curio futurum credidiſſet; vt ad eius dictionis auidas plebis aures, & primariorum deinde ciuium, ac Senatorum denique, crebriùs iterādæ fuerint conciones, adiunctis reliquis noſtræ conſuetudinis functionibus, tota confluēte ad nos ciuitate. Cum ad Hæreticorum conuincendos errores publicè aut priuatim conuerſa eſſet opera, omnium pugnaciſſimè nobis obſiſtebat coniuratus feminarum globus, ſacramento ſæpius iterato adactus à factionis principibus caput obſtringere, ab Luthero nulliuſe imperio vel auctoritate diſceſſurum; ſingulis funeſtiſſimas ſibi diras imprecātibus, ſi adamati dogmatis eiurādi principes vmquā exſiſterēt; vt palmaris victoriæ loco fuerit, quod tres illas ex coniuratione potuerimus diuellere. Audaciores in ſcelere faciebat, obſtinatioréſque, contumacis ſua ſponte ingenij mulieres, ſacerdotum nonnullorum ſacrilega perfidia, quorum flagitioſiſſimi mores ad omnem impietatem aperirent facillimum aditum, vti pecunia redemti à feminis, vtramque ipſis Euchariſtiæ ſpeciem clamculum porrigerent. Celebri Virginum Cœnobio noſtri, Sancto Vito digreſſi, appropinquabant, cùm eius loci ſeu de Clero, ſeu de Populo curatores omnes, aut ædi-

bus

bus suis tenere se, aut aliò dilabi cœperunt, Curio etiam morbo decumbere, cunctis inani terrore perculsis, venire nostros Pontificiis, Regiisque instructos diplomatibus, quibus eius regionis Sacerdotalia quæcumque prædia Societati attribuebantur; quo eodem metu percita Monasterij Antistita, hortatoribus maximè Sacerdotibus, nostros aditu prohibendos statuit. Ei mulieri sic animo affectæ, cum error auelli coram non posset, aliò deuertentes Socij ad tempus, litteris procul ad eam datis, rationem suarum expeditionum sic aperuerunt, ac probarunt, vt quos auersata esset, mox expeteret cupidissimè; quibus ex interuallo redeuntibus, illa Virgines omnes, ac se ipsam sacris institutionibus excolendam permisit, totos septem dies, de Monastica disciplina quotidie verba facientibus nostris ad vniuersum Cœnobium, singulisque priuato congressu necessaria præcepta suggerentibus. Vna dumtaxat Virginum excepta, reliquæ omnes, iteratis à prima pueritia Confessionibus, recoluerunt apud nostrum quidquid vmquam se admisisse meminerant, intimo pietatis sensu; inter quos animi motus, vberesque lacrymas, profitebantur vniuersæ illos se dies in summis suis bonis ducere, cùm tam salutari nostrorum opera fruerentur, quos vt Angelos sibi è cælo missos suspicerent. Hoc etiam gratior noster aduentus Virginibus omnibus obtigerat, quòd, auctore Deo, ipsarúmque annuente votis, nos eò destinatos arbitrarentur; cui supplices sæpenumero se fuisse meminissent, vti Sacerdotem de Societate

cietate ad se aliquando allegaret, cuius piaculari bene vsæ opera, pacem Superûm impetrarent, quietémque animo, ac salutem sibi deinceps asserent. Villacum Carinthiæ oppidum, Hæretici nominis nuper asylum, seditiosorum arcem, ac noui ritus augustissimum fanum, Bambergensis Episcopus, illius oræ Dynasta, duplici iam clade per immissum exercitum afflixerat, vt contumaces ciues, quà rationibus, quà ærumnis ad Catholicorum partes inflecteret; tertiámque calamitatem in scelere obduratis minabatur, cùm eò nostri sese appulerunt; vt consuetudine impietatis Hæreticæ occalescentibus Villacensium animis, & cladium exasperatis memoria; vix vlla spes melioris frugis inde affulgeret. Coniuratarum mulierum eius generis, cuiusmodi modò significabamus, tanta erat peruicacia, procacitas, & pœnarum à Principe imminentium aspernatio, vt eius sexus contumacia & ferocitas satis animorum facere videretur Hæreticę factioni, ad omnes eludédos conatus Antistitis. Ea verò Catholicorum manus, quæ ab Hæreticis diuulsa, paullò antè coaluerat, Principis reuerentia, & multæ metu potiùs, quàm Religionis studio, haud multò sanior vel sententia, vel moribus erat ea parte, vnde antè desciuerat. Quò autem minùs erga nos afficerentur, incertis auctoribus rumor increbuerat, Iesuitarum omnem esse tetricam, asperam, inclementem, ac superstitiosam rationem agendi, qui hominum mentes acerbissimis scrupulis enecarent, crudelissimamque exercerent animorum car-

carnificinam. Sua igitur sponte Villacenses iam auersi ab nostro more, his sermonibus sic alienati sunt, vt suas functiones nostris obeuntibus in sacra æde, mira esset ab oppidanis solitudo; vt nisi singularis quædam nostrorum industria exacerbatis mentibus deliniendis succurreret, summissusque à Principe vir pius ac potens, Aerarij Tribunus, sollertem strenuámque operam promouẽdo negotio contulisset, vacuis omni manipulo nobis ab illo agro redeundum foret. Sed post aliquãtum temporis, non vulgari arte ad conciliandos ciues adhibita, incredibilis facta est animorum conuersio, nullum vt argumentum testificandæ beneuolentiæ ac venerationis erga Socios à Villacensibus vsquam omitterertur, & mox conciones tota hebdomade auditoribus frequentissimæ, catecheses puerorum globis numerosissimæ, ac discendi studio flagrantissimæ obseruarentur. Confessionum, ante illud tempus, apud oppidanos vicanosque finitimos rara erat mentio, vsus etiam infrequentior; quo de argumento cùm accuratè nostri pro concione dissererent, audiebantur tota ęde gemitus testes impensi doloris animo concepti, vnde sequebatur acris noxarum in vniuersam vitam inquisitio, quam confestim exciperet diligentissimum studium Catholico more confitendi; quo in munere versati sunt quadruplo, aut quintuplo etiam plures, quàm solerent. Hæretici dogmatis nouitas, diuersaque ab Catholicis institutis sententia, nonnullorum animis ita lenocinabatur, vt in summis suis bonis ducerent hanc suam exi-

ſtimationem de Fidei capitibus ſingulariter ſentiendi, &, vt interpretabantur maximam gloriam. Tam inani, tamque peſtilenti ambitionis vento ſufflatas mentes cùm ſibi curandas ſumſiſſent noſtri, patefacto ambitioſæ opinionis errore, quaſi putridi abſceſſus in tumorẽ immiſſo ſcalpello, illam ſtolidæ inanitatis veſicam momento difflarunt, & quattuor ſupra ſexaginta de illo veſano cõciliabulo ad Catholicæ demiſſionis ſaniora cõſilia, velut in quietum portum, ſubduxerunt: ducentenos ac tricenos, qui hæreſi occultæ ſpecioſum Catholicorum nomẽ ſimulationemque prætenderent, ad Fidem glorioſo nomini conſentientem pertraxerũt. Ad illam porro diſciplinam, quæ inducebatur ex Eccleſiæ præceptis ac ritibus, acceſſit & alia ex legum ſeueritate aduersùs quoſdam refractarios, nequaquam leuis momenti ad compeſcendam peccati licentiam, indicta grauiore multa vetitos cibos venales habẽtibus, & vſurpantibus; cuius noxæ rei Senatores quattuor, præter cæteram animaduerſionem, Senatu quoque moti ſunt; aliquot alij eodem nomine octingentorum Florenorum pœna multati; vt vel hoc ſuppliciorum terrore inuitis conciliaretur mentis ſanitas. Miniſter ſex & quinquaginta natus annos, triginta ipſos magiſtrum erroris profeſſus, octauũ ab hinc de Catholico dogmate cogitarat, commotus lectione orthodoxi codicis; cuius veritatem dum ſtudioſiùs examinat, adhibita collatione Caluiniani commentarij, eodem argumento ſcripti, eò demum ex ea veri explorandi palęſtra eſt delapſus, vt ſi

ſus, vt ſi ſanus eſſe vellet, ſublata Fidei memoria, putaret ſibi credendum eſſe nihil. Hunc deinde noſtrorum auditæ conciones incitarunt, vt ab eis quædam de Fide percontaretur frequentiùs, quibus in congreſſibus errata ſua edoctus planiſſimè, poſt diſcuſſam falſitatem Caluinici codicis, qui dogma illud inſanum Bellarmini auctoritatibus conſtitui iactaret; multis lacrymis ſuam infelicitatem lamentatus, quòd pridem in tam peritum, planumque doctorem non incidiſſet, noſtro Sacerdoti ſe penitùs regendum multa canitie ſenex, & in Catholicorum corpus adoptandum, ſerò licèt, tradidit. Quod ſuum bonum cum vxore participandum cùm cenſuiſſet, illa & noſtrorum, & viri auctoritate ſe permoueri paſſa eſt, ſubſecutura pòſt paullò viri exemplum; de cuius inſtituto vt fama diſſipari cœpit, tota ex Carinthia concurrêre ſpectatores, quibus impensè demirantibus Sanctioris Hebdomadæ feria quinta, luce palã, ſacra in æde perpetuũ Anathema hæreſi pronũciat, tamque fortis propugnator Catholici ritus nunc perſeuerat, quàm impudens nuper fuit aſſertor Hæretici dogmatis. Hac veluti erroris colũna, & firmiſſima quidem, feliciter deiecta, Bambergenſis Epiſcopus, vti certè debuit, maximoperè lætatus eſt; tam celebri nimirum Prædicante noſtras in partes traducto, ac illo etiam non ignobilis Prædicantis filio, dubium nemini eſſe potuit, quin ad hæreſim profligandam planiſſima inde via ſterneretur. Hunc igitur ſemel iterumque accerſitum omni genere comitatis ac beneuolentiæ proſecutus, vltro ei detulit, quod

postulaturum nosset : quamque non peteret, frumentariam annonam bene amplam , perpetuamque ipsi liberaliter attribuit. Acerba quidem fuit labes , transitione huius Prædicantis , aduersariorum illata partibus ; sed plaga neutiquam leuiore causam eorum multauit nobilibus maioribus orta matrona,de illa coniurata sodalitate indigenarum mulierum , quam noster procaciorem in congressu expertus, placidè monuit , vt sepositò pertinaciæ consilio, de non adhibenda passim,& à quolibet vtraque Eucharistiæ specie , in templo se disputantem audiret. Vbi eius argumenti concionem excepisset , cùm multis lacrymis ad nostrum adiit, professa suæ obstinationi cumulatissimè satis factum esse, vt stipitem se dici oportuerit , nisi tanta vis,luxque rationum errorem ab se omnem depelleret ; quamobrem nihil se tergiuersari,sed in Catholicorum cœtum cupidissimè transire ; seque ad id impelli diuino quodam oraculo. Nam pridie quàm nostri suas in ædes venissent , candidissimas duas columbas in quiete sibi obuersatas, quas suis manibus cepisset ; se verò interpretari columbarum specie nostros designatos,qui se coruino atrore nigriorem dealbaturi essent , & Christo sponsam copulaturi. Ea de muliere vbi ad fœderatum nuper ipsi agmen illud muliebre vulgi sermonibus allatum est , in eius ædes prouolant, furiarum instar,de conuentu insaniissimæ quæque, ac in eam dicunt , & moliuntur, quæ impotentissimè bacchãtium furor suaderet. Quibus illa paucis , ac sedato animo in hæc verba retulit ; Quin

vos,

vos, sorores, eamdem mox initis viam, quam ego prima ingressa sum, vti vobis sequentibus præmunirem? An non satius è probi Sacerdotis manu, cuius integri mores cum sana doctrina consentiant, Christum ipsum sumere, quàm Vtriusque Speciei vmbram nescio quã ab nefario Prædicante? Nam quid attinet dicere, qua sint religione vestri Prædicantes, quos minimè pudeat, non suppetentibus hostiis, decisos cruda ex rapa orbes corporis Christi loco porrigere Eucharistiam cupientibus: quod ipsi tibi, (vnam certam eo de cœtu alloquebatur) ante biennium memini accidisse. Generoso quidem responso pia matrona tumorem furiosarum Mænadum contuderat, non molliuerat tamẽ peruicaces animos imitandi exempli datum salubre consilium; sed interpositæ ab Episcopo Bambergensi seueriores imminẽtium pœnarum minę, quantumuis refractarias mentes, ad officij iusta compulerunt. Expeditionis autem nostræ cùm terminus instaret, & profectionem adornaremus, adfuerunt de Magistratuum decuriis clarissimi quique, vniuersæ ciuitatis nomine, cum amplissimis muneribus, quæ magnopere admitti cuperent; publicè item scripta, exsignatáque accedebat auctoritas, omnium Societatis munerum rectè atque ex ordine à nostris administratorum, additis magna beneuolentiæ significatione, illustribus eorum elogiis. Testimonio suæ integritatis admisso, nostri cætera modestè remiserunt, morem Societatis mirantibus ciuibus, & abstinentiam donorum prædicantibus; qua moderatione ampliùs etiam

nobis conciliatos prohibere nequaquam potuerunt Patres, quin iidem Magistratus, adiuncta reliquorum ciuium turma, honoris gratia procul vrbe se discedentes assectarentur. Roma per eos redierat dies Bambergensis Antistes, Cæsaris missu legatione functus, cuius mirum est quanta lætitia perfuderit animum nunciata res Bambergensis longè lætior, quàm mente olim præceperat, vt agendarum Patribus gratiarum finem nullum faceret, quos perhonorificè semper habitos, eà etiã veneratione dignatus est, vt vltimo digressu, ad eius pedes cùm se abiicerent, pacem postulaturi, procumberet ipse quoque in genua, peramanterque amplexatus oscularetur. Eodem porro cùm reditum esset à nostris, atque illius plagæ Rectori, Vicedominum appellant, insedisset consilium hæreseos ab vrbe penitùs exterminandæ, adnitentibus suo more nostris, Rectore autem in contumaces exsilij pœnas seueriùs infligente, sumto initio à principibus matronis, nobilium virorum coniugibus, obstinatissima peruicacia hęresin tuentibus, cœpere ipsi etiam refractarij nostros interpellare, vt ipsorum disciplina Catholicis præceptis imbuerentur; quibus vesanum ritum eiurantibus, illæ quoque damnati fœderis auctores matronæ resipiscerent, atque omnis reliqua fæx hæreseos detergeretur.

VVOLFFSPERGA oppidum amplissimarum Satrapiarum caput, Bambergensis quoque Antistitis ditione continetur, frequens olim Episcoporũ sedes, in Lauantina Carinthiæ valle amœnissima

sima vberrimaque, stationem Hæreticis acceptissimam olim præbuerat, diutiúsque erat præbitura, nisi Princeps, Ferdinandus decimo sexto ab hinc anno, tenebrionum impiam legionem inde flammis abegisset. Sed insigni nequitia Parochi, quos inter Sacerdos pater filiusque, perditissimis vterque moribus, alter alteri suffectus, cùm deprauatam aliunde plebem regendam suscepissent, rudibus ab Christiana institutione ciuibus magistros se atque auctores ad omne flagitium obtruserunt, quorum scelere factum est, vt oppidani Catholici exiguo posteà discrimine ab Mahometanis distinguerentur. Eam vineam nostri frequenter sibi per litteras excolendã depoposcerant, impetratum tamẽ nihil erat ab iis, quorum maximè intererat, suas operas in eam culturam diligenter conferre, alienas non prohibere, sed potiùs aduocare. Quamobrem eò cum adiissemus, & seriò commonefaceremus Parochum, vti ne adspernaretur homines, suam in tanti momenti negotio deferentes industriam, de ipsius auctoritate ac iure nihil decerpturã, expressimus denique quod cupieramus, triduumque publico abstinentes, dum deliberamus vnde simus initium facturi operæ in ciues conferendæ; quo triduo suspensa consiliorum nostrorum exspectatione ciuitas mirificos de nobis, & summa varietate, sermones habuit. Ea tandem sententia placuit, vt ab concione illius agri colendi exordium caperemus, cuius ea frequentia fuit, quam laxissimi templi spatia non complecterentur, quocumque seu discendi, seu explorandi studiosa túm ducere-

tur; quod ſtudium ſi minus liberale fuit initio, certè poſteà in bonum vertit, nam eadem celebritatis ratio feſtis diebus perſeuerauit; vt ne autem profeſtis diebus paucitate auditorum eſſet in æde ſolitudo, quæ iure timebatur, Magiſtratus ſedulitas diligenter prohibuit. Aſſiduitate deinde catecheſeon & concionum, cum paucis diebus vehementiùs incaluiſſent ciuitatis animi, accenſis ſtudiis vulgò itum eſt in crebræ Confeſſionis, & Euchariſtiæ vſurpationem, inter quæ pietatis officia vberibus lacrymis obeunda, non ſibi temperabant ciues, quin amoris quodam æſtu ruerent in colla Patrum noſtrorum, quos peramanter amplexantes, ſuæ ſecundùm Deum, auctores ſalutis appellabant. Quod prodigij loco fuit in tanta morum corruptela, de illo populo terna millia, iis initiis, ſacram Pœnitentiæ tabulam inſcendentes, ex animorum naufragio emerſerunt; ducenteni tricenique ab hæreſeon ſcopulis in tutam Eccleſiæ ſtationem enauigarunt. Eò corruptæ vitæ licentia euaſerat, etiam inter Sacerdotes, vt eorum vnus, ſuper ſacerdotium Parochus, ſociam tori haberet publicè, atque ex ea liberos, cui, vt Curialium matronarum principi, dignum tam auguſta prærogatiua duxerat ipſe Curio Maximus, peculiarem ſellam, ab turba muliebri ſecretam, in æde collocare. Hic verò, quaſi de Aaronis ſtirpe aliquis inter Iſraëlis nepotes, Sacerdoti noſtro per familiaria colloquia ſacrilegum eius concubinatum obliquè perſtringenti, non eſt veritus Sacerdotalis caſtimoniæ religionem contumaci riſu eleuare;

uare; Canonum eas nuptias vetantium auctoritatem, quasi desuetudine abolitã, minuere; exemplo viri primarij de Clero, qui Romæ sibi factã coniugis potestatem, ritu Græco, assereret, suum factũ liberiùs tueri; matrisque familiæ societatẽ Sacerdoti, rustica prędia possidenti, necessariam affirmare. Posteà verò quàm noster omnem eius cauillationem rationibus dissiparat, seuereque sui officij admonuerat, crimen agnouit, cõcubinam procul ablegauit, & sobolem; & noster vtriusque, salutari piaculo Confessionis procurati, rationes in posterum constituit, vti sine noxa & offensione ciuium viuerent. Lutherana virgo, cùm Principis edicto sectarij ad Ecclesiæ Sacra adigerentur, Catholicam simulans cælestis agni epulis accubuit, exceptamque ibi hostiam, ex ore in chartam demisit, madefactamque concerpsit in minutas portiones, Catholico deinde nupta viro, factum suũ ei aperuit, & chartam tradidit. Vir ratus haud satis tutum committere huiusmodi rem Sacerdotibus, qui tùm aderant, parum prudentibus, minusque religiosis, sacrum thesaurum apud se reuerenter habuit, posteáque in nostrorum fide ac manu deposuit, quibus omni cura integritatẽ sacri depositi explorantibus, post vicesimum annum ab admisso sacrilegio, sacri pignoris omnes portiunculę deprehensæ sunt tabis expertes. In Venetiam quoque penetratum est, decimam olim Italiæ regionem, Hadriatico imminentem mari, *Taruisanam Marcham* nunc vocant, ab Taruisanis montibus, ac principe oppido Taruisia, in quo & aliis tribus

quattuórve, quidquid Hæretici nominis reſiduum fuit, quinquagena ferè capita Lutheranam perfidiam dedocta ſunt.

GLACIENSE COLLEGIVM.

ANNIS, inualetudine, ſed ante omnia meritis rectè factorum grauis, Antonius Catana, Formatus Coadiutor, anno priore ineunte ab hac Familia in cælitum ſocietatem demigrauit. Diſcipulorum prouehendis ad altiores facultates ingeniis, Rhetoricæ ſchola cæteris adiuncta eſt; dictũque ab adoleſcentibus in funebri pompa Chriſti demortui tam appoſitè ac efficienter ad dolorem ſimul & amorem conciendum, vt ipſi Hæretici dictionem omnem excipientes auidè palam profiterentur, nihil eiuſmodi piorum affectuum erga Seruatorem Chriſtum ab ſuis ſolere commoueri. Qui Prouinciæ cum imperio præeſt, gentis præcipuo vocabulo *Capitaneus*, tametſi ab ritu Catholico alienus, nullum erga Socios Glacienſes beneuolentiæ, ac benefactorum genus prætermittit, deque Catholicorum publico ita benemereri ſolet, vt Magiſtratus de ipſorum corpore Hæreticis Magiſtratibus libenter ſubſtituat. Hac gratiæ ipſius obſecundante aura Catholicis rebus felicem nauigationem polliceri nobis poſſumus, faciliorem-que Lutheranæ ſectæ noſtras in partes tranſitionem, vnde Romano gregi decem & ſeptem acceſſerunt priore anno, poſteriore ſex dumtaxat; ſed non vulgare tamen pretium operæ, cum Prædicantium

cantium exedriis circumsideamur vndique. Fundum nostrum Collegio continens vi vsurpabat multos annos nescio quis, cuius demortui hæres re aliena sponte cùm decessisset, destinatas pridem eo in prædio scholas exædificare cœpimus; in eamque fabricam Carolus Austrius, Vratislauiensis Episcopus, trecẽtenos annuos Florenos, donec imponatur operi fastigium, liberaliter attribuit; Hæreticis quoque studio & fauore id ædificium promouentibus in scholasticæ nostræ disciplinæ gratiam, quam nobis magnopere gratulantur.

Nissæ duo Socij apud Carolum Austrium, Vratislauiensem Antistitẽ, in Aula; duo in ipsa vrbe, solo sanequàm difficili vtiles posuerunt operas, duodeuiginti Luthero subductis asseclis; quodque non minoris sit negotij, tricenis ab Sacri Calicis vsu retractis: nam qui se ab eo sinant auelli, haud leuioris culpæ apud suos rei fiunt, quàm vt morte digni censeantur; adeò sibi persequendos eos ferro putant, è templo egredientes, si quid tale commiserint.

RATISBORIENSI Missioni ansam præbuit sceleratus Curio, ex Lutherana disciplina, in ganeis & lustris clamculum educatus, cuius clandestinis institutionibus trecenta ciuium capita Lutherũ egregiè combiberant, anteà in oppido incognitum; quibus tandem patefactis, audaciæ tantum insedit, vt Silesiis indultam facultatem Lutherani dogmatis assumẽdi, rem in hac vrbe prorsus inauditam, suo veluti iure sibi deposcendam putarent. Eò igitur aduocati quidam de nostris ab Vratis-

Vratislauiensi antistite, Carolo Austriaco, Augustanæ Confessionis recens exortam luem, & Vtriusque speciei veteres quosdam propugnatores, confutandos aggressi, Deum suæ doctrinæ adstipulatorem, vrbis verò Senatum industriæ fortem adiutorem experti, aduersariorũ partes haud modica labe affecerunt. Cum enim sectarij sibi sumsissent, vt Hæreticum Prædicantem repugnantibus Catholicis in vrbem inducerent ipso Pentecostes die, Senatus edicto portis triduũ occlusis, ciues interdiu noctúque in armis fuere, nec mediocriter Hęreticã compressere audaciã; quam pæne fregit, aliud deinde Senatus decretum, nostris auctoribus factum, vti ciues per suas tribus in curiam euocati, auitæ fidei tuendæ sacramento adigerentur; quibus adactis, trecentorum Augustana illa manus mox ad sexaginta rediit. Tertium quoque illud à prudente pioque Senatu accessit Romanæ Fidei præsidium, vt veterum vrbis prærogatiuarum, Cæsareo diplomate accersito, instauraretur vis & auctoritas, quarum vnum caput est, vt nemo Hæreticus, nec Vtriusque Speciei sectator, ciuium numero censeatur: quibus subsidiis firmata Religione, aduersarum partium vires animique conciderunt. Prodigiorum verò quoddam ab Deo profectum genus terruit Hæreticos, Catholicos in suo ritu magnopere affirmauit. Maioris Ieiunij primo Dominico die, noster pro Concione quæstionem de non attingendis vetitis opsoniis agitarat acriter, quo ipso die primaria matrona, æternæ Lutheri memoriæ pollucibiliter opsonatura, laniena

lanienã ſuis ipſa manibus inſtituerat domi, multæ bubulæ ac vitulinæ diſſecandæ ampla imminens ſecuri, quaſi eodem ferro Catholicã abſtinentiam, Prophetæ ſuo victimam, iugularet, concionatoriſque argumenta conuelleret; cùm ſecurim molienti deſubitò bracchium diriguit, conantique nihilo ſecius, quod deſtinarat, exſequi, epilepticus mox affectus toto inſedit corpore, qui atrociter vexatam biduo confecit. Alio die noſter Lutheranæ cœnæ ineptias, & inſulſam commentationem populo explicabat tam apertè, vt qui aderant eius aſſectatores complures, impatientia illatæ myſteriis ſuis ignominiæ, de concione palam ſe ſubducerent, vt feruido iure aſperſi canes; quorum duo maximè vbi concionatorem fœdiſſimis probris tota vrbe lacerauerant, fortè ſibi obuium in publico, quemadmodum in proximum profluentem demergerent, funeſta ipſi conſilia ita inter ſe agitarunt, vt facinus decernerent. Sed nocentes vltor Deus à tergo ſequitur; eodem certè momẽto vterque ardentiſſima & letali correptus febri, paucis diebus, nullo concepto noxarum dolore, infeliciſſimo caſu interiit, quorum alteri morienti ſedulam operam noſter, ſed irritam præſens detulit.

ZAGRABIENSE COLLEGIVM.

DECISVM de huius Familiæ corpore membrum robuſtiſſimum, vtiliſſimumque, cæterarum partium vires haud mediocriter imminuit.

Pater

Pater ſcilicet Ioannes Miſlenouicz, ob eximia virtutum decora ciuitati vniuerſæ iucundiſſimus, fructuoſiſſimuſque, Societati noſtræ perhonorificus; quò eum prouexerat Diuini honoris flagrãtiſſimũ ſtudium, & nõ minùs incenſa ſalutis animorũ ſollicitudo. Quantus verò æſtus amoris erga Deum atque homines ardebat in hominis pectore, tantũ fortitudinis ad profligandas quantumuis arduas prouincias, eadem caritatis illa flãma ſubminiſtrabat, vt quæ facinora ingentis cuiuſdam difficultatis formidine alij exhorreſcerent, ipſe arriperet cupidè, inuictoque animo vnus exſolueret. Diuinę gloriæ perpetuò ſollicitum animum, & in aſſidua quadam venandorum animorum indagine defixũ, nulli hoſtium, tota licet regione graſſantium, terrores vmquã prohibere potuerunt nocturna æquè & diurna peregrinatione, locis etiã formidoloſiſſimis continenter obeunda. Concionantis ex ore velut igniti globi, ex intimi pectoris ardenti quadam fornace promti, tanto impetu ferebantur in audientium animos, vt eo dicente auditor, odio ſui, & Numinis ſuccenſus amore, totus æſtuaret. Ei mortuo tota ciuitas piis votis lacrymiſque officioſiſſimè parentauit; funus quàm amantiſſimè ac honorificẽtiſſimè proſecuti ſunt, Ciuium lectiſſimi quique, Magiſtratus, Clerus; neque ſuam præſentiam funebri pompæ ſubtractam eſſe voluit Veſprienſis Antiſtes, qui tum in vrbe caſu verſabatur. Expeditionum aliquot in agros ſuſceptarum ſupra manipulos alios ea meſſis fuit, vt quinquaginta in Fide vacillantes, deſertionique proximi

mi roborarentur in eius fortiter retinendæ propoſito: quique ſaginata aluo venire conſueſſent ad nocturnas Naſcentis Chriſti vigilias, damnato veteri more, totum ante triduum piis exercitationibus exculti, & inedia domito abdomine ad Diuinas epulas ea nocte accumberent: ægrotis duobus pæne deſperatis perſuaſum Confeſſionis antidotum citam facilemque ſanitatem attulerit. Inſequente anno Zagrabiæ Lutherani toxici virus ex intimo pectore duobus & triginta expreſſimus, in quibus fuere aliquot viri nobiles, ac de ciuibus homines honorati, quorum error pridem latuerat, ſed eum audiendarum concionum vſus expromſit: in iſtorum quoque ſocietatem captiuus Turca venit, Baptiſmo inani Circumciſioni appoſito.

LINCIENSE COLLEGIVM.

PRIOR annus totam hanc Familiam grauiori valetudine conflictatã, reliquis Sociis demum conualeſcentibus, trium Sacerdotum funere multauit, primùm quidẽ Patris Valentini Klinckardt, Fuldenſis, annorum vndequadraginta, ingreſſi Ordinem noſtrum decimo quinto ab hinc anno, cuius cætera opera vtilis, triennium verò totum fidelis exſtitit, in huius Sedis adminiſtratione. Patri Ioanni Kadlouio, Niſſæ in Sileſia nato, ſecunda ſors obtigit, anno vitæ altero & quadrageſimo, impetratæ Societatis decimo tertio, cui & traditæ

traditæ in Scholis Humaniores litteræ, & Procuratoriæ functionis, aliquot locis obitæ, Religiosa ratio, vtilis operæ inter Socios nomen pepererant. Pater Henricus Dregenus, Vvestphalus, vnum & tricesimũ ætatis annũ in viuis degens, & in Societate decimũ, dum iuuẽtute sanctis moribus ac litteris imbuenda occupatur assiduè, studioseque, ad laborum stipendia in cælum aduocatur. Seu turpes vernæ, geniti seruis parentibus, in Lutheri familia, seu fœdo mancipio in eamdem ære libráque suo ipsorum vitio adsciti duodequinquaginta in Ecclesiæ sanctam libertatẽ asserti sunt, posteàquàm conditionis suæ indignitatem eis patefecimus; tres è vinculis, imminentibúsque scelerum suppliciis, nostra opera exemti sunt. Altero anno, iis, quos nunc recensuimus, duo plures Luthero sectatores extorti sunt; celeberrimi, & amplissimi Cœnobij disciplina pæne funditus collapsa, omnium primo Antistite sacris commentationibus per quindecim dies exculto, in antiquum splendorem, magno plurimorũ bono, est restituta.

PASSAVIENSE COLLEGIVM.

LEOPOLDVS Austriacus, Ferdinandi frater, cùm huius sæculi anno vndecimo Passauiensis Sedis infulas iniret, pro eo quantum Societatem amauit semper, & coluit, indignum fore suo in eam amore putauit, nisi eodem tempore Sociis ac sibi perpetuam domum Passauij collocaret.

Antiquius

Antiquius ergo nihil habuit,quàm vt ex quinquagenis Florenorum millibus,quæ Ferdinandus frater ipsi annua patrimonij nomine numerabat, coemto fundo perpetuum caput annuarum mercedum Societati, loco idoneo, constitueret, quo ex capite terna Florenorum millia vectigalis annui futuro Passauiensi Collegio penderentur. Quem fundum vbi emerat, Societatique emtum attribuerat, Ferdinando, & reliquis duobus germanis conscriis auctoribusque, suo, fratrumque signo munitas emtionis tabulas nostræ Prouinciæ Præsidi,cũ plenissima suę in nos beneuolẽtiæ prę-fatione, in manus dedit, optionemque fecit deligendæ tota vrbe areæ domicilio nascentis Collegij excitando.Quoniãverò dum,exædificantur nobis ædes, voluit nos esse Passauij, suam interea Basilicam bene amplam, & instructam,Sociis cõmodauit, vt ne qua munium Societatis exercendorum mora ipsi, & ciuitati fieret; quamobrem eiusdem anni Martio exeunte, septuaginta non amplius coëuntibus discipulis, duæ sunt omnino institutæ scholæ, in quibus docendi exordia caperemus; quibus scholis, insequenti anno, aucta iuuentutis multitudine, duæ superiores aliæ accesserunt.Dirutis eodem anno vetustarum ædium parietinis, positisque nouarum fundamentis,strenuè cœptum est ædificium nostrum promoueri, vrgentibus nostris negotium non ardentiùs,quàm ipso Principe optimo, cui rerum Societatis cura suarum studio vix potest esse posterior: cuius prouinciæ administratio assidua duodecimum & se-

quentem ab sexcentesimo annum bene operosum habuit, animorum verò tota vrbe, egregiè Catholica, sicut facilem nostris operis laborem, ita laboris fructum locupletem peperit. Proximo autem ab illis anno, ex Passauiensibus Collegis decessit vndequadragesimo vitæ anno, vicesimo quàm Socius nobis esse cœperat, Pater Gaspar Franck, Silesius, Rhetoricæ hoc anno institutæ Professor, cuius breue illud, sed honorificentissimũ proditur elogiũ; Viua fuit totius Familiæ Religiosè viuendi regula; qui suam operã docendo, concionandoque cum Societati diu commodarit, non potuit, ex ea virtutum officina proficiscens in externos labor, non eis esse maximè salutaris. Ex Principis ædibus, splendidis quidem, sed nostræ rationi parum opportunis, demigrauimus in longè commodiores, nostroque vicinas ædificio, cuius tertia portio cum absoluta sit, & reliquarum acceleretur opus, proximum est vt in eas cum scholis, vniuersoque instrumento, transeamus.

HOMMONENSE COLLEGIVM.

GEORGIVS Drugethius, multarum illustriumque Satrapiarum in Vngarico regno Dynastes, nobilitatis antiquitate, auitæque Fidei studio, inter sũmos regni proceres celebratissimus, instaurando, ab Caluiniana vastitate, per Hommonensem dit ionem, Catholico ritui, quinquennium totum Hommonæ apud se aliquot de nostris

ſtris habuerat. Quòd autem Fidei Catholicæ ampliùs ſe debere crederet; quàm vt illatas ipſi Caluiniano ſcelere plagas in præſentia modò obligaret, futura vulnera non prohiberet; perpetuum ei præſidium Hommonæ, valido expeditoque milite inſtructum, collocandum ſtatuit, aduocata Sociorum Familia, quam Catholicæ militiæ arci, quotidianiſque ex illa expeditionibus, præficeret. Vetus Monaſterium ſolo æquauerant Caluini aſſeclæ, ſacram Monaſterij ædem ſuperſtitem pecori ſtabulando addixerant; qua æde repurgata, ædificioque in Cœnobij ruinis inſtituto, Societatis Collegio domicilium deſtinatum, ſumma Dynaſtæ cura cœpit aſſurgere, incredibili Catholicorum voluptate, Caluinianorum, & Schiſmaticorum, quibus hîc nihil eſt frequentius, mœrore nõ diſpari. Exactis tota regione bene ampla Miniſtellis, quòd cæterorum Sacerdotum vix adhuc vlla ſuppetit copia, noſtri Patres in vicis pagiſque Curionum vices interim explere ſolent, perlubentibus ruſticanis, ſuamque conditionem, præ illa, quæ ſub Caluinica tyrannide, ignorantia, & inſulſitate fuit, cum multo gaudio anteferentibus. Tenebrionum huiuſmodi oratio quàm ſit hebes, quàm nullius roboris ad ingenerandos in animis auditorum pietatis, pœnitudinis, cæterarumque Chriſtianarum motionum ſenſus, vel vna meretricula potuit diſpicere, quæ illis monitoribus ad reſipiſcẽdum momenti cùm nihil hauriret, delapſa deinde ad noſtros, vbi ſeriò ſuarum partium eſt commonita, ſua ſponte in triennium ſolidum, per

ternas cuiuslibet hebdomadæ ferias, aridum panem ac frigidam, iisdemque diebus ieiunium non sibi modò indixit, sed certorum quoque dierum verbera, & bene magnum precum, ac peregrinationum numerum, quorum omnium obseruantissima etiamnum perdurat. Mille, quadringentis, triginta & septem, aut Caluinismo, aut Ruthenico schismate illigatis, funesta detracta sunt vincula, vni etiam Turcæ Mahometismus excussus est. Batskores, Ruthenici seu Russiani Schismatis Sacerdotes sunt, singulari omnes ignorantia, quæ deprehenditur ex ingenti stupore illius plebis, quæ ipsorum diuturno magisterio docta est nihil omnino sapere, cuius sūt apud nostros de suis, magistris graues querimoniæ, quoties suam ipsi altissimā rerum Fidei peregrinitatem exprobramus. Eius generis Sacerdotum ducentenis plures sunt in Hommonensis Satrapæ ditione, quibus auctoritate Pontificia præest, qui Munkazio in Cœnobio celeberrimo Basilianorum Caloierorum, sedē habet, idemque Munkazienſis Episcopus appellatur, quocum frequentes nostris intercesserunt congressus, vt is cum vniuerso Clero suo ad Ecclesiæ Romanæ communionem adduceretur, sed euentu in hunc diem irrito. Eo igitur descensum est, cum alia nulla suppeteret eius communionis iungendæ ratio, vti Dynastes Hommonensis appellaret eius controuersiæ disceptatorem, Russorum Vladicam, hoc est Ruthenicarum partium Archiepiscopum vltima ferme in Russia degentem; quem Ecclesiæ Romanæ sententia & volun-

tato

tate coniunctissimum, nemo dubitaret Munkarienſibus Ruthēs ſocietatem cum Catholico nomine facilè perſuaſurum. Hic eſt ille Vladica, Societatis noſtræ amantiſſimus, Athanaſius Krupetſky, Præmiſlienſis Antiſtes in Ruſſia, de quo ſuperioribus Annalibus ſcripſimus in Sede Prȩmiſlienſi Polonicæ Prouinciæ, qui Comitis Drugethij litteris ad hanc conciliationem inuitatus mox è Ruſſia Hommonam aduolauit. Eius nec conſpectum nec aduentum ſuſtinuit Munkarienſis Epiſcopus, conſcius ſibi noxæ cuiuſpiam; citati nihilominus Baſiliani omnes Caloieri, Ruthenique Sacerdotes reliqui, Vladicæ rationibus & auctoritate adducti iurarunt in nomen Romani Pontificis, id vnum modò veteris moris ſibi reſeruātes, vt Græcanico ritu Sacris operari liceret. Cœnobium Religioſa nuper diſciplina florentiſſimum, ædemque Cœnobij Magnæ Matri ſacrā, quotidianis pæne prodigiis illuſtriſſimam tertio ab Hommona milliari, Caluinianus aliquis, de gente Drugethij Comitis, odio Catholici nominis euerterat funditus, populariumque ſollemnes peregrinationes ad illius ædis ruinas indicta pœna vetuerat; ſed cùm nullius ſupplicij metu coërcita plebis Fides ingentibus venerantium agminibus ſacri loci veſtigia celebraret, longè vberiore cæleſtium munerum fenore cum officioſis Clientibus beneficentiſſima Patrona certabat. Hommonenſis igitur Dynaſta, & fouendæ indigenarum, aduenarumque religioni, & ſuæ in Cæli Reginam magis magiſque declarandæ, in ipſis ædis afflictæ

ruinis, miraculorum quoque crebritate ac magnitudine inclytis auguſtum Virgini templum anno ſuperiore inſtaurauit; quò ex Polonia, Ruſſia, & longinquioribus etiam prouinciis, huius ſæculi anno quarto decimo, ipſis Pentecoſtes diebus, affluxerunt Virgini piè ſupplicantium tredecim millia, ſub vexillis mille quingentis, & ampliùs. Eò cùm anteceſſiſſet ſingulari erga Virginem religione vir, Vladica, qui Hommonæ adhuc verſabatur, ſubſecutus eſt deinde Comes, cui appropinquanti totus ille ſupplicantium exercitus, inſtructa ſub vexillis acie, gratulabundus venit obuiam, cum multa grati animi ſignificatione, & commemoratione meritorum, ob reſtitutam tam ſancto loco religionem, & cum religione dignitatem, Sacrorumque Diuinorum auguſtam maieſtatem. Is erat Pentecoſtes ſacer dies, quo poſt rem diuinam menſa Comitis acceptus Vladica narrabat, pridie ſibi ad Virginis ædem venienti, cùm vno abeſſet milliari, ſpeciem elegantiſſimi templi, purpureis parietibus, & coruſcantibus, in ſereno cælo eſſe oblatam, quo ſpectaculo ſe attonitum, id comitibus oſtendiſſe, comitéſque eiuſdem prodigij ſpectatores fuiſſe. Interpretationem eius oſtenti, aliud alij coniectantes, ex aliquo euento ſuſpenſi præſtolabamur, vnum in primis veriti ne quis aduerſus caſus Eccleſiæ prænunciaretur; quem ille ipſe dies, neque multò pòſt eam horam, nobis indicauit. Conueſtiendis ad maiorem dignitatem, religionémque interioribus ædis, Vladica ſericæ veſtis & argenteorum vaſorum bene magnam copiam

piam à Comite ſumſerat, rectáque in templum à menſa venerat, vt præeſſet ædem ornantibus, ſuáque ipſe manu ornaret, quo munere vt tanto expeditiùs quietiúſque defungeretur, tumultuantem turbam tantiſper iuſſit è templo faceſſere, foreſque occludi. Erant in aduenarum Ruſſorum agminibus ſacerdotes aliquot, nuper Schiſmatici, quibus etiamnum dolebat, Vladicæ imperio ſe ad Romani Pontificis communionem adactos; cuius rei nonnulla facta mentione inter turbam, vbi ad pronas aures accidiſſe ſua verba obſeruaſſent, Vladicæ cœperunt liberiùs maledicere, indigenas monere, indéque hortari, ne tam graue iugum ſinerent ceruicibus ſuis iniungi. Illo temerarij ſermonis flabello in circumſtantium indigenarum animis ſuſcitata mox eſt odij ac iracundiæ flamma in Vladicam, & ex eo quod tum gerebatur in templo clauſis foribus, quaſi ex funeſta indigenis coitione, captata eſt ſeditionis occaſio, itumque eſt tumultuosè ad ædis valuas, & inſolentiùs poſtulatum, vt eæ recluderentur, ſineretúrque populus religioni operam dare. Quòd non aperirentur eueſtigio, ſed vrgentibus reſponderetur, non eſſe abſolutum negotium, cuius cauſa eſſent obductæ; moræ impatientia, & iracundiæ impetu, ad portas moliendas ſe furioſorum manus conuertit, iiſque reuulſis, ferro in Vladicam, eiuſque comitatum, graſſari cœpit. Tranquillo animo, comi vultu, atque oratione ferocitatem æſtuantis turbæ delenire cœperat Epiſcopus; cùm verò ſibi manus intentari ſentiret, ſuæque familiæ, vim ferro defen-

denti acerbissima quæque à furente turba imminere aduerteret, quà eniti potuit, in sacrarium se abdidit, sed vbi per fenestram à circumfusa multitudine telis atrociter impeteretur, lædereturque. Domesticorum vnus aliquis, ægrè, cùm se subduxisset parricidarum manibus, euadit ad Comitem templo iam fortè appropinquantem, nunciátque quantum periculi Vladicæ impendeat, nisi sacrilegorum manu iam occubuerit. Comes cum armata satellitum manu accurrit in ædem, ferro sæuientem turbam indigenarum momento dissicit, templo exactos prehendi, & in vincula trahi grassatores iubet, Vladicam saucium è sacrario recipit; cuius illa prima vox ad Comitem audita est, qua rogabat, vt suæ innocentiæ violatoribus ignosceretur. Latronum sanguinaria illa factio, quòd sceleris conscientia, & militaris cohortis, immissæ à Comite, perculsa metu in proximos montes siluásque concesserat, ad Vladicam reconciliationis studiosum retrahi non potuit; is ergo, cætera multitudine in propatulum aduocata, vehementi, animíque plena oratione sui facti rationem eam reddidit, quæ magnopere ab auditoribus probaretur; cùm verò perquàm hilari fronte, humanissimísque verbis pronunciaret, se omnibus, quorum iniuria læsus esset, Christi causa, lubentissimè noxam remittere, tum certè vniuersæ concionis mirificè exhilarauit animos, ac sibi conciliauit in perpetuum. Ab eo sermone Comitem & nostros in ædem ipse cùm intromisisset, certum locum suo, ac familiaris Sacerdotis cruore aspersum indicauit,

dicauit, tum hæc Latinis verbis effatus cùm esset, sanguine fundata est, sanguine assurrexit, & diffusa est Ecclesia Dei, sanguis, inquit, hic meus testis est, erítque posteà, quanti mihi steterit communio cum Catholica Ecclesia, cuius nomine deliberatum mihi est, ipsam etiam vitam inter cruciatus profundere. Hinc ab omnibus summa itum est alacritate ad vespertinas preces sollemni ritu concinendas; cuius alacritatis ea vis fuit,& pietatis contentio in omni multitudine,vt totam insequentẽ noctem,posteræque lucis dimidium continentibus precibus in æde traduceret. Cuius suæ constantiæ, & ardoris, religiosus in Dei Parentem populus id præmium merito suo tulit, vt quaternis cæcis lumen, totidémque mutis vocem, per eos dies suarum precationum feruore impetraret.

VNGVAR est arx, arcique substratum oppidum, Hommona celebrius, & incolis frequentius, in alia quadam Satrapia Drugethij Comitis, vbi Caluinianæ luis multæ ac fœdæ reliquiæ, quibus detergendis Sociorum duo vtiliter occupantur, vicenis quinis ciuium ab ea colluuie in hunc diem exemtis.

BRVNENSIS PROBATIONIS Domus.

BIENNII huius altera pars ex Hæreticorum corruptela integritati Catholicæ octogenos ternos alumnos Brunæ peperit, centenos, hisque plures altera. Picarditæ Ministri petulãtia nobilis

matronæ animum offenderat, quòd Diuinæ potentiæ multum in concione detraheret; vnde ab eo, & dogmate quoque abalienata, nostrorum institutionem in Fidei rebus expetiit, secundùm quã Catechesin morbus in eam inuasit, qui ad vltima deduceret, quam ægrotationem non sunt veriti Hæretici asseuerare Picarditici ritus neglecti esse inflictam pœnam diuinitus, eoque importuniùs matronæ instare, vt rediret, vnde discesserat, si exemtam se grauiore supplicio cuperet. Diuturnæ fuerunt cohortationes istiusmodi, sed inanes apud feminam constantis animi, quam ingraueſcens in horas valetudo admonuit, vt se nostris permitteret Catholicis initiandam sacris, & eo quidem tempore, vt Pœnitentiæ ac Extremæ Vnctionis animo eius adhibita fomenta decumbentis occasus continuò excepturus, quinetiam antegressurus putaretur. Præter tamen omnium spem, ab ipsa Sacra Vnctione derepentè melior longè facta est, ac non ita multò pòst penitùs conualuit; quod beneficium sanitatis vtriusque memori gratoque recolens animo, Deo acceptum referre perseuerat, & secundùm Deum Societati adscribit. Anno priore Collegis tribus orbati sumus, totidemque Tironibus; omnium quidem primo Patre Petro Torrentio, septuagenario, huius Domus Rectore, Vota quattuor professo, inter Socios quadragenario. Eximia in homine morum sanctitas, quam impensè venerarentur extranei quidam, vitæ integritate clarissimi: singularis in præsidendo suauitas, prudentiaque incredibilis; vexationum corporis

poris grauium, perpetuarúmque tolerantia tanta, vt in dissimulante vestigium vix appareret cruciatus, licèt acerbissimi; arctissima cum Deo, & Cælitibus, assiduáque familiaritas, & quæ his virtutibus aliæ dotes comitari solẽt, hunc verò magnũ virum inter domesticos externósque prodiderant. Leonardi Puchler funus haud longo deinde interuallo subsecutum est, cui sexagenario, quinque ac triginta annorum in Societate, rem domesticam strenuè geréti, nequaquã inopinata mors obrepsit, sed longè antè, ac semper præuisa; quem nimirum operi licèt intentissimum, perpetua comes assectabatur animi summi tranquillitas, testis vtique hominis ad omnes euentus rectè comparati. Pabulum huic quieti iuge subministrabat pia, inter faciendum opus, cælestium rerum commentatio, quæ maximè operoso laboris omnes leniret, abstergerétque molestias, & in summa corporis animíque contentione summum conciliaret otium. Petro Grosfoto, Vallisliensi, curatori quoque rei familiaris, sexagenarium supergresso, par quoque fuit in grauioribus laboribus, morbique cruciatibus, mentis ab rectæ vitæ conscientia iucunditas, cuius hilaritatem in sedecim annorum assidua fatigatione curandæ Fabricæ, non domestici magis, quàm extranei demirari solebant. Eius in ore numquam pium exaruit canticum, quod inter opus frequentaret, si aberat arbiter; quod mussitaret, si testis aderat; sermonum verò de cælestibus rebus, vel audiendorum, vel miscendorum, sitis quædam ardentissima in eius animo insidebat,

& ea

& ea quidem perpetua. Voluntarias corporis vexationes eo impetu animi obibat, quo feruentiſſimi quique ac validiſſimi Tirones, qua ætate, ac fractarum virium ærumnis, octauo ante obitum die, verberibus dorſum in cœnaculo acriter cecidit, prædixítque ſibi eam vltimã diuerberationem fore, quaſi præſagiens inſtare ſibi obitum, qui ex præcipiti caſu ei paullò pòſt accidit. Operis neſcio quid curabat in recentis ædificij ſummo tabulato, cùm fallente pedem ſubſtrato ſolo, præceps in terram ex loco ſublimi corruit, ſuóque pondere grauiter humi afflictus vtramque coxendicem ſupra genu fregit, letali ſecundùm ceruices inſuper accepta plaga; quo infortunio multatus, vbi ſe collegerat, ex incuſſo ſtupore toto vultu priſtinam hilaritatem prætulit. Viginti dies illi ruinæ ſuperſtes fuit, in perpetuis & atrociſſimis cruciatibus, quorum immanitas nihil vnquam aut inſitæ ſerenitatis ex vultu, aut æquitatis ex animo illi decerpere potuit. Ex Tironum familia duorum prior deceſſit Daniel Kragius, Danus, quarto & viceſimo ætatis anno, menſe decimo octauo ab inita probatione, quem longiore vita dignum ſingularis virtus, litteræ, ingeniúmque præſtans, & ab his dotibus ſpes cumulatiſſimæ frugis, oſtendere videbantur, niſi ſatius multo eſſet, optimè mori, quàm incerta exitus conditione, diutiſſimè viuere. Alter Ioannes Nouakh, Sileſius, altero & viceſimo anno, quàm occœperat viuere, quinto menſe quàm in Nouitiis cenſebatur, magna item ſui exſpectatione concitata, tranquillo

genere

genere mortis solutus est, quam mortem ipse præsagierat, & sodalibus in Tirocinium secum adeuntibus ita denunciarat vt inter eam significationem pleniſſimæ gaudio lacrymæ vberiùs eum perfunderent.

* * *

PROVIN

PROVINCIA RHENANA.

EAMILIIS vicenis quaternis Socios quingentos vndequinquaginta priore anno censuimus in Rhenana; posteriore quingẽtos vndeoctoginta vicenis quinis domiciliis: Collegio Coloniẽsi binos tricenos toto biennio; vicenos octonos, aut tricenos singulos Treuirensi: Domo Probationis eiusdẽ vrbis octogenos singulos priùs, posteriùs sexagenos quinos: Moguntino sexagenos senos aliàs, alias ternos his ampliùs: vicenos, & vicenos singulos Spirensi: Herbipolensi quinquagenos binos, ac etiam quaternos; senos vicenos modò, mox quoque quinos & tricenos Fuldensi: Heiligenstadiensi vndeuicenos, ac vicenos; quaternos & tricenos, posteà singulos & tricenos Molshemiensi: Confluentino vndeuicenos: binos ac tricenos primùm, deinde quinos & quinquagenos Paderbornensi: Monasteriensi vicenos quaternos: vicenos binos, aut quaternos Hildesiensi: Embricensi singulos vel binos vicenos: vndenos, duodenosque Aquensi: Bambergensi nunc denos

nos nouenos,mox vicenos ſingulos: Vvormatienſi vtroque anno denos : nouenos Hagenoenſi: Erfurtenſi Sede vel ſeptenos , vel octonos : ternos Bomienſi : Aſchaffenburgenſi quaternos : binos Miſſione Sanctenſi : Eſſendienſi binos : binos, aut quinos Mappenſi : quorum Sacerdotes tum centeni octogeni quini , tum iis ampliùs ſeni : Magiſtri octogeni bini quaternive : Diſcipuli octogeni,aut paullo pauciores:Domeſticæ operæ adminiſtri denique fuerunt centeni triceni ſepteni, vel his tredecim frequentiores. Quo de vniuerſo corpore integrum biennium vicenos quinos abſumſit, ac ferè quadruplum eorum loco reſtituit.

COLONIENSE COLLEGIVM.

ALVMNOS octo Societatis Tirocinio peperit hæc Familia,duos ex ſuis anno priore cælo donauit, Ioannem Theodorici , & Conradum Hungenium , vtrumque ex familiaribus Operis, ac ætate grauem. Prior ſeptuagenarium exceſſerat , vixerat in Societate annos quadragenos , & his ampliùs , ac eos omnes ingenuæ ſummiſſionis erga vniuerſos Socios,obſequij in Præſides,auſteritatis in ſeipſum , aſſiduorúmque laborum gloria inſignes,nec minús orandi ſtudio,vt ad terminandum Religioſiſſimæ vitæ ſtadium vna optanda videretur mortis felicitas,quã ei quoque liberaliter Deus impertiuit.Sexageſimũ annum alter propè attigerat,vitæque duas tertias Societati ſicut fi-

fideliſſi

delissimè, ita vtilissimè commodarat, vt virtutis tam diuturnæ, tamque accuratæ, conscientia freto nuncij mortis graues esse non possent: quos nũcios, adeóque ipsam mortẽ, ei stupor Apoplecticus attulit. Hæretici dogmatis inter se pugnantes, & impias sententias, vbi nobis earum interpretibus dispexerunt euidentiùs septuaginta, sibi penitus consentientem, & sanctam, Ecclesiæ Romanæ Fidem auidiùs amplexi sunt, quorum in numerum venit Anglus, Academiæ Cantabrigiensis Doctor Theologus, Regíque Britannorum à concionibus. Ei humanarum diuinarúmque litterarum apprimè perito frequentes erant in manibus de Fidei Controuersiis Catholicorum commentarij, quibus studiosè volutandis hausit in multis capitibus Catholicam sententiam, itaque defixit in animo, vt publicè, quoad pateretur loci conditio, Romani dogmatis fundamenta stabiliret; Catholicorumque vel metu, vel ignorantia fluctuantes mentes in veteri proposito confirmaret. Hoc vsurpando instituto cùm tamen ea quies non affulgeret, quã spe præcepisset, migrandum sibi omnino putauit è Britannia, vt liberior cum Catholicis viris congressus certo limite se in rectæ Fidei claram apertamque lucem induceret, ad quam, tenui dumtaxat fulgore deprehensam, ipse sibi dux, & magister esse non valeret. Regio igitur, per caussam curandæ apud Spadana balnea valetudinis, expresso commeatu, in Britannicæ Principis, Palatino Comiti per eos dies nubentis, comitatu profectus venit primùm ad Spadanas aquas, & inde Colo-

niam

niam, vbi noſtris ab nobili viro Britanno commendatus, paucis quibuſdam explicatis capitibus, de quibus ambigeret, facilè perſuaderi ſe paſſus eſt, vt ex Tridentina formula, ſectarios exſecratus, Catholicum palam in templo profiteretur. Ex eo die non deſinit amicos & notos, in Regia Britannica relictos, priuatis ſcriptionibus docere ac cohortari ad eamdem inſpiciendam & amplectendam lucem, quæ ſibi copioſa inueſtiganti affulſit: luculentum intereà parat commentarium earum rationum, quę ſe non inuitarint modò, ſed adegerint etiam, vt in Romana Eccleſia ſalutem ſibi quæreret, quam mortalium nemo alibi nanciſcatur. Caluiniana mulier, pertinaciſſimi animi, in tuendis ſuæ ſectæ pronunciatis, curioſiùs penetrarat in ædem Capuccinorum, ſtudio noui concionatoris audiendi, vnde poſteà inter confertiſſimam turbam non patuit exitus, cùm ſub concionem cœptum eſt fieri ſacrum, quo nihil eius oculis animoque odioſius poterat obuerſari. Loci ergo ac rei neceſſitudine cogitur inter Catholicas mulieres in genua procumbere, ac earum exemplo, aræ, Diuiniſque myſteriis, quam minimè vellet, adhibere venerationem; & tum quidem maximè, cum Sacra Hoſtia ſupra verticem ab Sacerdote ſublata, circumſtantibus adoranda proponeretur. Porro inter eam Chriſti corporis elationem, nec Sacerdotis ſurrecta bracchia, nec ipſius reliquum corpus, tametſi valdè ipſi propinqua, Hæretica femina diſpicere potuit, ſed eius loco ei ſe obtulit vultus hominis cuiuſdam, eo habitu, quem ipſa non

posset exprimere, sed cuius aspectu grauissimè cõcuteretur, vnumque suo pauori superesse remediũ crederet, si euestigio ad Sacræ Pœnitentiæ confugeret ancoram. Domum suam certè vbi se receperat, multis cum lacrymis, acerboque fletu. marito asseuerat, nec cibi nec potus quidquam se priùs adhibituram, quàm ritu Catholico apud Sacerdotem omnes noxas expiauerit: quare ad nostrum aliquẽ perducta diligentissimè recognouit quidquid vnquam deliquerat, ac deinde Cælesti epulo recreata, mox ardens imbibit Religionis Catholicæ studium, in quo lætissima perseuerat. Peregrè quoque itum est ad finitima oppida, in quorum vno quattuor Hæretici, quattuordecim in alio nouum Lutheri Euangelium veteri ac Romano commutarunt: duobus perillustribus Virginum Cœnobiis, quorum alteri præfuerant Hæreticæ aliquot Antistitæ, alterius iuniores Virgines hæresim docebantur, & Religiosa disciplina, & sana Fides opportunè admodum sunt restitutæ.

Alter annus duos item Collegas huic Familiæ subtraxit, quo tempore ipsorum opera domi erat fructuosissima. Patris certè Martini Thomei, quinquagenario haud multum maioris, alterum & tricesimum stipendium in Societate merentis, & tredecimum inter Spiritales Coadiutores, tum exemplo tum reipsa Sociis extraneisque vita erat apprimè vtilis, pro eo quantum eximiis virtutum laudibus insigniter eminebat. In hoc laboriosæ vitæ stadio fortiter constanterque decurrentem violenta mors intercepit, copioso sanguine per

fauces erecto, ex antegressa vehementiore tussi, qui affectus eum viribus & anima triduo exhausit. Stephanus Ruperti, sexagenarius, Collegij opsonator, vbi fortem fidelemque operã Societati nauarat triginta & sex annos totos, œconomicis rebus administrandis, quasi nunc primùm negotiosæ procurationis palæstram ingressus, cùm opus vigeret ardentiùs, vt suæ conditionis hominem decebat, in operosa contentione occubuit. Horum duorum vacuã loca non leui compendio impleuerunt adolescentes sedecim, omnes ferme ex Marianis lecti manipulis. Epicurea ganea nihilo saniorem sanctioremque Lutheri disciplinam, admonitoribus nostris, agnouere duodeseptuaginta, qui nec momentum putarunt sibi hærendum in ea vitiorum sentina, quam rectis moribus ac Fidei exitialem senserant. Essendiensis Monasterij Antistita in Principibus Imperij censetur, ampla ditione, clientelarúmque numero ac nobilitate potens: de cuius Cœnobij dignitate multùm proximis annis decesserat, quòd & oppidani Essendienses, & illustre Comitum Collegium, adeóque ipsæ Antistitæ nonnullæ dogma Hæreticum amplexatæ fuerant. Quæ verò proxima post illas Cœnobio præsederat, nobilitate præcellenti, parique religione femina, ingentibus animis exorsa Fidei, disciplinæque Monasticæ instaurationem, nostros eius consilij adiutores euocarat superiore anno, vt nunc indicabamus; cuius præclarè cœpta præproperus interpellauit occasus, nostrosque tãtumnon Essendio exturbauit, oppido toto acriter fre-

mentibus Hæreticis, vt Iesuitæ, importunum genus hominum, mox dimitterentur. Interim ab vniuerso Virginum Collegio itum est in suffragia legendæ Cœnobiarchæ, conspiraruntque omnium sententiæ in designandam eam Præsidem, cuius vnius auctoritate ac gratia res nostra per eos dies stabat; tum illius, & nostra studia strenuè conuersa sunt ad Catholicum dogma stabiliendum, restituendamque Religiosam disciplinam. Cui negotio ne qua mora iniiceretur, vti assolet, ab ipsis domesticis, ex ipsius Antistitæ, seu Principis familia exacti omnes Hæretici, quos multos adsciuerat superiorum annorum corruptela, recèns autem demortua Princeps, victa iniqui temporis códitionibus, tolerauerat. Exinde Principis familiæ bonorum morum vsus, ædi splendor, veneratio sacris, odeo psalmorum cantus, idonei pastores curiis, sacra tractantibus sui muneris religio, populo rectè sentiendi agendique scientia, felicibus exordiis est inducta; quæ nimirum omnia Lutheranæ petulantiæ diuturnus dominatus aboleuerat. In alia quinque Monasteria inuaserant Hæreticorum manus, vberioris prædæ cupiditate, in quibus exstinctam Hæretico afflatu religionem, exsuscitauimus, postquàm eorum possessio ad Catholicos rediit. Antistitæ nuper demortuæ testamento septingenti Cæsarei Taleri, pensionis annuæ, nobis sunt attributi, ad perpetuam Sociorum Sedem Essendij collocandam, vbi nuper ædes in eam rem coemtę sunt ab Cœnobij optima Præside, cuius singulari fortitudine, industria, & pie-

tate

tate speramus Lutheranismum breui hac vniuersa plaga exterminatum iri.

TREVIRENSE COLLEGIVM, & Probationis Domus.

ALterum tantum iuniorum Sociorum nostro corpori adiunximus, quantum veteranorum extulimus, sed iacturæ dispendia non satis æquante fenoris compendio; nam tametsi ratio accepti numero maior; expensi tamen potior æstimatione fuit, pro eo nimirum, vt Triariorum Velitumque militia longè est dissimillima. Patrem Henricũ VVerh, Vota quattuor professum, quattuor annis sexagenario maiorem, quarto & quadragesimo anno quàm in Societatem venerat, letalis morbus otiosum deprehendere non potuit, occupatissimo tamen, Sanctioris Hebdomadæ diebus, tanta vi se intulit, vt ex æde, audiendisque confessionibus detraheret, ac quinto die acutissimis laterum doloribus conficeret. Summa in vrbis æde concionatorem assiduum agebat, quantumque ab ea opera residuum ipsi erat temporis, Virginum Cœnobiis maximo Religionis sensu instituendis, cæteraque animorum procuratione vtilissimè transigebat. Incenso studio Religiosæ disciplinæ propagandę, pietatisque in omni hominum genere exaggerãdæ, illi iugiter animus ardebat: atque vti vehemens in eiusmodi certamine illius erat contentio, par quoque insidebat constantia, & in frangendis

grauissimis quibusq; difficultatibus animi magnitudo; quæ ipsum facerent plurium insigniumque victoriarum compotem. Patri Sebastiano Clemēti pestifer afflatus certos mortis nuncios attulit, ipso Christi scandentis in cælum die, cuius admonitu vbi seipse Sacra Hostia, eo nomine sepositа, communierat, sponte secessit in suburbanum, ne qua contagionis labes ab ipso in cæteros Socios dimanaret, quo in secessu reliquum breuioris vitæ traduxit eo ardore Diuini cultus, qui sollemnis ei semper fuerat. Annos decem vixerat in Societate, iis ingenij, eruditionisque clarus dotibus, quarum opimæ fruges olim exspectarentur, vel eò maximè quod in hominem, Theologicis, Philosophicisque doctrinis, ac variarum linguarum cognitione apprimè instructum, confluxerant singularis animi demissio, parque obsequendi studium, ex quarum præceptis omnem actionem moderaturus, nihil non laudabiliter gesturus videretur. Ioannes Schmidt, Faber Murarius, triennium quidem inter Socios nōdum expleuerat, cùm decessit, sed hac paucitate annorum ea se Religiosarum virtutum copia instruxerat, quæ nostra non modò militia, sed cælesti etiam domicilio dignum ostenderent. Mulier, violati pudoris impatientia, voluntaria morte infamiam illius labis sibi eluendam statuerat, eoque nomine de summa ædium contignatione semel iterumque se deiecerat, Dei Matris prius implorata ope, qua ex duplici ruina cum incolumis superfuisset, tertiò summa domus conscendit, vt maiore vi præcipitans corpus elideret,

nec

nec multum abfuit, quin grauissimè afflicto ad pauimentum capite, in ipso sceleris vestigio interiret; sed ei, licèt immeritæ, vitam in eo discrimine seruauit Dei Parens; nostraque opera factum est, vt deinceps nollet insanæ fortitudinis existimationem perpetua ignominia, & æternis cruciatibus emere. Pestiferum Lutheranæ luis spolium exuerunt quindeni siue hoc, siue posteriore anno, quo vtroque vt minùs multi, minusque frequéter nos suis animis adhiberent, fecit perpetuus pæne ciuium toto triennio secessus, pestilitatis funesto halitu Treuirenses vel inuitos suis ædibus exigente.

Emissi ex Tirocinio in finitimos agros Catechistæ magnum ardorem in suis auditoribus cócitarunt frequentandarum eiusmodi dictionum, quarum auditione non eruditiores modò, sed probiores fieri se animaduerterent, vt suis magistris abeuntibus vltro pollicerentur, tam vtilis doctrinæ, ab illis haustæ, altè in suis mentibus, ac perpetuò hæsuram memoriam. Euangelicæ porro sementis, opportunissimè per vicos ac pagos ab Catechistis disseminatæ, famã magnis præconiis rusticani longè latéque dissiparunt, vt eius deinde rei multa mentio fieret inter Senatores Treuirenses, atque Consules, Senatus autem suum Decretum interponeret, de allegandis aliquot Senatoribus ad Collegij nostri Præsidem, qui Curiæ nomine vrbanis templis Catecheses Interpretes ab eo postularent, quibus adhibitis, auditorum cõcursus tota ex ciuitate factus est, qui etiamnum perseuerat. Fridericus Busch, domesticæ rei Ad-

iutor Formatus, primo ac vicesimo anno aditæ Societatis, vitæ autem quadragesimo quinto, finem viuendi fecit, cùm eum Domus hæc, strenuè ac constanter administrando munere, iam quindecim annos fructuosissimum sibi experiretur: ciuibus verò non vtilè magis quàm iucundũ modestia, comitate, religione, ac probitate singulari, qua Societatis decus tuebatur egregiè, omniumque hominum conciliabat gratiam. Paderbornensis Probationis Domus instituendæ gratia, ex hoc Tirocinio missa est duodetriginta Nouitiorum colonia cum suis Præsidibus, vti Rhenanæ Prouinciæ sua esset aliquando virtutis ac Religiosæ disciplinæ officina, in qua candidatos Societatis adolescentes nostri moris Tirocinio imbueret.

MOGVNTINVM COLLEGIVM.

MAGNIS cladibus inter Moguntinos grassante pestilentis afflatus labe, nos intactos seruauit Diuina Clementia, non tamen omnino funerum expertes, quando Patrem Ioannem Michaëlis Apoplecticus stupor triduo exstinxit, quo in morbo feliciter est consecutus, quod sæpissimè in vita diuinitus sibi concedi obsecrauerat, vt ne diuturna ægrotatione Sociis molestiam crearet, atque ante obitum fieret Sacramentorum particeps. Duodeseptuagenarius occubuit, quattuor & quinquaginta stipendiorum in Societate, tria Professus Vota, concionum insigni plausu, & pari

fructu

fructu per tricenos continentes annos celebris, Heiligenstadiensis Collegij olim fundandi auctor Danieli Principi Electori, cùm eius ditiones, in eiusdem circumeuntis comitatu lustraret, ac Diuini Verbi semente conspergeret; quam deinde lustrandi prouinciam, magno annorum interuallo, iterũ in aliis satrapiis fructuosissimè, cum Adamo Principe, Danielis propinquo & successore administrauit. Octoni adolescentes ex huius Collegij palæstra, & in his Artium Magistri sex, sufficiendæ nobis stirpi, atque operarum supplemento, in locum demortui venerunt. Licentioris vitæ perniciabili auctoramento in Statiuis Lutheranis exitialem militiam militauerant duo & septuaginta, atque inter eos aliquot viri principes, qui se mortis sacramento nobis exauctorandos tradiderunt.

FVIT & posterior annus vnius funere parum felix, exstincto Michaële Krull, Herbipolensi, altero tricesimoque anno ætatis, cùm in Theologico stadio processus haberet non vulgares, sed in Religiosarum virtutum puluere haud modico maiores. Ei vita omnis exacta ex Instituti norma, summam animi tranquillitatem pepererat, vt de suo decessu verba faceret, quasi de re sibi familiarissima; lentæ autem ac diuturnæ tabis molestias, quæ stomachum funditus vitiauerant, tam pacata mente ferret, vt eas vix vmquam sensisse, aut etiam aduertisse, putaretur. Quot anno superiore ab importuoso hæreseon oceano enauigarunt, totidem quoque insequente, duo nempe ac septuaginta sa-

lutarem tenuerunt stationem Ecclesiæ: neque veritus est in hanc scapham Prædicans vnus pedem ponere, vel inter eos, quorum mentes, vicenis & quaternis annis totis, in vltimos errorum scopulos impegerat. Is postea quam fateri coactus est in rebus Fidei longissime se alucinatum fuisse, nostris suasoribus Diuinarum rerum commentationes aggressus in abdito, ita eis permotus est, vt mox ad sollemnem exsecrationem hæresis magno ferretur impetu, seque vsurpandis ritè Sacramentis incredibili voluptate perfundi sentiret. Oppidanus miles legendo Veteri Testamento Iudaismum ita imbiberat, vt insana ambitione Iudæum palam profiteretur, coniugemque ac liberos templo, precibus, sacrisque Christianis prohiberet, ac si posset, oppidanorum familiares & amicos in eamdem errorum nassam indueret. Quadriennium iam hæresin professus, nequidquam auocantibus à tam fœda noxa Magistratibus ac notis, cùm iussu Principis Moguntini raptus in vincula, indeque in Quæsitorum consessum adductus, Iudæum se venditare ausus, & asserere, iucundissimum sibi fore hoc nomine illatum qualecumque supplicium, quo sibi, Martyris videlicet corona inclyto, cælum mox patefieret. Diu seduloque laboratum est à plerisque, vt ne in quo plus cæteris mortalium sapere sibi visus esset, in eo contra sapientũ omniũ sententiam, & Ecclesiæ præsertim auctoritatem, diutius insanire vellet: quæ vbi nihil mouebant obstinatum hominem, Moguntia euocati sunt auxiliarij manipuli ad contundendam insani capi-

tis

tis duritiem. Venit inter eos vnus de nostris, qui ab arbitris eum seductum ardenter rogare insistit, vti ab Iudicum consilio, damnationis formulam mox pronunciaturo, aliquot dierum inducias postularet, quibus eius animo fieret bene, discutiendis errorum tenebris, quæ ipsius imbecillam mentem inuoluissent: sed tum ab eo nihil impetratum est, qui sibi gratularetur, pro recta religione tuenda, impendere supplicium, quo ei nihil posset obtingere fortunatius. Eò quoque inuocati accurrere duodecim Prædicantes, veluti cadaueris odore afflati totidem vultures, quorum coruinam vocem nec ad aures admisit Iudaismi æmulator, sed conuitio ab se procul cum multa indignatione adspernatus est: Egóne, inquit, vos pecudes audire sustineam, posteà quàm Sacerdotis Iesuitæ rationes precesque contemnere potui. Imminebat misero supplicium, cuius ipse præ multa insania horam vrgebat, vti quæ se triumphantem sacris Martyrum globis esset inuectura: cùm noster, vt extremo malo, vltimum inusitatumque remediũ adhibendum censuit: quare ad vesanum illum conuersus, graui vultu, ac seueris feruidisque verbis; Ego, inquit, pro te miser, meâ salutẽ deuoueo, meque ab supremum iudicium exercente Christo pœnis omnibus mactandum addico, nisi, quam tu amplexus es doctrinam, ea falsa est, atque ad exitium via; quam autem te doceo, ea certissima est, in qua vna sita sit mortalium salus. Ad tam acrem, tamque liberam Sacerdotis contestationem, quam reus ex incenso amore profectam non ambigeret,

emolli

emollitus, exuit derepēte veterem illam duritiam, iudiciumque ampliari cùm impetrasset, seriò adiecit animum ad Catechesin, qua perbene imbutus, Iudaicam perfidiam eiurat publicè, cumque vniuersa familia Sacramentis piè obeundis adhiberur, inusitata oppidanorum gratulatione, cum ipse idemtidem inclamaret, Iesuitam salutis & vitæ auctorem sibi fuisse.

SPIRENSE COLLEGIVM.

PATER Henricus Schurenus, duodeseptuagenarius ætate, in Societate quadragenarius, Vota quattuor professus, multorum annorum Rector, cæteraque variorum munerum administratione clarus, prior decessit è vita, posterior Pater Gaspar Khuem, dum tertium Probationis annum exigit, pestilenti auræ tetro spiritu improuisò exstinctus. Centum sexaginta quattuor ex dissimillimarum hæreseon cloaca educti, quos inter Anabaptista, quattuor & viginti annos natus, Baptismique expers, in bene ampla clarorum virorum corona, repudiata hæresi, ad salutares aquas adiit. VVebstadiensibus oppidanis illata est insignis iniuria, proximis annis, arte violentiaque Hæreticorum, vesani dogmatis Pastore per vim ipsam in Catholicorum vrbem intromisso, si qua via posset Romani ritus studiosissimos ciues ad suam impietatem pellicere. Ipsorum integritati conseruandæ, augendæque, quoad licet VVebstadium

accur

accurrimus, summa oppidanorum voluptate, qui se nobis auidissimè curandos permittunt, & in hunc diem intactos ab tetri Prædicantis contagione custodiunt: quibus si non fiat nostrorum Sacerdotum copia, circumiacentes vrbi Curiones de animi sui rebus adeunt, consuluntque frequentissimè.

PARIBVS nos vtroque anno iacturis Sociorum mors affecit, nam, & hac altera biennij parte, vnum Patrem, Fratremque vnum, ambos isti familiæ perutiles, sustulit. Patrem Ionam Kinbergerum, animis adhuc valentissimum, nisi labores immodici egregias corporis vires ante tempus fregissent, longiore vita dignissimum, Apoplexiæ vis quinque horis oppressit, sexto & quinquagesimo ætatis anno, cùm altero & vicesimo in Societatem venisset. Quòd eum impensè caligantes oculi sollemnibus Sacerdotum muneribus arcere cœperant, paullò ante obitum, supplex obtestari solebat domus Præsidem, vti se portis Collegij ianitorem addiceret, ne quod omni æuo ignorasset otium, vel in ipsa luminum caligine, stantibus, vt ipse quidem rebatur, viribus, cogeretur experiri, magna vtique sua & calamitate, & infamia. Homini scilicet quattuor ac triginta continentes annos in perpetuis ac maximis laboribus ardenter exercito (tanta vis est honestæ consuetudinis) nihil poterat videri longius, nihil fieri molestius, quàm momentum temporis ab glorioſæ palæstræ adamatis functionibus summoueri. Ab Hæreticis ciuibus domi, foris ab omniū

sectarum

sectarum propugnatoribus; quòd aperto Marte impugnabat, errorem nec aliis, quàm Diuinæ Prouidentiæ præsidiis, tectus incedebat, perpetuæ struebantur insidiæ, vt numquã non pernicies eius oculis obuersaretur, ipsamque adeó in sinu pæne gestaret; inter quæ discrimina iugiter versatus, septenis maximè ante obitum annis, cum suam ipse salutem negligeret, mille capitum saluti Deus per eum caueri voluit, totidem enim per eos annos ex hæresi auulsos ipse Deo iucundas hostias redegit. Huic certè bellorum Dei egregio bellatori præcipua ferè præda fuit ex iis præliis, in quibus pugnantium vulgus clypeum abiecisset; vt si cuius vel obcæcati errore, vel scelere obdurati, refractaria contumacia salutem in vltima deduxisset, Pater Ionas hanc extremam dimicationis aleam sibi vulgò deposceret, neque certamen adiret alacriùs, quàm feliciùs indomitos alioquin animos debellaret. Tantam ipsius verbis efficacitatem Deus Optimus, iustum & sollemne præmiũ, rependebat ardentissimi erga se, & omnes mortales amoris, incredibilis in Præsides obsequij, inusitatæ seueritatis in domandis sensibus, atque flagrantissimæ in orando assiduitatis; quibus virtutibus strenuissimè adhibendis, quàm proximè ad Cælitum conditionem se admouebat. Ab hoc deinde obiit Guillelmus Binck, duodesexagenarius, œconomiæ rei nauus administer, quã quattuor ac triginta annis gesserat, fideliter versatus in quolibet illius muneris gradu, nec minùs impigrè, sed ea insuper dexteritate, quæ vt erat

omnibus

omnibus Domesticis iucundissima, ità negotio cuilibet rectè administrando quàm opportunissima. Quod porrò fortium operarum est commune genus leti, ex vehementi, longaque laborum contentione, id ei tandem obtigit ab grauissimó Asthmate, quod, acerbis diuturnisque carptim intercisi anhelitus cruciamentis, vbi eum magnopere diuexauerat, duriter posteà oppressit. Lutherano quattuordecim annorum puero, Saxoni, subiit animum scrupulus, num falsa essent de Fide præcepta, quibus esset imbutus ab incunabulis; quamobrem decernit ea de re sibi Cælitum aliquem consulendum, nec alium ex eis quàm ipsam Dei Parentem: mox igitur nixus in genua, rogat ardentissimè, vt si fortè in negotio Fidei adhuc deerrarit, ipsa ne dedignetur suo supplici viam veritatis & salutis indicare. Ab ea oratione incessit eum cupido nostrarum scholarum Spirensium, ad quas sibi aditum impetrauit ab Lutheranis licèt parentibus, vbi paucis diebus auidissimè adiecit animum ad Catholicam Fidem, quam & arripuit incredibili sensu pietatis, vt inter obeunda prima Catholici ritus mysteria totus præ gaudio diffluueret in lacrymas; deinde verò quoties ad imaginem Beatæ Virginis se daret in preces, eum repente inundantibus cælo affusis deliciis, suauissimo fletu planè colliquefieret. Deus hanc sibi rosam ex Lutheranis vepretis legerat, quam odoris suauissimi, æternùm fragraturam in cælestes puluinos maturiùs educeret; nam paucis hebdomadis quàm Spiram aduenerat, singulari puer

innocen

innocentia, & indole ad virtutem penitus comparata, integritatem animi summis exaggerauit incrementis, moxque genere mortis leniſſimo è viuis ſubductus eſt. Septem & nonaginta ciues Fidei ac Deo decoxerant, inita cum Luthero ſacrorum, fortunarumque exitiali ſocietate, quam vbi noſtro conſilio reſciderunt, eodem loco ab Eccleſia ſunt habiti, ac ſi paria ſemper cum creditoribus feciſſent. De his vnus fuit eruditiſſimus eloquentiſſimuſque Iuriſconſultus, multis nominibus oppigneratus Lutheranæ ſectæ Dynaſtis quibuſdã, Hæretici dogmatis retinentiſſimus, natus inſuper parente Lutheri quondam addictiſſimo diſcipulo; quibus rebus fiebat, vt nec Catholicorum cuiquam, nec ipſi ſibi vnquam in Romanæ ſentẽtiæ communionem conceſſurus videretur, tametſi nec infrequens, nec leuis, eum ſubibat cupiditas Catholici ritus cognoſcendi, ſi quid eo melius, quàm Lutherano contineretur. Huius ſuæ cupiditatis cùm in familiari ſermone mentionem fortè ſereret apud illuſtrem Baronem, neque huius reſponſa facerent ſatis grauiora explicatioraque audire cupienti, hominem acriùs cœpit hortari Baro, vti vnà ſecum ad Ieſuitas Spirenſes veniret: proficere magnopere illum poſſe conferenda ſua coràm cum illorum ſententia, & doctrina: futurum porro ipſorum congreſſum ei longè iucundiſſimum. Nam quod ſecus aſſerere de Patribus Societatis Prædicantes ſolent, id odio veritatis ac virtutis eis vſu venire, ſicut omnibus improbis, quorum iam alioqui obſcuriſſimis luminibus val-

de offi

dè officit aliena probitas. Apud hominem animi dubium, & consilij anxium valuit amicè suadentis oratio, vt continuò Spiram ad nostros contenderet, deque Fidei capitibus eos adhiberet arbitros, quorum hortatu domi nostræ dierum aliquot sibi secessum indixit ad deliberandū, Deúmque consulendum. Abesse non potuit, quin lucem studiosè inuestiganti, probæ indolis viro, atque perspicaci, ea in tempore copiosa oboriretur, suauique fulgore animum eius perfunderet: & reuerà, paucis diebus quàm secesserat, liquida ei affulsit veritas, vt iam dubium ipsi esse non posset, quid se amplecti, quid sequi oporteret. Vt ne in blandientis, vocantisque Veritatis gremium festinus accurreret, velut totidem obiectis repagulis, duo quædam incommoda prohibebant, & impendentia Lutherum abdicanti ex nuper amicis probra, & de complurium Dynastarum largitionibus opimorum stipendiorum decessio, quam vtramque calamitatem, quòd pænè præsentem cerneret, eius metu non mediocriter commouebatur. Aduersùs istiusmodi formidines, noster Sacerdos hominis anxium pectus cùm sibi visus esset opportunis ad quietem instruxisse præsidiis, hunc ab se cum bona pace dimittit, cui accepta à Patre monita attentiùs animo versanti, recurrentibusque idemtidem prioribus illis nugis, turbulenti molestissimarum cogitationum fluctus acerbam integræ noctis insomniam attulerunt. Prima verò luce, cadentibus intestinæ procellæ flatibus, rediit homini sua tranquillitas, eoque post asperam di-

micationem incubuit eius animus, quò eum Deus antè impulerat, vt totus esset in Patrũ nostrorum potestate, quibus eodem ipso tempore se totum permisit, paulloque pòst piaculare Confessionis Sacramentum obiit, largiter continenterque fluẽtibus lacrymis, vt charta vnde noxas recensebat, vestisque anterior, tota madesceret. Quod autem auctore Deo ingressum se putaret vitæ genus, flagitiosè facturum se ratus, nisi luce palam profiteretur, cum opportunum quoque videretur, eadem opera occupari, frangique mox erupturam veterum amicorum impressionem, Spira egressus, mox toto itinere disseminauit suam transitionem ad Catholicos, vt eius nuncij suum ad domesticos aduentum anteuerterent.

HERBIPOLITANVM Collegium.

FREIDENBERCHAM oppidum Franconiæ, pridem acceptum ab Episcopis Herbipolitanis, beneficiario iure possederant Freidenberchani Comites, quorum omni nuper exstincta stirpe, ad nostrum Antistitem oppidi possessio iure Caduci rediit, sed Hæretica lue prorsus contaminati. Eò cùm missus esset Sacerdos noster imbuendis Fide Catholica oppidanis, quòd eius rei edictum nullum, vt moris est, à Principe antecesserat, nec vllæ quoque litteræ huius decreti nunciæ afferebantur, diu pugnandum priùs fuit, quàm noster ad

ad concionandum admitteretur, maximè quòd eius oppidi mœnibus, vt fera bellua siluestri latibulo, Prædicans se occultabat, cui aduentus Sacerdotis formidolosus accidebat. Oppugnationem porro hæresis ab ipsa eius arce, hoc est ab Senatoriis viris,& principibus ciuibus,cùm noster instituisset,multo licèt ac diuturno labore,tandem tamen expressit,vt vniuersus pæne Senatus Fidem Romanam alacriter amplexus,eam in summa ęde palam obeundis Sacris profitendam sibi ad cęteros ciues permouendos existimaret. Quod exemplum momenti tantum habuit ad vniuersam plebem concitandam, vt iam oppido toto Hæreticus nullus deprehendatur. Per illa autem felicia primordia hæresis in ciuium primoribus debellandæ,cùm non nemo coniiceret ex animorum motu qui cõcitatior cernebatur, vniuersam ciuitatem breui ad Catholicos ritus sese appulsuram; Senator quidam, Deus, inquit, omen auertat tam infaustum, ac potiùs pestilentis halitus dira tabe nostrum conficiat caput. Seu assensere, qui aderant, impiè ciuitatem Orco deuouenti, seu agnitam Numinis offensam contemsere, reorum certè capitibus haud ita multò pòst tetra insedit lues,quę paucis mensibus sexcentos de plebe,ac inprimis sacrilegum illum, nefariæ Deuotionis auctorẽ, de medio sustulit. Lutherani ritus Confessionibus audiendis, per eos dies,operam dabat Prædicãs Freidenberchensis, qua defunctus opera, cerebri animique leuãdi gratia,properabat in popinam,quòdque auribus exceptas noxas curialium suorum vel

mentis anguſtiore ſinu capere, vel frigidiore ſtomacho concoquere non poterat, inter pocula plenis buccis eas apud ſuos compotores, proditis auctoribus, eructabat. Inter numeroſam recenſionem alienorum delictorum, accidit vt euulgaret oppidani cuiuſdam adulteria, & parricidium in vxorem admiſſum, vt, ea ſublata, mœchandi maior tutiorque libertas eſſet; quo Prædicantis ſacrilego indicio ad parricidam delato, is, grauiore ſuppliciorum concepto metu, voluntaria ſtrangulatione iudiciorum ſeueritatem anteuertit. Ferro flammaque piandum facinoroſi Curionis flagitium in id tempus incidit, cùm Lutheranæ ſectæ turpitudinem ab noſtro patefactam, eò fœdiorem oſtenderet, faceretque ea impotentis linguæ procacitas, quæ Sacrorum arcana cum ſcurrili gancarum petulantia confunderet; vt, vel furciferi vnius inexpiabili ſacrilegio, ſuam inſaniam edoctos Lutheranos eius aliquando pœniteret, puderétque. Per Maioris hebdomadæ ſollemnia Mariani Sodales, animi acriùs ad pietatem inflammandi cauſa, in ſupplicantium pompa Chriſti patientis myſteria ſolent exhibere, interque cætera cruciatuum Seruatoris ſimulacra, prægrādis Crucis geſtationem vſurpare. Anno ſuperiore matrona ſuum coniugem receperat ab ſupplicatione fatigatum fractumque, ac ſudore totis membris diffluentem, poſteà quàm gerulum Crucis inter Sodales egerat; quem, animo egregiè comparatum hoc anno ad idem onus humeris excipiendum, vxor non deſtitit obſecrare, dum eum ab ſententia

tia deduceret. Rediit ille quidem immunis ab laborioſa geſtatione, ſed longè deteriore valetudine, quàm nuper ab ſacra ſarcina reuenerat, adeò ſcilicet debilitato corpore, quaſi mulcatis contuſiſque omnibus membris, vt pedibus non inſiſteret; quæ inualetudo quartumdecimum continentem diem ita tenuit, vt ſingulis momentis efflaturus animam putaretur. Ignotam medicis morbi cauſam mulier facilè agnouit, ſuæque mollitiæ ac inſano in coniugem amori dolens meritoque attribuit; cui Numinis benignitas culpæ ſupplicium deprecanti ſalutem mariti condonauit, vbi ea ſanctè adiurarat, coniugis animum ab officio Chriſtiano nunquam ſe auocaturam.

ALTERO anno Sacerdotes duos veneranda ſenecta, & rebus geſtis claros, funebribus iuſtis proſecuti ſumus. Pater Sebaſtianus Kollerbnam ſexagenarius obiit, cùm quadragenarium inter Socios ageret; quòd omne tempus religiosè vtiliterque vel Humana in ſcholis, vel Diuina Sapientia in primariis templis tradenda, impenderat. Pater Gerardus Phien duodeſeptuagenarius, Spiritalis Coadiutor, quadragenos ſeptenos in perpetuis frugiferiſque laboribus Societati commodarat, & quidem ſingulari ſemper Diuini cultus promouendi ardore, quẽ ardorem fractæ annis & perpetua laborum contentione vires tantum abeſt vt exſtinguere potuerint, vt etiam viſæ fuerint in vltima ſenectute accendere. Peſſimè affectis pedibus, vt vix conſiſteret, numquam domi acquieſcebat, quin aut de ſuperiore loco ad concionem

diceret, & quidem sæpius in die, aut salutarem operam alicui ciuium nauaret; nullus vt Collegarum eo frequentior adiret peste aliáve contactos labe; aut sua præsentia & industria egentibus cõmodanda esset occupatior. Insitam natura, diuturnoque studio & vsu auctam, propensionem subleuandæ inopum mendicitatis, nouis argumentis ac stimulis in se quotidie acuebat, vt cum sua benignitate omnium egestatem complexus magnopere solaretur, non in ciuitate modò, sed Franconia vniuersa pauperum ideò haberetur parens, quoniam reuera esset. Singularem in eo vitæ sanctimoniam Deus sic adamauerat, vt eam eximiis ornaret prę-rogatiuis, cuiusmodi fuit potens in Cacodæmonas imperium, quibus exigendis procul ab Herbipoli frequenter aduocabatur. Eius funus cum multa luctus testificatione celebrarunt viri ciuitatis principes, ac in primis Episcopus, qui secundùm exsequias seipse apud nos ad prandium inuitauit, & à mensa, nostris omnibus conuocatis, longum disertumque panegyricum dixit demortuo, cuius inter cæteras pleraque laudes, illam commemorauit, & extulit, huius Patris industrię deberi magna ex parte Fidem Catholicam in hac prouincia restitutam. Septuaginta seu ciues, seu exteri, adulterino patre Luthero repudiato, Romanam Ecclesiam, vt germanam parentem, agnouerunt, in eiusque familiam & Sacra commigrarunt.

FVL

FVLDENSE COLLEGIVM, & Heiligenstadiense.

PATRI Iodoco Barloë viuendi finis fuit tricesimo & altero anno, quàm Societati fuerat auctoratus, cuius militiæ omnem rationem cum principio egregiè combibisset, & subesse ducibus, & præesse Sociorum ordinibus, ita solebat, vt eximij ductoris ac militis omnes numeros insignitèr expleret. In Seminario degebat, vbi cùm anniuersarij secessus, & piæ commentationis octonarium religiosè decurrisset, venerat in Collegij cœnaculum, pro more deprecaturus erratorum veniam, cui muneri studiosiùs intentum vehementioris Apoplexiæ stupor sic incursauit, vt eum septenis horis, sed mentis semper compotem, exstinxerit. Andreas Bettendorffius, indolis optimæ ac Religiosi animi adolescens, dum studia decursa intentiùs recolit, in diuturniorem tabem delapsus est, quæ cælestis vitæ cupidissimum eò denique deduxit, quò multis præclarisque nobilium virtutum edendis facinoribus pridem aspirauerat. Ab hæreseon fœdissima seruitute in Euãgelij certissimam splendidissimamque libertatem duodecim ex multis asseruimus, cæteris eiusdem iniecimus non vulgarem cupiditatem.

POSTERIORE anno duos iis plures eadem sanctæ libertatis prærogatiua donauimus. Duodetricesimo ab hinc anno decesserat de potestate

mentis Pater Ioannes Huckelus, dum se ardentiùs ad concionatoriũ munus comparat, ad quod ingenij, eruditionisque facultatem eximiam allaturus videbatur. Ante aditã eiusmodi calamitatem, super cæteras Religiosi hominis laudabiles dotes, insigni perpetuò fuit in Præsides obsequio: ab illa verò mentis aberratione ad hunc annum, qui ei fuit vltimus, tractabili perseuerauit ingenio, vt ei dementia non videatur fraudi fuisse ad salutem.

HEILIGENSTADIANA plebs exemplo, consuetudine, hortatuque triplicis Sodalitij nostri, eam morum probitatem indepta est paucis hisce annis, ad quam nulla legum seueritas eam vmquam adigeret, tantoque studio in Christianas virtutes hoc vtroque anno incubuisse obseruata est, vt tam lætam sanctorum morum frugem ei meritò probi omnes gratulentur. Duodeseptuaginta seu Lutherum seu Caluinum sibi exitialem, eorumdemque sacra fuisse pestifera, eiurarunt; quibus certæ salutis spes in Ecclesiæ gremium venientibus est constituta. Paralyticum linguæ vsus cum destituisset, auriumque sensus, multipliciũ noxarum index in charta longo descriptus ordine ipsi à nostro Sacerdote oblatus est, vt inspiceret quarum sibi esset conscius, digitoque indicaret: qua industria rectè vsus, apertis signis ostendit, quid quantumque in eo genere criminum deliquisset, incussa idemtidem ad pectus dextera, vt se admissorum significaret pœnitentem; quibus edendis argumentis absolutus ab Sacerdote, Christianè vita functus est.

MOLS

MOLSHEMIENSE COLLEGIVM.

MICHAEL Senheem, altero Theologici ſtudij anno, diuturna Phthiſi contabuit, adoleſcens orandi, ac cæteræ pietatis, patientiæque laude inſignis. Hæreticis Popis ſuas ſibi res eſſe iuſſerunt vndeuiginti, atque in his tres nobiliſſimi adoleſcentes, ex honorario comitatu Hæreticorum Dynaſtarum, quibuſcum acriter depugnarũt huius libertatis adipiſcendæ gratia. Puer in Germanis perilluſtri loco natus, annis duodenis paullò major, idiomatis Francici gratia in Aulam Lotharingi Principis miſſus, aleam exercebat cupidè, lucróque ardentiùs ſtudebat, cui ludus die quodã infelicior loculos cùm excuſſiſſet penitùs, & alieno ære apud colluſores obſtrinxiſſet, aduerſo caſu mœrens, déque ſarcienda iactura ſollicitus, in propinquũ hortũ egreſſus eſt. Ibi ſolitarius inter inambulandum, pecuniæ qualibet via nanciſcendæ vehementiore ſtudio elatus, apud ſe in hanc ſententiam loquebatur: Si mihi nunc Cacodæmon legitimæ monetæ, quantum opus eſt, concrederet, admitterem libens, eóque nomine cum eo ius perpetuæ ſocietatis contraherem. Vix tantum effatus erat miſer, cùm ex Orco ſe illi ſiſtit ad latus veterator argentarius, puerili ſpecie, cultuque ac ornatu eodem propè, qui erat ſe vocantis, cui exhorreſcenti alterum humerum concuſſit Tartareus Daniſta, bonoque animo eſſe iuſſit, ac pecuniam ab ſe ſumere, quam ille ſumturum ſe negat, niſi probam,

bam, & qua ſumenda nihil à Dæmone in ſe noxiæ contrahat : à quo vtrumque pollicito nummos accipit, repetitaque alea, colluſoribus nomina diſſoluit, & amiſſam pecuniam nullo negotio recuperat. Inde, lætus facili, vberique compendio, ad condictum ſibi à Dæmone locum regreditur, cui fortunatam aleam deinceps ſpondenti, eiuſque felicitatis mercedem corporis mẽbrum depoſcenti, aut ſchedulam iis conceptam verbis, quæ ipſe Dæmon dictauerit, prius poſtulatum abnuit, poſterius pæne vltrò detulit. Pueri cruore faciendum erat ſcriptum, & ex illius ſiniſtra eliciendus ſanguis, quam puer, nonnihil tergiuerſatus, porrexit aſſerenti dolorem abfuturum, ex qua longiore ductu tenuioris muſculi ſine ſenſu euellitur iecuſculũ, vnde fluens cruor iuglandis exceptus cortice cùm eſſet, eo deſcribit puer partim Grȩcis, partim ignotis litteris, manũ dirigente Diabolo, ſchedas geminas, alteram minutiſſimã, paullò ampliorem alteram. Priorem Dæmon in reciſi muſculi plagulam indidit, qua indita, mox obducta eſt ſua ſponte cicatrix ; cuius ſchedæ vis fortunatura erat deditiij pueri aleam, cæteramque omnem actionem : poſteriorem teter animorum licitator ſibi ſeruauit, obſides nempe tabulas, capitis æterno mancipio ipſi ab demente puero dati, cuius mancipij dies ſeptimo pòſt anno exiret. Poſtridie adhuc decumbenti ſuo diſcipulo adſiſtit ad lectulum, prȩcationum libellum ab eo ſibi tradi poſtulat, ſuadet à precando abſtineat, ſic enim medicato, quod gereret, ſcripto adfuturam multo po-

tentio

tentiorem efficacitatem. Quo ex die, cum ei factus esset familiarissimus, vt quouis loco cupienti se sisteret, cæteris quidem aspectabilis, sed ignotus, sua disciplina paucis diebus puerum ita deprauauit, vt eorum flagitiorum, quæ eam ætatem habere solent infestam, ille nihil non auderet, & ad vicesimum vitæ annum perpetraret impunissimè. Vicenarius ex aula Principis Lotharingi domum cùm reuertisset, apud sororum natu maximam, virginem honestissimam, genere vitæ cum primis illiberali, mox offendit grauissimè; cui familiariter cum eo expostulanti, ex tam religiosæ aulæ sancta disciplina tam flagitiosos mores, clarissimo loco natum adolescentem, retulisse; paucis, ac præcise sorori retulit, ac deinde matri, necessitate adactum sceleratam se vitam agere, his legibus, scripto cruento chirographo, Cacodæmoni adstrictū se octauum iam annum viuere. Ei parum præsidij fuit in matre, Schuuenckfeldiani dogmatis assecla, cuius multa in eo fuit opera, vt natum, certam iam Orci prædam, damnatæ item hæresis mācipium faceret, nec alienum ab suo sensu calamitosi adolescentis animum offendit, cuius per id tempus certum instabat exitium, cum traditæ Dæmoni syngraphæ, ac deuoti capitis dies exisset. Quamobrem ex eo tempore Tartareus ille mango acerrimè vrgere adolescentem, vti Deum ac Cælites exsecraretur; vtrumque parentem, duos ex famulis, oblato puluere medicato, exstingueret; arcemque parentis sibi dederet delendam incendio; ipseque sibi denique mortem consciscceret;

cui

cui, minùs properè obsequenti, atri leonis figura, in matris ac sororis oculis sęuos intentans vngues, diu multumque vexato tantumnon exitium attulit. Inde patri eius, Catholico viro, necessitas imposita, grauiter querentibus cognatis, dilata in eum diem remedia, adolescentis Molshemium ad nos destinādi, si qua ratio apud nos suppeteret imminentis cladis ab eo auertendæ; quò cùm adductus esset catenis ligatus, iussit eum Pater Rector solutum vinculis in custodia certi Sacerdotis inter nostros agere, adiicere animū ad subsidia idonea suo malo capessenda, eumdémque ad spem sanitatis cum Diuina ope erigere. Primis diebus, dum adolescentis custos Pater cum eo agit, audiri sunt in propinquo grunnitus, & peregrinarum belluarum fremitus: vbi verò de seria Confessione cœptum est agi, misero Dæmon inquietos dies creare, hospitij nostri, & sacræ Pœnitentiæ ingenerare fastidium. Eas hostis fraudes dum ille dissimulat, tametsi vultu tristitiam prodente, Cacodæmoni animos facit, & ad se aditum parat, vt auderet, inambulanti in pergula, hirsuti, ac siluestris Fauni habitu, se cōspicuum dare, atque suadere, vti adulterinum chirographum suo cruore describeret ei simile, quo se nuper Dæmoni mancipasset, quod humi abiectum, & à nobis inuentum, nos pro legitimo haberemus, rati ab seruitute Tartarei prædonis liberum adolescentem, quē sic delusi, vt sanum dimitteremus. Expresso igitur ex manu cruore, Cacodæmone argumentum dictante, peregrinis notis simulatus syngraphus

exara

exaratur, pro verò ſubſtituendus, cuius clandeſtinæ ſcriptioni cùm famulus interueniſſet, & ab ſcribente abigeretur, ſuſpicionem ſagaci homini mouit quæſita ad ſcribendum latebra, anſamque præbuit ſcrutandarum veſtium dormientis hominis. In femoralium perula exitiale ſyngraphum cùm deprehenderetur, ad aſpectum cruenti, peregrino idiomate, ſcripti famulus exhorruit, exploratum tamen in eâdem peram abdidit, ne hero ferociori ſtomachum moueret, admonito interim Sacerdote, adoleſcentis curatore, cùi viſum eſt rem diſſimulare, quoad ſe idonea occaſio aperiret. Poſterum diem egit ille diſſolutiſſimè, vt facilè conſtaret, in gratiam cum Dæmone, atque ad ingenium rediiſſe; ad quem ſub veſperam cùm adiſſet Sacerdos, ſeueris verbis caſtigauit hominis, in grauiore ſuo periculo, negligentiam atque proteruiam, deque recèns exarato chirographo percontatus, rationem eius iuſſit reddere. Aſperioribus verbis denunciata veritas continuò abalienati ab ſua ſalute adoleſcentis contumaciam emolliuit, culpamque libenter agnoſcentis expreſſit lacrymas, promiſſumque frugis melioris, cuius argumentum illud eſſe, quòd illa ipſa hora veniret in Patris poteſtatem, in qua perpetuò eſſet futurus: ſyngrapham auctore Diabolo, decipiendis Patribus ſcriptam à ſe, mutato tamen conſilio certum in locum abiectam, quem indicaturus eſſet, vt tolleretur, vnde & ſublata eſt. Quòd autem animum, ex eo die, ſeriò appulerat ad ſalubria conſilia exſequenda, infeſtiorem ſentire cœpit

pit hoſtem, eoque ſolitudinem minimè ferre, vt cui, abſentibus arbitris, conſueſſet incurſare moleſtiſſimè. Depellendæ igitur tam periculoſæ incurſationi, recipiendiſque geminis chirographis, cœpimus homini dedititio adhibere exorciſmos, in B. Patris Noſtri ſacello, quos confeſtim ſecuta eſt adoleſcentis maior tranquillitas, & ab Cacodæmone leuior moleſtia. Diu tamen pugnandum fuit, vt ad Pœnitentiæ Sacramentum adduceretur, quod occulta fraude aduerſarij repugnantiſſimè inibat, cui tandem id ingreſſo frequentes graueſq; horrenda forma aſpectabilis Dæmon incutiebat terrores, paullatim tamen minùs formidabilis, vt in dies Confeſſionis vſus iterabatur. Quoniam verò haud ſatis diligenter videbatur ſibi cauere ab aduerſario, cuius inſtinctu impotentiùs in famulum efferebatur iracundia, multaque frequenter peccabat vitio impatientiæ: data occaſione Pater Rector hominem ſibi ſumſit libeliter obiurgandum, quam obiurgationē hic paullò pòſt agnouit ſibi vtiliſſimè ceſſiſſe, vt quæ ſe multiplicium noxarum admonuiſſet, quas, nondum animaduerſas, in Confeſſione tamen recenſeri oporteret. Inde ad Euchariſtiam participandam cœpit ſtudioſiùs comparari, cuius tamē ſumtioni ipſe præuerteret ſollemnem Catholicæ Fidei profeſſionem, eodemque tempore Cacodæmoni ex ſcripta formula inter Sacrum renunciaret, quam formulam legendo decurſam ſacrificanti Sacerdoti traderet, tota noſtra familia orationibus, & afflictationibus corporis, futurum eius

certa

certamen ardenter adiuuante. Inter illud sacrum adolescenti quieta fuerunt omnia vsque eò, dum Cælesti epulo refectus esset, atque Pater Rector ab eo acceptum renunciationis scriptum in ara deponeret: quo ipso tempore in eum repentè irruit animi tanta perturbatio, quantam non meminisset expertum se esse, vt, solatij accersendi gratia, tremebundus ad Sacerdotem, curatorem suũ, se applicaret. Adstabant Cacodæmones duo, caprina effigie, in posteriores erecti pedes, alter præ altero ad altare conuersi, quorum prior sublatis anterioribus vngulis vtrumque adolescentis syngraphum præferret, ostentaretque impensè perturbato; cuius terrori, & Dæmonibus amoliendis, cùm adhibitus esset exorcismus, adolescens sibi restitutus est, hostesque fugati sunt: quibus exactis, alterum chirographum, sinistræ pueri nuper à Dæmone insertum, humi, ad læuum cornu altaris, ab studiosè vestigantibus nobis inuentum est. Læta de Orco spolia spem haud leuem splendidioris victoriæ, acrioresque animos ad reliquã pugnam fecerunt. Semel itaque, & iterum exorcismorum vis grauiter in Tartareum raptorem intorquetur, quorum primum impetum fuga elusit, alterum declinare non potuit, quin ciconiæ figura se sisteret, sed, vt semper, vni ipsi iuueni aspectabilis, cum pendula ex rostro altera cautione, conspicuis etiam singulis eiusdem versiculis, vt facilè numerari possent, quam & victus super aram deposuit, illo ipso vespere, quo exorcismis fractus est, vbi postridie manè illam Sacerdos,

adolescen

adoleſcentis cuſtos, deprehendit. Nihilo tamen minùs per Sacra omnia viſus eſt adigendus Dæmon; vti præſens coram adeſſet, ac proderet, ſi qua ei reliqua poteſtas eſſet in adoleſcẽte: ſed, poſt iteratos ſumma vi exorciſmos, nihil Tartarei vmquam comparuit, neque vlla iuueni reſidua deinceps fuit ab hoſte periculi, vel formidinis ſuſpicio: cuius animo intereà validiùs ſanctiúſque muniendo, adhibitum eſt Confirmationis Sacramentum. Exciſi verò muſculi cicatrix, in adoleſcentis læua manu, olim eminula, vt præteritam plagam argueret, poſt eductam inde, ſine iuuenis ſenſu, auſpicata illa ſchedula, ſic etiam obliterata eſt, vt oculos fallerent tenuiſſima eius veſtigia.

INSEQVENTIS anni fuit non leuis plaga ex deceſſu Patris Ioannis Hertingij, viri planè ex germano Societatis ingenio, qui ex ſuæ parentis alto quodam ſenſu iudicaret omnia, & ſtrenuè ageret, ad vltimum vitæ ſpiritum, quem quinquagenarius efflauit, primo ac triceſimo anno, quàm in noſtrum Ordinem conceſſerat. Multiplex eum, ac politiſſima litteratura diutiſſimè in ſcholis exercendis attinuerat, quòd eximiæ illius eruditioni comitaretur ſingularis induſtria iuuentutis vtiliter educandæ: qui ex eo ſtadio ad cõciones honoratis locis habendas tranſlatus, poſteà quadã propenſione libẽter deuolutus eſt ad ruſticanorũ animos catechiſmo imbuendos, qua in palæſtra dici vix poteſt quàm fructuosè ſit verſatus. Is tametſi occupatiſſimus domi, euolabat in agreſtium cœtus quàm ardentiſſimè, atque in idem ſtudium,

ſum

summa arte, ac inusitatis blanditiis, traducebat de familia quàm plurimos poterat. Quidquid autem operosissimo homini vacui temporis suppetere vmquam potuit, id sollertissime ab eo collatum est in fructuosos Latini sermonis codices vernaculè reddendos, cuius ingeniosa & elegans interpretatio, & argumenti dignitatem ornaret non mediocriter, & cupiditatem legendi magnopere acueret. Adiungendorum itaque Christo animorum quòd pleræque ac singulares in eo dotes emicabant, de illo inter omnes Collegas vox illa increbuerat, Patri Hertingio promtum expeditumque perpetuò hærere in manibus hamum, quo callidissimè homines Christi amore inescaret. Eum decumbentem Princeps Leopoldus cum amantissimè inuisisset, viri sanctitate recreatus maximoperè, non potuit, quin apud cæteros Patres tantæ virtuti multam cælo quæsitam felicitatem pronũciaret. In silua erranti sub vesperam adolescenti, viri nobilis famulo, Cacodæmon specie canis aliquantulum viæ præcucurrit, dum ad Danubij ripam peruentum est, vbi assumta desubitò figura pullati hominis, iuuenem interrogat, numquid suus esse velit, secumque viuere, si eueſtigio amnem traducatur: cuius imprudenter assentientis præceps responsum vix interceſſerat, cùm derepentè adfuit scapha, quæ priùs nulla toto eo littore fuerat. Versabatur temerarius adolescens in medio amne, cùm nauicularius ille carnifex, qui esset, apertè professus, summa vi eum adigit, vti se sibi deuoueat, Deum, & Cælites sollemnibus

verbis exsecretur, mox fœdo gurgite absorbendus nisi pareat; quibus minis deuotionem ab territo extorquet. Tam impio naulo traiectus miser, vix sæuissimi prædonis manibus subducere se potuit, quin, eo stipulante quadrimæ diei certam fixamque corporis & animi deditionem, conceptis verbis, suum exitium ipse restipularetur, ac repromitteret: sed interuenere prætereuntes arbitri, qui, euanescente Diabolo, stipulationem dirimerent. Huius addictionis tã scelleratæ cùm eũ deinde pœniteret, eiusque rationem piis viris exponeret, adhibiti sumus, ad facinorosum eius cum Orcino Tyranno dissolẽndum commercium. Ei, cùm suadentibus nobis, se obstrinxisset voto certorum dierum sacræ Confessionis ac inediæ, perque Pœnitentiæ Sacramentum ritè procuratus esset, adhibiti sunt exorcismi, tribusque continentibus diebus inter Eucharistiam ab eo sumendam, excepta est scripta eius syngrapha Sacerdotis sacris operãtis manu, qua syngrapha Deo se totum dederet, Dæmonem habere res suas iuberet. Eiusmodi triũ Missarum, eam quę Beati Ignatij fuit propria, quòd eius suffragia maximè poscebantur in hoc negotio, Cacodæmon mirificè interturbare conatus est, vt interim apud se vix esset Sacerdos, tetra ipsi oblata specie, quæ proxima fenestra irrupisset, fœdè fluentibus, etiam nulla spirante aura, cereis, molestissimisque intemperiis circùm aram obstrepentibus. Sed qui dies plus habuit certaminis, is fuit & nuncius, & obses impetratæ victoriæ, nam ab eo die adolescenti, nuper dedititio quietissima

ma & iucũdiſſima fuere omnia. Alterius pueri, ex noſtro Molshemienſi gymnaſio, plures, grauioreſque fuerunt cũ eodẽ graſſatore pugnæ, ſed tanto illuſtrior & glorioſior de eodem triumphus. Tenuitatem fortunarum eius crediderat ſibi profuturam ad eius animum expugnandum, quamobrem variè priùs tentato vim magnam pecuniæ defert, cuius abſtinentiam vbi labefactare nequiit; ad atroces minas, & immodicos terrores conuerſus, non die non nocte illum quietum eſſe ſinit. Fortiter oblu-ctantis probi pueri conſtantia Dæmoni vt grauis ſemper fuerit, nihil ei tamen grauius, quàm quòd nihil ſuo, ſed noſtrorum omnia conſilio gereret, in eo certamine; cuius noſtrę opis vſu in preſentia, in poſterũ ſpe, vt eũ deiiceret, nihil nõ eſt molitus, ac die quodam propemodũ deiecit, vt ad nos deſperanter adiret, inaniaque deinceps noſtra præſidia ſibi futura tantumnon arbitraretur. Sed Sacramentis religioſè procuratum, vis exorciſmorum, porrectaque inter rem diuinam Sacerdoti noſtro ſyngrapha ſua, cuius verbis ſe antè Deo conſecrarat, Dæmonis conſortium deteſtatus, Dei beneficio, cætera omni vexatione illum abſoluit. Alteri quaterdenũm annorũ puero, quem ſua mater Lutherana, & ſagarum regina inter populares, pænè infantem Orco addixerat, Beati Patris Noſtri ſuffragia exemerunt ſæuiſſima Cacodæmonis ſeruitute. Multa interuenerant eius promiſſa, cum matris ſuaſu, tum violento hoſtis imperio, ac diris vexationibus, quibus ſe & ſua omnia crudeli Tyranno deuoueret: ſed perſcripta ipſius cruore

atque manu cautio, sollemni magorum ritu, eum Tartaro certiùs addixerat. Ei deinde iam pubescenti, cùm truculentus ille dominus matrem horrendo leti genere subtraxisset, mendicitasque peregrinationem suasisset, oppida varia temere obeunti, tandem VVormatiæ puer eius æqualis persuasit, vt ab Luthero desciscceret; vbi res suas nostris aperuit, quorum litteris commendatus est Molshemiensibus Sociis, Beati Ignatij patrocinio sanandus. De via tamen Molshemiensi volens deerrauit, Dæmoni obsecutus, quem ferè comitem habuit tota peregrinatione, atque ad vetera flagitia in patriam rediit. Haud multò pòst tamen, vbi Molshemium rectà contenderat, litteras Patribus reddit, quæ vt rem non aperirent, sic ipse puerili simplicitate reticuit, quoad eum conscientia periculumque tandem adegit per colloquij occasionem cuidam Patrum exponere: qua ex die infestissimum passus est Dæmonem, à quo, per illius silentij tempus, acciderat mira tranquillitas. Septenas totas noctes eà pugna tenuit, nouum deditionis chirographum imperiosiùs exigente Tyranno, & ab monstrosissimis laruis pueri terrorẽ exaggerante, à quo tamen extorquere nihil potuit, nisi vt, post grauia incussa verbera, nocte quadam, nudus in medio veneficorum choro, saltaret, vapularetque, qui vt ad se rediit, dum inter plagas recitat salutationem Angelicam, chorus & choragus, vt fulmine icti, momento dilapsi sunt. De die in nostris ædibus attinebatur, vt, memoria recolens, quæ sibi horrenda scelera contigissent

in sacri

in sacrilegis olim cœtibus, ea describeret, inter quam occupationem, non rarò se illi sistebat nefarius ille flagitator, noui aliquid postulans, à quo vicissim puer suam repetebat syngraphum, & quod mirum sit, per ipsa etiam terrorum ac verberum discrimina, frequentissimè, ac intrepidè repetiuerat. Septima demũ nocte teterrimæ formæ bellua decumbenti oblata est, quæ deformi ac productiore rostro suspensum gerere videbatur cruentum chirographum, quod pridem exigeretur, quo ex ostento puer venit in spem eiusdem recipiendi, vt illud pridie, Virginis rosarium decurrens, cum multis lacrymis ab Numine impetrare studuerat. Porro adhibendis exorcismis frequenter interiecta fuerant Beati Ignatij suffragia, proque imperio iussus erat dolorũ artifex, quem flagitio stipulatus esset ab incauto puero syngraphum, eumdem ad pedes ipsius Beati, super aram exstantis, sine dolo malo sistere. Nec igitur sua fiducia puerum fefellit, nec irritæ fuere Sacerdotis iussiones de restituendo chirographo, & quidem quo loco designabat: nam postridie quàm fœdum illud visum puero se obiecerat, Sacerdos, hora pomeridiana tertia, ingressus Beati Ignatij sacellum ad iterandos summa vi exorcismos, cum multo suo horrore incidit in cruentam schedam, ad pedes Beati Patris aræ impositam, quam puer, omnibus indiciis & argumentis exploratam, illam ipsam esse agnouit, qua se nuper, à matre deceptus, Orco addixerat.

CONFLVENTINVM COLLEGIVM, & Paderbornense.

ACERBITATEM superiorum annorum hic annus videtur quodam modo mitigasse, cum magnis cladibus, grassante licèt in populum lue, omnib. nostræ familiæ, ac gymnasij capitibus, eam Diuina benignitas arcuit. Singulare autem illud accidit ad memoriam, atque ad exaggerandam religionem erga Dei Matrem, vt quamdiu Litaniæ sub vesperam ei sunt à Discipulis decantatæ, nemo vnus ex eis, in tam inquinata ciuitate, contingeretur: simulatque verò abesse res periculo videbatur, ab litaniarũ cantu discessum est, illo ipso die, quo pium illud carmen desiit, discipulorum vnus letali vlcere decubuit, moxque alij duo exstincti sunt, magno terrore vniuersæ iuuentutis; quo documento perculsi, ad litanias nos reuocauimus, & in annum totum protraximus, quo anno toto iuuentus vixit incolumis.

Alter annus paullò liberaliùs nos admisit in familiaritatem cum ciuibus, & aduenis, pestilenti iam discusso afflatu, vt etiam licuerit Lutheranos in rem præsentem manus cõfertum vocare, atque Ecclesiastici fundi possessionem, perpetuis auctoritatibus probatum, ex eorum vindicare manibus; qua vindicanda vndeviginti ex ipsorum grege, vbi didicerant, apud ipsos Ecclesiæ nullum residere vestigium, ad nos libentes transiere.

PADERBORNENSES scholas pestifero contactu

contactu prohibuit eadem religio, quæ Confluentinas, inter creberrimas ciuitatis plagas, & quotidiana funera, vt in mediis veluti bustis periclitantes, tamen litterariæ palæstræ suas exercitationes nihil intermitterent. Qui aliena omnia de Fide sentirent cum Catholicis nihilominùs communem sepulturam in vrbe ambiebant, & reuera etiam adhuc obtinuerant, nimia magistratus indulgentia: sed hoc tandem anno euicimus, vt hac prærogatiua excluderentur, extra pomœrium in agros exportatis eorum cadaueribus: quam ignominiam plerique Hæreticorum veriti, ex ea sumserunt ansam Catholici dogmatis sub exitum vitæ amplectendi; cuius generis homines vndetriginta in Ecclesiæ sinũ admissos, ad sacræ sepulturæ iura lætissimos proueximus. Quo ferè tempore Christianam fidem, disciplinámque accuratiùs edocti Iudæi duo, cum alterius infante filiola, nostris Sacris, magna sua voluntate, ac ciuium gratulatione, imbuti sunt. De horum altero, sibi noto ac familiari, cùm inaudisset Lutheranus, familia nobilis, ad Catholicos breui migraturum, conatus est eum traducere ad suum gregem; sed respondenti libentiùs se in Iudaismo perstaturum, quàm vt Lutherismo inquinaretur, hanc hominis ingenuam libertatem Hæreticus acerba contumelia iniuriáque vltus est. Per summum enim Catholici ritus ludibrium, barbam, capillúmque ipsius, ex Monachorum formula, tonderi ad cutem iussit, & eiusdem caput ab aure ad aurem; atque à fronte ad occiput decussari: suo insuper equo

impositum malè multari verberibus, ac dimitti. Sed tam contumelioso probro Iudæus ab instituto neutiquam deterritus, quod animo destinarat, est reipsa exsecutus fortiter, alacriterque, nostramque deinceps ædem perstitit religiosè frequentare. Scholarum nostrarum eximia celebritate ac disciplina permotus Antistes noster, pridem de Academico instituendo splendore apud nos cogitarat, cuius consilia nunc eò prouecta sunt, vt, de futuræ Academiæ amplissimis prærogatiuis, apud Germanici Imperij Catholicos proceres seriò iam actum sit, quindenaque Dalerorum millia in eam rem ab eo nuper assignata, in Danistarum mensis, luculento censu annuo in dies exaugeantur. In vicinam Satrapiam peramplam, Hæretico veneno pessimè affectam, sæpius itum est ab nostro Sacerdote, ac tam felici demum exitu, vt principem feminam viduam, eius Satrapiæ Dominam, ipsius filium, ac de clientibus complures Hæreticos, Catholicis adiungeret, in eámque constantiam Romani tuendi ritus induceret, qua ex constantia, cognatorum, licèt præpotentium nemo, sed ne Imperij quidem Princeps aliquis, ei loco vicinus, sua auctoritate potuerit eas feminas demouere.

Posterior annus Academiæ, cuius modò mentionem intuleramus, felicissima dedit primordia, neque minùs fausta Domui Probationis, cuius vtriusque auctorem conditorémque se præbuit Illustrissimus Antistes Paderbornensis, pro sua in Societatem eximia beneuolentia, de cuius Præsulis manibus, Pater Prouincialis ex ipsa ara, vbi

faciebat,

faciebat, sollemni ritu scriptam quindecim millium Dalerorum cautionem excepit, caput scilicet annui vectigalis, Theologicis, Philosophicísque Magistris perpetuò fouendis, ab ipso destinati. Hoc eodem igitur anno factum initium est Academicarũ exercitationum ab Logicis præceptionibus. Quo item anno exordium cepere cum Ecclesia sentiendi quinque ac triginta Hæretici.

MONASTERIENSE COLlegium.

LVTHERANAS copias in vrbe vno vicenûm capitum manipulo infrequentiores fecimus, altero item manipulo tricenûm hominum, propinquo in oppido: cæteris locis aliquem etiam numerum detraximus. Extremæ huius Diœcesis tractum, versùs Frisios, Emslandiam appellant, septuagesimum annum Lutherana tabe perditum: sed hoc anno exactis ab Antistite, eodemque ditionis Principe Prædicantibus, nos, cum aliquot Curionibus, ad Hæretica lustra repurganda, missi sumus duo Sacerdotes, qui Meppenæ, principe in oppido degeremus, vnde in circumiecta oppida & pagos fierent excursiones. Meppeniis oppidanis, hominibus nequaquam malis, Lutherum dissuadere laborioſum non fuit, nisi existimationem suam in eo agi putarent, & Catholici moris Confessio paullò durior videretur. Tricena tamen capita se abduci passa sunt ab rustica eiusmodi ve-

recundia, vt iam cæteris, cateruatim ad concio-nes & Sacra confluentibus, ea res non adeo ſale-broſa videri cœperit. Celebrarunt vtroque anno gymnaſium noſtrum frequentes diſcipuli, ac poſteriore quidem duodecies centeni, quorum non pauci, Hæreticis orti parentibus, ea ſunt con-ſtantia in ſuſcepto ſemel Catholico dogmate tuē-do, vt vitam quàm Fidem potiùs ſibi patiantur eripi. Ciuium quidam, apud nos Deiparæ Soda-lis, nundinariis diebus, ac Maximi Ieiunij tem-pore, hoſpitum magnum numerum domi ſuæ acceperat, quorum nonnulli carnem ſibi apponi poſtularent, quos ante accubitum iuſſit eo nomi-ne ſuis ædibus excedere, quòd nullo iure hoſpitij poſſet adduci, vt in diuinas leges fraudem admit-teret: qua denunciatione hoſpites illi ſe ad lici-tos cibos accommodarunt. Ex alia centuria ſede-cim non eſcas modò vetitas, ſed vniuerſum Lu-theriſmum funditus à ſe abdicarunt.

HILDESHESEMIENSE COL-legium.

CALVINIANVS Friſo, apud ſuos maiorum gentium Theologus, ad nos deductus ab ami-cis, vbi coram congreſſus eſt, haud erubuit fate-ri, ſuam Theologiam noſtræ longè inferiorem eſ-ſe: vtque ſe oſtenderet haud alienum ab noſtris rationibus, germanum ſuum ab Lutheranis, ſuis olim magiſtris, auocatum, noſtræ diſciplinæ, tan-

tò, vt

tò, vt ipse censet, potiori, tradidit. Castellana nobilitas, Hildeshemio propinqua, Lutherani licèt dogmatis, vt primùm cœpere nostri eam visere, atque officiis colere, continuò se non tantùm beneuolam, sed beneficam quoque in Societatem ostendit: vt fuerit ex ea vir primarius, qui salarium vectigal annuum Collegio attribuerit, nullumque finem faciat egregiæ in nos voluntatis exhibendæ. Eiusmodi generis homines nonnulli auidè ad nostras adeunt conciones, & vt affici cœperunt, Prædicantium nænias auersantur: cuius alienationis causam proferre quidam rogatus familiariter ab æquali, etiam ipso Prædicante coram, ac Senatoribus aliquot, liberè professus est, Iesuitarum dictione se ad pietatem commoueri summoperè, apud suos nullam guttulam hauriri posse pietatis. Cum altero, simulatque noster est congressus, sermone captus est mirificè, vt, super cætera beneuolentiæ argumenta, non temperaret sibi, quin digredientis in sinum, atque repudiantis, duodenos Daleros effunderet. Per hæc initia reuiuiscẽtis in hoc agro verbi Euangelici, eo disseminando ex Lutheranis ergastulis septuagenos in Ecclesiæ liberam, iucundamque custodiam transcripsimus.

SECVNDVS annus totus grauiùs habuit totam pæne Familiam, duosque Socios ad vltima deduxit, quos conclamaueramus, nisi de cælo præsidium adfuisset, etiam extra ordinem. Alterius pestilens vlcus suppurare cœperat, cui præsentem tulere opẽ religiosiùs acciti Cælites ipsi tutelares

ab al

ab altero ſuſpenſa de collo Beati Patris Ignatij manu ſcripta epiſtola, cum precibus & voto, Tympaniten ſemeſtrem, eoque diururniorem, cum omnium ſtupore depulit. Claro loco natam virginem Hæreticam malus Dæmon inſederat, multaque pertinacia obtinebat, cuius expugnationem fruſtra ſæpius tentatam Prædicantes noſtris relinquere ſunt coacti, quorum opera, ex Eccleſiæ ritu adhibitis exſecrationibus, de veteri ſtatione deiectus eſt, poſteà quàm illa deſciuerat ab hæreſi, vnde deſciſcere ſoror eius maior quia noluit, perſtitit in ſua poſſeſſione Cacodæmon. Decem & octo Prædicantes, numeroſa vtique Moloſſorum caterua, è Tartari luſtris immiſſam geminam hanc feram, cùm ſibi ſumſiſſet potenti latratu exigendam, alius alio tempore, & loco, aliaque latrandi formula, plurimùm inanis operæ, cum multo ſuo dedecore perdidit. Enimuerò vel ipſis Lutheranis ſpectatoribus tã inepta inſulſaque ratio ſuorum Poparum, in oppugnando Dæmone, viſa eſt, vt miſeros cachinnis ac ſibilis obruerent, ac pleroſque, vel hoc vno argumento, ſui dogmatis pigeret, puderetque. Longum ſit recenſere, quàm longè petitis, quàm alienis & frigidis ſermonum ambagibus, non impeterent Cacodæmonem, ſed obſeſſis puellis ſomnum conciliarent, auditoribus ſtomachum mouerent. Triumphabat ſcilicet vtraque illa Orci bellua, ſuis in latibulis, oblatas ſibi ad certamen meras latrantium canum laruas, metumque ac fugam ſimulabat interdum, acuendę aduerſariorum ferociæ, quam eueſtigio ad dicteria &

ria & sannas erecta obrueret. Nihil salsorum conuiciorum fingi potest, quo illi, omnis proteruiæ architecti, dicacissimè non aspergerent huiusmodi Bœoticos Lycisças; nihil verorum probrorum tam occultum in Prædicantibus esse potuit, quod non palam retegerent, quibus lacessentium ora cum rubore non perfunderent. Hianti ore Ministellorũ vni cùm Dæmon aliquando illuderet, Sacerdotes nostros, fiducia sui Ministerij, stolidè imitatus nebulo, sacrilegos digitos immisit in hiatum, quos non nisi pænè concisos retraxit. In parentis ædibus cùm Euangelici Prę̨cones has puellas curarẽt, quasi Lutherani flagelli acerbitate fractus veterator, exclamauit sibi excedendum, aperirentur mox fenestrę, inferri sibi vim, cui par nõ esset: decursúest certatim ad fenestras recludendas; tumille sublimẽ elatã vnam virginũ, formidoloso volatu, diu tota aula circumuexit, Prædicante interim efficacitatẽ verbi sui demirante, quasi alterius Elisæi, cũ desubitò puellam pænè deficientem humi demisit, ingẽti Prædicãtis ludibrio. Quidquid sacrosancti suis in adytis fuerat, quidquid in armamẽtariis Lutheranis validi & infracti, expromserant magna vi & inusitata ambitione Martinianorũ Mystarum proceres, vt Martini veterẽ infamiã detergerẽt, longéque Martino se venditarẽt sanctiores, sed Tartarea Viuerra de suo scrobe tamen trãsuersum vnguẽ nõ moueri; ignauarum canũ intermortuos latratus deridiculo habere, iis illudere, ac insultare. Collatis itaque inter se capitibus, maiorum gentium Popæ disquirere sedulò, quod tantæ suæ imbecillitati,

litati, quod fœdæ ignominiæ honestum tegumentum prætexerent; & venit in mentem prælatè meditatis ingeniosissimum, & Lutherano acumine dignissimum inuentum, vt apud vulgus, velut ex tripode oraculum proderent; Sacræ Scripturæ aduersari obsidentium corpora Cacodæmonum oppugnationem. Quærebatur tamen, quando tam modestum & sanctum genus hominum, Prædicantes, religione prohibebantur hoc curationis munere, ab instructissimis ipsorum nartheciis, atque auspicatissimis manibus, ab huiusmodi Diuis Aesculapiis, ad quos tandem Machaonas infelicissimæ virgines amandarentur. Hic Hippocraticæ Decuriæ Patres gaudere, ac sibi gratulari non mediocriter, cùm suus Senatus de integro consuleretur, in re admodum perplexa: ad consultandum itaque denuo considere; qua in deliberatione sententiis variatum est, alij enim Adscriptitiorum Patrum censere, curationibus abstinendum, idque mali cum tolerantia permittendum Diuinæ Prouidentiæ: alij sanationis accersendæ gratia, si quorum mortalium adeundæ manus essent, videri conuenientius ad veneficos & magos, quàm ad Iesuitas confugere. Vnus tamen & alter de hoc Prophetarum choro, & quidē inter consilij principes, non est veritus dicere, vitio non esse vertendum, si demum ad nos decurreretur: quam sententiam ipsa necessitas persuasit, cùm iampridem vis omnis, ars, consiliumque sagacissimam Prædicantium gentem, cùm Lutherani nominis infamia, defecisset. Euocati ergo nostri ad eas virgines,

gines, rem difficultatibus haud leuibus implicitam cunctantiùs aggrediendam rati, suam operam vt non negarent, eam tamen differebant, ne res Catholica Hæreticorum ludibrio exponeretur, si in Lutheranis puellis, & apud Lutheranum populum, euentu minùs felici cum Dæmone pugnaretur. Aduentum itaque suum proferentibus nostris, puellas ad eos adducendas sibi sumserunt cognati; sed iter detrectante Tartareo prædone, virium inopia Hæretici adacti sunt, ad Catholicorum, Ecclesiæque opem flagitandam, vt Sacerdotibus Stolis constrictæ virgines ad nos traherentur, nullis viribus alioqui perducendæ; quibus tamen iniectis vinculis, impotenter furentis Dæmonis sæuitia omnis resedit. Hoc argumento vel ab inuitis Lutheranis iam exprimebatur confessio, Iurisdictionis Ecclesiasticæ apud solos Catholicos vigétis, eáque præsagitio credebatur fausti certaminis, nostræque victoriæ; sed quanto cũ pudore, doloreque Prædicantium! Vbi se nostro Sacerdoti stiterunt virgines, is graui oratione ostendit, quantum præsidij, ad debellandum clandestinum ipsarum hostem, in Catholico esset dogmate, in Lutherano quantum obstaculi; proinde si per Catholica remedia sibi meliùs esse cuperent, ad nostrum ritum cupidè adiicerẽt animos, fore alioqui spem salutis exiguam: quibus verbis minor puellarum ad Catholicos voluntatem libenter appulit Quaternûm denûm dierum sedula Catechesi ad induendum Catholicum nomen præparata est, interimque Tyranni eam insidentis compressa ferocia

rocia

rocia Beati Patris adhibendis reliquiis : quem sic edomitum decimus quintus dies secundùm rem Diuinam, atque exorcismos, debilitatum penitus fractumque, de aliena possessione felicissimè depulit, ingenti Romanarum partium existimatione. Hanc veluti Marpesiam cautem, ad quam Lutheranæ sanctitatis Heroes suæ temeritatis allisérant rostra, obtriuerantque, tam nullo negotio à nobis fuisse deiectam, & in illorum quidem oculis, quos testes suæ infirmitatis Prædicantes habuerant : perinde quasi fuit atque ipsum Lutherismum imis radicibus, in ea regione, conuelliſſe, ac eadem opera, Lutherano in solo, asseruisse Catholici ritus dignitatem, sanctitatemque. Quò autem minùs ambigere possent aduersarij, Ecclesię Romanæ propriam esse prærogatiuam potestatis in Cacodæmones, percommodè accidit, vt per eosdem dies, abeodemque Sacerdote nostro, puella, decimum & septimum abhinc annum Energumena, sanaretur, quam rumor proximè collatæ sanitatis procul ad simile subsidium exciuerat, simul & puerum veneficiis teterrimè affectum, cui allatũ remedium salutare fuit. Tam felix leuandis corporibus euentus ansam præbuit quàm plurimis, salutis animorum expetendæ, atque consequẽdæ, quem in numerum allegi voluerunt Hæretici plùs sexaginta. Principis Corbeionis propinquus adolescens, in Hæretica familia, ipsi nomine Catholici ritus infestissima, integritatem morum ac Fidei sanctissimè fortissiméque tutatus est, sed in morbo præsertim ; qui ei fuit vltimus, cùm

piè

piè oranti, petulanter familiares illuderent, ipse contrà hoc ardentiùs frequentiusque precaretur, Catholico more, Fideique suæ professionem, ex formula, vernacula lingua, vti omnes caperent, idemtidem pronunciaret. Eius demortui corpus per densissimos Hæreticorum cuneos Sodales nostri extulerunt, illustri ac numerosissima pompa, tetrùm frendentibus Lutheranis, tamque audaci Catholicorum facinore suæ sectæ grauem imminere plagam præsagientibus.

EMBRICENSE COLLEGIVM.

PATRI Nicolao Stein hic annus vitæ postremus fuit, at ille quidem, sicut ab consuetudine ipsius religiosissimæ vitæ, præclararum actionum laudibus insignis; ita diuturni molestique morbi conditione singularium virtutum edēdis facinoribus perillustris. Aetatis mediā ex æquo partem Societati fidelissimè ac vtilissimè commodarat, natus, cùm obiit, annos quadraginta, decimum autem agens ex quo in Professorum cohortem allectus erat. Viginti annorum adolescens Anabaptista, contra sui gregis morem, cùm de nostro audisset, quod omnium grauissimum est periculorum, imminere sibi periculum, nondum Baptismi aquis expiato, consilium salutaria suadentis cupidè arripuit, & Catholicis perlibenter aggregatus est. Embricensi cuipiam Caluiniani Popæ annos nouem iam imposuerant, cui apud

illius sectæ proceres de sui dogmatis capitibus cõsultanti aliquando accidit sciscitari, numquid ipsi apud Deum, agentem olim seuerum omnium mortalium iudicem, pro se, in ea secta morituro, sponsores intercederent. Homines alioqui præfidentes, suæque nihil non tribuentes causæ, terruit ea percontatio, perplexæque mentis conscientia spondendi fiduciam ademit, vt præcisè negarent, eo se genere sponsionis certaturos. Vanitatem dogmatis, paullò antè anxio, facilè persuasit ea suorum magistrorum diffidentia; quamobrem ille ne momentum quidem in eo luto sibi hærendũ ratus, ad nos confestim adiit, & cum Christo sponsaque ipsius Ecclesia reconciliatus est. Opimi stipendij lenocinio illectus noster quondam discipulus, benè Catholicus, eò fuerat delapsus, vt apud Hæreticos ecclesiasten ageret, animo tametsi Catholico; cui hoc anno cùm formula quędam Catechismi auditoribus explicanda obtruderetur, quòd ea forsitan disertiùs exprimerentur atrocia hæreseon capita, huiusmodi sacrilegio abstinendum sibi ratus, discessionis ab illis partibus inde ansam arripuit, neque se vllis vel precibus, vel donis distineri passus est, quin ad nos aduolaret. Eum cupidè adeuntem cupidiùs etiam excepimus, piisque commentationibus per dies aliquot excultum domi, magna ipsius voluntate, Deo Ecclesiæque restituimus, cuius in societatem alij quinque ac triginta ex Hæretica gente concesserunt. Ex itinere ad nos diuertit Mauricius, Comes Nassauvius, cùm esset in comitatu filiæ Britannici Regis

ci Regis, Palatino desponsæ, cui ad nos adeundi non aliam, quàm beneuolentiæ fuisse caussam, facilè ipsius ex vultu, sermonibusque perspectum est, quòd quàm familiarissimè, ac humanissimè versatus est nobiscum, atque in digressu suam operam prolixè detulit, seque amicum futurum vltrò est professus. Ea beneuolentiæ significatio vt sermonibus vulgi hoc toto tractu dissipata est, Hæreticorũ ferociã erga nos, & petulantiã repressit summoperè, vt eo velut improuiso telo perculsi, abstinuerint obtrudẽdis Comiti supplicibus libellis, quibus summa quæque indulgeri sibi, Catholicis sua iura valdè minui, postulabant.

SECVNDVS annus duodesexaginta Catholicos Ecclesiæ peperit, ex contumacissima licèt schola Sectariorum, & in iis quidem Iurisperitum haud ignobilem, celebris gymnasij apud suos Rectorem, cuius scripta, propediem vulganda, non parum auctoritatis habitura creduntur ad persuadendam Hæreticis veritatem. Eximię pietatis tredecim annorum puellam, inter ipsa religionis officia sedulò apud nos obeunda, morbus contumax ita lecticæ affixit, vt paucis hebdomadis, præter fordè inflexam dorsi spinam, crurum etiam vsu miserlam multaret, non tamen de pietate illius quidquam detergeret, sed vehementer accenderet potiùs, vt furcillis, ægrè licèt, innecta nihil quoad niti posset, veterum officiorum erga Numen omitteret. Ei sua mater cùm pridie natalem Beati Laurentij auctor fieret, vt tam acerba passo, Martyri sanctissimo, affinitate quadam pœnarum

velut consors, fidenter supplicaret, noxis diligẽter expiata, neque vereretur erga se tam gratiosi apud Deum patroni sperare voluntatem propitiã, & opẽ salutarẽ: & pridie Natalis, & ipso Natali die, nostrã in ædem Sacramentorum causa venit. Sed, vt erat egregiè pia, eum supplicandi modum adhibuit, qui non potuit Cælitibus non gratissimus accidere, ac Numinis non sibi conciliare benignitatem. Nam cùm laboriosissimè ad sacram mensam nixa fulcris adrepsisset, cælestique recreata epulo, haud minùs incommodè in suum se recepisset locum, diutiùs intentiúsque orauit, ægrè licet nitens genibus, & sensibus propemodum alienatis; qua ex aberratione vbi ad se rediit, valetudinis & furcillarum oblita, vti se erigeret, connixa est, quem inter conatum crepitus & fragor ossium in ea est auditus ab circumstantibus, ipsa verò valida insistens pedibus domum abiit, deinceps incolumis. Vesaliam, nobilissimum oppidum, Cliuiensis ditionis caput, expugnante Marchione Spinola, Batauicus exercitus, vt damna damnis compensaret, toto Montensi tractu, finitimisque locis, acerbam, & fœdam intulit vastitatem, ciuesque Embricenses ad deditionem adegit; qua ex deditione facilè intelligi potest, quantum incõmodi nostris exercitationibus, quantum periculi omnibus nobis, accesserit. Hæreticis nimirum castris ad vrbem considentibus, frequentes militum cohortes oppidum ineuntes, visendi studio ad nos adibant, quos inter vt multi quidem nos perhonorificè haberent, plerique tamen ex Hæreticorum ingenio,

ac castrensi petulantia, negotium, periculumque non mediocre facessebant. In ea certè militari proteruia, vna nos, secundùm Deum, Mauricij Comitis reuerentia tutabatur, quòd rumoribus acceperat miles, ipsius erga Socios apertam esse beneuolentiam, nosque illius nomen, auctoritatemque aduersùm petulantes fidenter appellabamus. Huiusmodi tutoris nostri frequens appellatio pudorem metumque infensissimis quibusque iniecit, vt vltra minas & conuicia eorum indignatio progredi non auderet.

AQVISGRANENSE COLlegium.

GEMVERVNT & hoc anno Aquenses Catholici sub ciuium suorum Hæretica tyrannide, vt vna modò spe cælestis præsidij afflictos animos solarentur; cui præsidio faciliùs promerendo, sedulam dedimus operam Catholicorum animis multa caritate inter se deuinciendis, vt superiore anno cœperamus. In eam rem iis indictę sunt Ianuariæ kalendæ apud nos, Sacramentis vno in cœtu publicè obeundis, quod vbi concordissimis animis, & inusitata religione fecerant, prandium ipsi, summa voluntate, domi nostræ nobis lubentissimis condixerunt, interque lætissimè agitatum frugale conuiuium, de ciuili concordia fouenda sanctissimè pacta conuenta renouarunt. Nihil æquè connitentibus Hæreticis, quã

vti ſuis partibus perpetuum vrbis dominatum aſſererent, eoque nomine, quàm plurimos Catholici ritus ciues ad ſe adducerent: noſtris Patribus deſudandum fuit magnoperè, vt ne quam ouium de Chriſti grege paterentur clabi. Acre telum Hæreticis ſubminiſtrabat, ad pleraſque familias expugnandas, extrema rerum omnium inopia: quibus familiis, vt ne ab ſua egeſtate crearetur infame Fidei naufragium, Patres noſtri, de ſua tenuitate, quam non mediocriter auxerat captiuitas vrbis, ſuppeditare non deſtiterunt, quo ſubſidio, ac beneficentia opulentiorum ciuium adiuti ſunt ità inopes, vt nemo vnus ad aduerſarios muneribus pellicientes adſpirarit. De illorũ verò caſtris, quòd eos ſui dominatus felicitas longè arrogantiores fecerat, vt ſibi hanc perpetuam fauſtitatem ominarentur, ſuoque Euangelio incrementum mirabile, vix vnus & alter paſſi ſunt tranſitionem ſibi ad nos perſuaderi.

SED alter annus, recentis Imperatoris auſpiciis, ductuque, opera verò Marchionis Spinolæ, huc ab Auguſto cum imperio & mandatis deſtinati, omnes Catholicorum moleſtias feliciter abſterſit, cùm publica res Aquenſis ad veterem reuocata ſtatũ, de Romani dogmatis corpore ad ſua gubernacula rectores de integro adhibuit. Marchioni Spinolæ, legatus Coloniẽſis Electoris gerendę rei comes aduenerat, cuius vtriuſque in nos eximia beneuolentiæ argumẽta cõſtiterunt, atque hoc luculẽtiora, quòd, ad multã propenſiſſimi animi ſignificationem, inſignis quoque acceſſit liberali-

ralitas, quingentis Philippeis ab Archiduce Belgico in scholarum fabricam attributis. Restitutis porro in integrum Catholicis, sapientissimus Senatus animum sollerter ac fortiter appulit ad ciuitatis partes integras cõseruandas, errorumque cõtagione prohibendas, maximè quod Anabaptistarum propè infiniti greges, per turbulenta Hæretici principatus tẽpora, in vrbem irrepserant, vt sexcentæ iam familiæ huiusmodi pestis numerarentur; quas, vbi nulla dabatur spes melioris frugis, omnes edicto adegit è ciuitate procul facessere. Adolescens, mulierque sæuiore Cacodæmonis dominatu apud nos, sollemni exorcismorum adhibita formula, vindicati: & conclamatæ valetudinis grauida femina Beati Patris Nostri admotis reliquiis ad optatissimum adducta puerperium.

BAMBERGENSE COLLEGIVM.

LVTHERANIS, ac cæteræ fæci Hæreticorũ, mirum quantum doluit hactenus, nihil se vnquam salutaris opis nactos esse, aut posse hodie nanciscì, suis in morbis, quantumvis leuibus, apud sui dogmatis venerandos Antistites: quam sanitatis conferendæ impotentiam, vt suis Prædicantibus cum stomacho, non exprobrent, interdum nequeunt abstinere. Hac igitur suorum Sacrificulorũ destitutione haud leuiter perturbati, ad imitanda Catholici moris vota, peregrinationes, ac huiusmodi alia, vrgente valetudinis incommodo,

velint, nolint sæpius delabuntur : quibus, licèt immeritis, Numinis benignitas haud infrequenter indulget sanitatem, vt ea beneficentia inescatas impiorum hominum mentes ad veritatis amorem alliciat. Bambergensem ciuem sontica vexatio habebat pessimè, ac eo peiùs, quòd ex sui ritus Sacris leuandæ valetudinis spes nulla planè affulgebat, quamobrem ad alienæ, atque alioquin inuisæ, gentis religiones animum sibi appellendum statuit, nuncupato ex Romani ritus formula voto, depellendæ sæuientis pestis gratia. Vbi verò Deus profani hominis preces neutiquam erat auersatus, sed, in supplicantis obsecrationes propitius, Comitialis tabis venena ex eius corpore penitùs absterserat, tanto beneficio ab Numine occupatus Hæreticus, credidit integram animi salutem inde sibi hauriendam, vnde tam facili negotio membrorum abstulerat salubritatem. Igitur, reclamante quantumvis matre, se suaque omnia, magna voluntate, incensoque Catholici dogmatis studio, ad Ecclesiæ partes, Lutheranis tantò sanctiores, honorificentioresque se transtulit : quam in eiusdem transitionis nauem alios vndeseptuaginta imposuit conscientia rei malè gestæ nouitios inter Euangelicos. Iniectam ab nostris religionem fouendarum cærimoniarum Ecclesiæ tam auidè arripiunt plerique Catholicorum, vt earum obseruationem in nullo capite sibi patiantur anelli; quo de genere singulare illud fuit in femina, cui ex nostra disciplina ingens studiũ Catholici ritus insederat. Quosdam sui corporis, tametsi rectæ Fi-

dei

dei ſtudioſos, deprehenderat ferri paullò licentiùs in vetitos cibos, quæ gulæ infamis labes ne ſuũ quoque virum contagione affiniũ inquinaret, ei finitimos mercatus, negotiandi cauſa, continenter obeunti, perpetuum viæ comitem ſe adiunxit, vſu religioſarum eſcarum inhibuit, ſicubi opus eſſet, Romani moris opſonium inſtruxit, nec ab huiuſmodi officio vllis ſui comitatus dicteriis, contumeliiſve potuit auocari, quin maritum ab nefaria hac eſculentorum ingluuie immunem præſtaret.

POSTERIOR annus infauſtior nobis excurrit funere Patris Ioannis Hommart, huius Familiæ, ab ipſa primùm inſtituta, in hunc vſque diem, Rectoris, ea inſignium laudum celebritate clari, vt, ſi & domeſticos, & extraneos conſulas, vix potuerit deſiderari eo quidquam abſolutius, & apud Principem noſtrum, totamque adeò ciuitatem acceptius. Ad cæteras præclari moderatoris eximias dotes accedebat comitas tanta, & flectendis quibuſcumque ingeniis dexteritas, nihil vt eius imperio, tametſi nec de diſciplina quid remittẽtis, eſſet optabilius. Concionibus frequentiſſimis apud ciues habendis erat conſecutus, vt eos, quacumque incubuiſſet dicentis oratio, facillimè inflecteret; fuit autem eius ſermo huiuſmodi, qui non oblectaret modò auditorem, ſed aculeos in animis altè defigeret. Confeſſionibus excipiendis tametſi negotioſiſſima cæterorum munerum functio eum meritò abſoluebat, iis tamẽ & frequẽter, & diutiſſimè diſtineri ſe patiebatur, incenſo iuuandorum ciuium ſtudio; quibus officiis, & eius

generis compluribus, totius ciuitatis voluntates ita sibi demeruerat, vt in oculis omnium ferretur. Eius funus omnes non modò ciuitatis ordines, sed & Princeps, incredibili mœrore ac lacrymis celebrarunt, cùm palam prædicarent, magno suo incommodo periisse germanum Bambergensium Apostolum; cuius exitus in quadragesimum ætatis annum, & aditæ Societatis decimum sextum incidit; vt pænè viridi iuuenta occidisse videatur. Ipse Anristes, & idem Princeps noster, saluberrimũ piæ commentationis secessum suo, vt asserit, summo bono expertus sæpenumero, non desinit principibus de Clero, & populo illius vsũ cõmendare magnopere, & suadere, quẽ plurimis quoque sua auctoritate facilè persuadet; vtque omnium ciuiũ mentes tanti boni notitia imbuerentur, iussit de superiore loco à Concionatoribus eius rationem disertiùs explicari. Virgo Norimbergensis honestis & copiosis nata parentibus, Lutherano in ritu, Angelicæ Salutationis formulam ex Catholico didicerat, eamque Dei Matri studiosè recitabat, quo genere officij assecuta est, ignara licèt, vt Deiparam sibi conciliaret; cuius per quietem admonitu iussa est Bambergam proficisci, erudienda Catholicis institutionibus ab eo de nostris Patribus, qui designabatur. Cuius nocturni visi vt maior constaret fides, ille idem Sacerdos à Beata Virgine iussus est aduenientem puellam excipere, iis indicatis argumentis, vnde posset agnosci, adiectis etiam ad cæteras notas singularibus euentis, quæ virgini Lutheranæ omni vita obtigerant, vel iis quo-

iis quoque, quorum vnum Deum conscium haberet. Huic deinde in Ecclesiæ sinum admissæ, cùm singulari sua voluptate res sacras obiret, & Deiparam veneraretur, sollemne fuit, Dei Matris crebram mentionem inducere, atque asseuerare, nulli Hæretico posse accidere, vt cum hæresi è vita decederet, cui Cælorum Regina fuisset in honore. Coniugata mulier quinquennium totum incuboni Dæmoni se substrauerat, cuius nequitiæ, atque intemperiarum trucis mœchi denique pertesa, flagitij rationem marito aperit, vsura eius consilio atque ope; quo item percontante Prædicantis super ea re sententiam, sacrilegi hominis scelerata perfidia, crimen adulteræ mox ad magistratum defertur, cuius decreto ad Bambergenses Quæsitores vincta perducitur. Nulla mora fuit, quin sua confessione damnatam, iudices securi, ac deinde rogo addicerent; cui Hæreticæ id boni contigit in extrema vita, vt nostrorum ope Catholicis instructa præsidiis morte plecteretur. Mulieri de vita periclitanti, & minimè omnium sollicita de animi salute, repudianti etiam obstinatissimè familiarium salubria in eo genere consilia, noster Sacerdos, ægerrimè licèt, post multas preces, atque intentatas de cælo graues minas, persuasit tandem, vt sibi medicum animi adhiberet. Tum illa, quoniam hæc causa non admittit arbitros, quotquot adestis, hinc facessite properè; cui vt mos gestus erat, vt primùm loqui exorsa est in auribus Sacerdotis, eius coniux, assistens ad cubiculi fores cum Sacerdotis socio, siderato similis

milis derepente corruit, Iesum, & Mariam cum horrendo eiulatu inclamans. Ad vociferantis intensum, lugubremque clamorem, tota vicinia cohorruit, accurritque in ipsius ædes, ex quo tandem recreato audiit, vbi primùm cœpisset labra diducere sua vxor, exstitisse ipsius ex ore immanem draconem, igne micantem, fluentemque cruore, qui suos oculos, fulminis instar, præteruolasset, & circumfusum aërem incendisset longè lateque, vt eius aspectu, afflatuque crediderit vitam sibi ereptum irj. Alteri feminæ, ad mortem decumbenti, longè peius consultum ibant Tartarei veteratoris insidiæ, nisi nostri Sacerdotis sollertia,& constans assiduitas,opportunè occurreret. Ea nempe vt Confessionis, ita precum abiecerat consilium, vt benè suadentibus conuicia procaciſſimè ingereret, nostrumque Sacerdotem obscenis dictis ab se amoliretur. Cui vrgenti vt spem omnem sui conatus vno verbo prȩcideret,sibi certum esse illo statu emori denunciabat, neutiquam verita digito indicare adsistentem ad latus Cacodæmonem, quem, blandiore voce, suum appellaret, triduoque se cum eo migraturã assereret;interimque illa horrendum in modum exclamare, vetare vti nemo sibi Pœnitentiæ, nemo precationis faceret mentionem: edicere domesticis, Iesuitam ex ædibus exigerent. Hic noster prouolutus in genua Deo ardentissimè pro emotæ mentis femina supplicare,orandoque vsque eò prouehi, dũ se aliquid profecisse crederet;sed obdurabat impotẽs sui mulier hoc animũ magis,obsurdescebátque

vehe

vehementiùs, vt cùm omnia iam deficerent nostrum, ipse demum ad Beati Patris Ignatij reliquias, vt ad vltimum amuletum, duritiæ auertendæ deuolueretur. Eius scilicet meritis atque gloria hanc palmam Deus reseruarat: enimuerò cùm primùm sacra imposita Lipsana caput furentis attigerunt, lætum ipsa vultum induit, hilarique voce exclamauit, en Cacodæmonẽ, metu perculsum se propere hinc subducentem: euge, nunc, nunc tẽpus est orare; vos modò mihi precationum verba præite: sed vti proficiant preces, flagitia, quæcumque memini ab vltima pueritia, huic ipsi Sacerdoti, contrà atque pernegaram, in præsentia retegere certum est. Confestim ergo, adhibito nostro Patre, magna intimi doloris significatione noxarum omnium recensionem instituit, qua defuncta cum fide, sacroque instructa viatico, spei plena placidissimè decessit.

VVORMATIENSE COLLEGIVM.

OBSTINAVERANT animum Hæretici, vt quacumque arte ac vi possent, Vvormatiæ aditu nos prohiberent, aut certè vt, ne institueretur admissis perpetuum domicilium; sed vtroque suo conatu deiecti Antistitis, eiusdẽque Principis, summa in nos beneuolentia, & in res Catholicorum studio; vt hoc anno licuerit nobis publicè oblato inter rem diuinam cereo legitimi Collegij eum conditorem agnoscere. Hæretica quidem plebe

plebe adhuc infestiore in nos vtimur; sed Senatorij Ordinis viros, & primarios ciues eiusdem dogmatis, multo æquiores experimur, vt nostro triclinio accipi se interdum, neque inuiti, permittãt. Frequentes ad nostrum Concionatorem Hæretici confluunt, atque in his, Caluiniani, omnium à nobis alieniſſimi: sed frequentiores multò Catechesibus solent interesse, ac maiore inde suo compendio, quàm ex ipsis concionibus. Huiusmodi commercio sensim demitigantur eorum mentes, & aboletur vetus odium, vt multò æquiores arbitros rerum nostrarum se præbeant; interimque apud eos eruditionis ac probitatis existimatione haud mediocriter proficit Societas, cuius virtuti suum testimonium quandoque non subtrahunt. De Cacodæmonibus exigendis ex Energumenorum corpore, apud omnes huius tractus Hæreticos in confesso est penitus, vnis Iesuitis concessam esse hanc prærogatiuam; nam Prædicantibus quidem formidationem minimè leuem incutit hoc dimicationis genus, siue Lutheri etiamnum terret eos infortunium in ea palæstra, siue ab hoc puluere arcet miseros sua infamia, qui meminerint, se illi Tartareo mimo ludos in hunc diem fuisse, quoties in hoc certamine cum eo manus conseruerint. Per hos certè dies cùm paganum agricolam senem intemperiæ quædam exercerent, in ditione Comitis Hæretici, acclamatum est ab omnibus indigenis, præcipuam nobis hanc delegari prouinciam; quamobrem & Satrapæ ipsius, & Ministrorum commeatu aduocamur ad eam curationem

tionem; deprehensum tamen est à nostris, debilem senem aberrare modò sensibus, non autem insessum esse à Dæmone; quam in rem, cùm opportunis præsidiis eum nostri communissent, suam operam Hæreticis magnopere probarunt, cum in cæteris, tum eo nomine, quòd perlibenter, & quidē gratis, suū laborem cōferebāt ægro. Hæretici magistratus seuero decreto vetiti sunt, non minùs Euangelici præcones, quàm vniuersus populus, cum Iesuitis venire in colloquium, tum vt transitiones ad Catholicum institutum prohiberent, tum vt ne Ministrorum inscitia, dogmatisque infirmitas, à nostris deprehensa, deinde palam proderetur: nihilo tamen minùs vicena septena capita eiusmodi edictorum sepia sic transilierunt, vt lubentibus animis in Ecclesiæ quoque nassam subierint. Theatralem nostri gymnasij laudem æmulari studebant Hæreticæ iuuentutis magistri de triuio, ex Sacræ Scripturæ historia sumto argumento, quod quia, licèt luculenter pro suo captu, reuera tamen frigidè ac ineptè tractauerant, vetuit eos Senatus Hæreticus in scenam actores producere, ne priuato suo dedecore, ac probro, existimationem causæ totius inquinarent. Suis quidem castris summa vigilantia incubant & Prędicantium decuria, & magistratus, quò minùs tamen satis amplas inde manubias anno altero auferremus, non potuerunt euincere; nam, præter integram familiam, sexagenos hinc inde illis extorsimus.

HAGE

HAGENOVIENSE COLLEGIVM.

HAVD procul occasu suo aberat hæc Sedes, cùm ei nomen, prærogatiuam, ac prope idoneum iusti Collegij vectigal Imperator, Austrij Principes duo, Hagenouiensesque ciues, decimo quarto huius sæculi anno, attulerunt, quamquam eius ab Societate admissi auctoritas non adfuit Roma ante kalendas Ianuarias anni proximè insequentis. Opimam olim nobis futuram messem ex bene amplo in hac vrbe agro Hæreticorum, rectè nos sperare iubet plebis Hagenouiensis incensa cupido nostri Concionatoris audiendi, à quo celebrando eam auellere nequeunt vlla Prædicantium interdicta: quo de grege quinque ac triginta vel isto vel superiore anno, nihil sibi deinceps cum Lutheranis fore cõmercij sanctè ac palã sponderunt. Leonardum Scheffer, rei familiaris nostræ curatorem strenuum, sexagenarium, horis non ampliùs vicenis quaternis vexatum Apoplecticus stupor exstinxit, quem multa virtus & industria vt Sociis vtilem & carum, ita extraneis fecerat acceptum, vt eius obitu dolerent, funusque celebrarent frequentes, & officiosissimè.

ERFVR

ERFVRTENSIS, ET BONNENSIS sedes.

HARVM Sedium prior nunc quindenos, nunc vicenos quinos, Catholicæ Adrogationis beneficio iure, Christo adoptauit, ex variis Hæreticorum familiis, quorum duo eruditione celebres, haud vulgari iactura suos olim tribules hac destitutione affecerunt. Alterius certè vehementer tentata est integritas, atque constantia, cùm ei, Gymnasiarchã cum laude annos aliquot agenti, Mansfeldianam in Aulàm, stipendiis bene amplis delatus est gradus honoris, vt pro Nouati Verbi Præcone apud illustres Comites gereret. Sed homini, nequaquam ad lucrum auido, salutis potior longè cura, quàm compendij fuit, quantumvis opulenti; cuius verè Christiani animi documentum præbuit sanequàm illustre, modesta simul, & religiosa eius responsio; saluo nempe Dei honore, animique integritate, illius se doctrinæ præconem non posse agere, cuius de veritate non solùm ambigeret magnopere, sed apertam quoque falsitatem perspiceret. Duobus aliis tantum insedit suæ conditionis gaudium, in adepta recta Fide, vt, inter aduersariorum minas vexationesque, haud modica voluptate perfunderentur, nec paullò minore afficerent molestia sectarios, quorum opera commissi cum iis Prædicantes, rationum telis confossi, concisique, cum sua multa ignominia excesserunt è prælio.

BONNÆ Catechetica pueritia graſſantem magnis ſtragibus luem, inſtituta, in aliquot hebdomadas, ad ſacra loca extra pomœrium ſupplicatione, ciuium capitibus penitùs auertit, vt pluribus menſibus occideret nemo, prẹter primarij ciuis filiam, cuius ſcilicet parens ſupplicantium ſtudium damnauerat, ac nonnullos de ſuis eo nomine malè multauerat. Virginẽ ante initam Cœnobiticum inſtitutum procus amauerat, nec deinde inſano amori temperabat, ſed importunis nunciis Chriſti ſponſam menſes aliquot ab Votis emittendis inhibuerat, cui ſuum aduentum in vrbem, & nuptias denunciabat. Sacerdoti noſtro perplexa Virgo cum ſuam anxietatem aperuiſſet, iuſſit ille Dei ancillam ſe totam ipſi permittere, proci nec nuptias nec litteras tantillum morari, Deum vindicem libertatis & caſtimoniæ ipſi affuturum; & affuit reipſa, illis ipſis enim diebus, in ſingulari certamine amaſius ille membris ita mutilatus eſt, vt præ pudore amatoris perſonam exueret. Marianorum Sodalium vnus ſeptuagenarius, cùm humanis Diuiniſque ſubſidiis procuratus propè abeſſet ab diſceſſu, ſumma ſua voluptate ad adſtantes Sodales verba faciens, ſibi ac ciuibus ſuis Bonnenſibus gratulabatur ingentem Bonnæ religionem, præ ea, quæ nuper fuiſſet, cùm ſpecimen aliquod pietatis edidiſſe publicè, non modò non haberet commendationem in vulgus, ſed offenſionem atque inuidiam apud conſcios & arbitros, quorum conuicia contumeliaſque in te præclarè factis concitares. Iam verò tota vrbe ſic feruere

Diui

Diuini cultus ſtudium, vt in eo genere palæſtræ Bonna facilè cum religioſiſſimis vrbibus certaret, cuius Diuini beneficij cogitatione ac gaudio elatũ ſe triumphantis in morem ex hac vita decedere.

ASCHAFFENBVRGENSIS ſedes.

SAGARVM, quæ ſe horrendis flagitiis lubentes Orco conſecrarent, amplam meſſem prior tulit annus, idemque nonnullarum maleficia ſic prodidit, vt, grauiſſimorum criminum compertæ, rogo addicerentur. Sed duarum in primis vt inſignia fuerant ad omnem impietatem facinora, ita ſingularis ad notam exſtitit ſacrilegiorum pœnitudo. Altera quidem, quò maiorem iniret ab Auerni Principe gratiam, exceptam ore ſacrilego Diuinam ei detulit hoſtiam, quam ille, gaudio exſiliens, mox iubet ab impia muliere proculcari, cui parere tergiuerſanti multa ingerit verbera, dùm ad exſecrandum facinus inuitam adigat. Sed proh ſcelus! ter obtrita pedibus Chriſti Diuiniſſima caro, ter tota maduit cruore; cuius aſpectu ſic inhorruit infelix, vt ab eo momento deinceps numquam eius conquieuerit animus, vt ipſa erat ſolita dicere, dum adfuit tempus eius ſacrilegij ſupplicio eluendi. Hoc ſuæ impietatis ſingulare argumentum, inter cætera multa, palam pro tribunali venefica ſponte profitebatur, & inuſitato cum gemitu, eiulatuque, damnabat, qui

acerbitatem doloris ex admissis abunde testaretur. Alterius animo tam tetras offuderat tenebras Tartareus canis, tamque cæcam noxarum obliuionẽ, vt id vnum posset effari, omnibus suppliciis se dignissimã esse, nullam verò flagitiosissimę vitę culpã sibi succurrere, vel maximè cupienti, quã in auribus Quæsitorũ deponeret: optare tamẽ sibi acerbos adhiberi cruciatus, expiandis inquinatissimæ vitæ flagitiis. Quæ vt in tam aperto salutis discrimine sibi nequaquam deesset, ad preces assiduissimas, ardentissimasque adiecit animum, quibus Dei Parentem sibi propitiaret, eiusque patrocinio eliceret ab Numine anteactæ ætatis recognoscendæ memoriam. Huiusmodi precationis, studio defixa, cùm per alta noctis silentia, & densas carceris tenebras, Virginem Matrem sollicitaret impensiùs, derepentè copiosissima lux se oranti circumfudit, cuius aspectu recrearetur mirificè, multò tamen iucundiùs interioris claritatis sensu, qua subeunte in animum eius, velut in apertissimo speculo, per omnem ætatem commissa ipsius memorię obuersarentur. Eo illapso in eam cælesti lumine, vix præ gaudio sui compos, desubitò inclamat custodes carceris, admonet infusam sibi diuinitus lucem, & recordationem vitæ præteritæ, eapropter euocetur sibi & magistratus & Sacerdos, cupere se rationem flagitiosæ ætatis apud eos explicare; qua exponenda postridie ratione, palam in ipso tribunali, admiratione sui, & commiseratione, audientium defixit animos, cùm Deo, Deiparæ Virgini, Iudicibusque destinati sibi gra

bi grauioris supplicij nomine gratias haberet, & ageret. Sed affusæ de cælo alacritatis ad cruciatuũ carnificinam non tolerandam modò, sed cupidè optandam, illud manifestum fuit argumentum, quòd est audita vox illius, sanctissimè assueerantis, si procul inde, ac sui quidem iuris & arbitrij abesset, sponte tamen ad supplicia redituram fore, vt, expiandis admissis in Deum sacrilegiis, se illi victimam ardentissimo studio consecraret.

ALTERIVS anni manubiæ de victa hæresi non quidem numero amplissimæ, sed genere ipso fuere satis illustres, per quas etiam futurus gradus speratur ad illustriores; cum præsertim illustrissimus Elector eò suam ardentissimè conferat operam, vt huius rei studio lacrymæ ac gemitus ipsius apud Deum inter incensam orationem exaudiantur. Cuius studiosissima erga Diuinam gloriam cura, & propensissima in nostram Societatem, spẽ nobis ingentem facit, nostræ operæ hoc vniuerso tractu fructuosissimæ olim futuræ.

SANCTENSIS SEDES.

SANCTIS sexagenos annos totos, eoque amplius, Sacrorum vsus, & Catholicæ consuetudinis ritus ita iacuerant, vt iam instar miraculi videatur, ipsis etiam Catholicis, cùm reuocatur aliquid istiusmodi, quod desuetudine obliteratum erat. Inde illi ciuilis & agrestis multitudinis concursus, ad inauditum rumorem prodituræ aut per

vicos vrbis, aut extra pomœrium pompæ ſupplicantium; inde quoque grandi natu ciuium, nobis ac Sanctenſibus gratulantium, noſtra opera redintegratum priſcæ pietatis morem ſanctiſſimum. Marianorum porrò Sodalium ſingularis virtus incenſumque ſtudium propagandæ in ſuos ciues integritatis morum, ac religionis, ingens affert momentum ad noſtræ procurationis inſtitutum promouendum, quòd & omnes ciues ſunt, nec obſcuri pleriſque nominis, inter ſe agunt concordiſſimè, & vniuerſæ ciuitatis rationem perſpectiſſimam habent: Caluinianis autem Lutheraniſque, numero & robore inferioribus, ſolent eſſe formidini. Hæreticorum autem hanc cuiuſmodicumque cohortem, detractis ex ea quadragenis quinis capitibus, & noſtro numero adiunctis, tantò infirmiorem fecimus, quibus initiis freti non dubitamus fore, vti vnus rectè ſentientium ex omnibus ſectis conuentus breui coaleſcat, quando vel ipſa Sodalium exiſtimatio, & quorundam ex eo cœtu congreſſiones cum Hæreticorum deprauatiſſimo, quem omnium turpiſſimarum hæreſeon fœditas inquinauerat, ad ſanæ Fidei, atque Sodalitij ſocietatem adiunxerunt. Sanctenſi cuidam tãtũ Catholicæ doctrinæ odium occuparat animũ, vt ſuperioribus diebus cũ vigintiquinque paris animi & ſectę hominibus, adiecto iureiurãdo, fœdus iniret, numquam ſe, vel intercedente grauiſſimo periculo, in Papiſtarum partes conceſſurum; quo tamen ex conſilio vt per grauioris morbi moleſtias deſciſceret, inque verba Eccleſiæ tantò ſanctiús

ctiùs iuraret, noſter Sacerdos rationibus opportunis impetrauit.

DE altero inſequentis anni fuit longè celebrior triumphus, quòd is ingenio, & natalium claritudine inter Caluinianos Gueldrios facilè princeps, vt longiore acrioreque dimicatione contra veritatem depugnauit, ita nobiliorem peperit certaminis exitum. Errorum auſpices ac magiſtros habuerat, appoſito ad combibendam pertinaciam tirocinio, Bezam, Pappium, Paræum, Grynæum, alioſque inſignes animorum, ac Diuini Verbi corruptores: quibus præſidiis ſeptus, factoque inſuper natura, & arte ad dicacitatem, & acerbos ſales ingenio, quibus Romani ritus homines nuſquam non configeret, Catholicæ nobilitati ſe formidoloſum præbuerat. Ei, vicenis quaternis horis ante deceſſum, noſter Sacerdos Catholicũ dogma perſuaſit, per diuturnas de Fide pugnas, eodemque tempore totius vitæ noxas recolentem audiuit, cuius ſacro ritu expiati fuit illa, grauibus expreſſa verbis, aſſeueratio apud noſtrum Patrem, coniugem, liberos, familiamque vniuerſam, nunc, exhauſta noxarum ex Catholico inſtituto ſarcina, animi ſui conſcientiæ longè tranquilliùs ac ſuauiùs eſſe, quàm vel tota vita fuiſſet, vel ipſe dicendo poſſet exprimere. Eius demortui, tranſitionem ad Catholicos, quòd paucis horis ante obitum acciderat, propinquorum Hæretica factio conata eſt inficiari, vel certè ambiguam in vulgus facere: ſed eorum oppreſſit impudentiam funebris oratio, qua, vti verè Catholicus, in

amplissimo nobilissimorum equitum consessu semel, iterum, ac tertiò diuersis diebus laudatus est: & adiecerunt huic lætitiæ cumulum alij vndetriginta, quorum facta est ad Romanum gregem accessio.

***



PROVIN

PROVINCIA GERMANIA SVPERIOR.

DOMICILIIS decem & nouem, hoc est, iustis Collegiis vndecim, vna Probationis domo, ac septem præterea Sedibus diuisi, hanc Prouinciam gesserũt Socij omnino quadringenti, nonaginta & septem, priore anno; posteriore his plures tres ac viginti eamdem administrarunt, quorum toto biennio sedecim occubuerunt feliciter, sexaginta in demortuorum stationem successerunt.

INGOLSTADIENSE COLlegium.

IN Mariæ clientela, pietatem studiosè colentium Sodalium corpus triplex religiosarum actionum gloria floruit, vt cùm maximè: nec enim, quod ciuili ex cœtu nuper coaluit, fas putauit Veteranorum laudibus concedere: adeò nouitius ardor,

& ſuo ipſe impetu, & alieno exemplo incenſus eſt, vt ſæpenumerò publicè ſpectatus inſignem virtutis commendationem habuerit. Facile ſit, de aliis duobus veteris,& laudatæ diſciplinæ,illuſtria documenta ponere, ſed in præſenti vnius dumtaxat commemoratione facinoris res tota intelligetur. Sodalis adoleſcens veteratoris propolæ fraudem odoratus, cuius nefario præconio paſſim exercebatur clamcularia nundinatio tabellarum turpiſſimo argumento pictarum, paucis horis tam ſtrenuum licitatorem egit, vt exitialem mercem, quaſi eius annonam ſuo emolumento compreſſurus, vniuerſam non exigua pecunia redemerit, eademque opera libidinoſis oculis certam flagitij materiam ſubduxerit. Hac ſua emtione, auerſam, turbatamque Stygij mangonis negotiationem, lætatus ſummopere, ſimulque exſecratus ſceleratam pictoris manum, ne cuius animum illæ tedæ libidinum exurerent, de pudendo artifice & opere, vna eádemque flamma ſupplicium ſumſit. Pueruli tres ruſticani conceptam ex Catechiſmo religioſorum opſoniorum abſtinentiam mordicus tenuerunt, etiam aduersùs Hæreticæ matris ſæua imperia,terribiles minas,duráque verbera; quorum conſtantiam viſa ſibi eſt aliquando fractura crudelis, impiaque parens, ſi alteri mucionem cultri furibunda intentaret, alterum, noctis appetentibus tenebris, menſa & tecto prohiberet; ſed crudelitatem muliebrem vicit puerilis fortitudo, impietatemque matris filiorum intacta religio. Capita quædam de Fide ore Catechi-

ſtæ

ſtæ interpretantis ruſticus hauſerat auidiùs, quæ in Hæreticum deinde tanta ſollertia & vi contorſit, vt eo telo adigeret ad infantiam, neceſſitatemque ad nos adeundi, quibus magiſtris hæreſin dedoctus, eamdem quoque eſt exſecratus. Vni de Sociis vehementiſſimè condoluerat caput, cui feliciter obtigit, vt per eoſdem ferè dies ſortiretur Beatum Patrem Ignatium proximo Quintili tutelarem menſtruum, cuius dies extremus, Parenti Noſtro ſacer vtique, cùm illuxiſſet, quaſi ex condicto, deſæuire cœpit capitis æſtus, quàm aliàs vnquam, atrociùs, & exaggerari pænè in momenta ſingula. Multa incurrebant eodem tempore, quæ hominem ſimul admonerent familiaris, auſpicatique præſidij expetendi ex Laribus ipſis, cùm ille Beato Parenti ſupplicare cœpit impenſiùs, & ſalutarem ſchedam inter multas eius generis ſibi legere, quam ægro cerebro imponeret; ſed fallente ſimilitudine manum, oculoſque, admota capiti ea eſt, quæ non quærebatur; vnde nihil quoque manabat leuamenti. Errorem deceptæ manus patefecit medicinæ imbecillitas; arceſſito igitur certiore oculorum arbitrio, inuenta eſt ſchedula doloris legitima expultrix, quam adhibitam fronti morbus neutiquam tulit, ſed momento ipſo dilapſus eſt, vt æger tam repentina mali fuga defixus obſtupeſceret. Egregiè pio militi ſua vxor ægra & grauida geminam vno funere iacturã minabatur, & caræ coniugis, & immaturi fetus, cui trimeſtre ſolidum in vtero adhuc debebatur. Periclitanti ergo religioſæ feminæ ſuggeritur, vt, Beato

Igna

Ignatio deprecatore, ipsa sibi ventrique suo cautum velit, quod consilium arripuit auidè, perque morbum illi patrono frequenter supplicauit, nihilò tamen minùs oppressa vehementiore malo interiit, cùm medicus & chirurgus adstarent, qui ex defunctæ aluo fetũ mox eximerent. In tempore autem adfuit Beatus Pater, cùm minimè adfuturus putaretur; nam, ipsius ope salutari, exspirantis ex ventre fetus emersit sua sponte, ac ille quidem viuus, euentum supra naturæ leges maximopere demirantibus medicis, vt dubium nemini esset, quin pueri ex mortuo vtero viuentis salus Beato Patri meritò adscriberetur, simulque illud breue tempus, quod superstiti datum est, ad Baptismi beneficium consequendum. E Collegio Ingolstadiano prodiere lucubrationes non paucæ, tempori accommodatæ, quibus Hæreseon variarum iugula ictu haud inani peterentur, & Prædicantiũ opportunè reprimeretur fastus & audacia.

EYSTADII cũ ipso Principe duo de nostris fructuosam posuere operam, dum constituendi Collegij negotium Princeps optimus vrget studiosissimè; traducta etiam Catecheseon & Concionum exercitatione ab oppido in vicinos pagos, non exiguo rusticanorum emolumento. Cùm autem Paschę appeterent sollemnia, ex perspecto oppidanorum ingenio Princeps prudenter interpretatus eorum à nostris inurbanam auersionem, qua prohiberentur adire ad ipsos Confessionis gratia, vt hanc moram in perpetuum discuteret, salubri planè inuento, iubet nostrum Sacerdotem summa

in æde

in æde palam omni populo assidere, cuius ad genua mox ipse accidit, Pœnitentiæ piaculo eiusdem opera procurandus. Vix inde assurrexerat, & ei exspectatus facti sui euentus luculenter comprobauit, quantum valeat Principum exemplar: enimverò, Decanus ipsum imitatus, apud Patrem mox procubuit, cuius studium alij deinde complures subsecuti promiscuè, ad trecentos & quinquaginta peruenere; quæ tam læta initia is posteà progressus excepit, vt nostri Sacerdotes nulla sua assiduitate audiendis oppidanis sufficerent.

PATER Ferdinandus Krendelius, hydrope ac stranguria excruciatus acerbum in modum, altero anno nobis decessit, vir Græcis Latinisque litteris, & omnis antiquitatis disciplina excultus quàm accuratissimè, sed qui alieno iudicio peritissimus, suo valdè imperitus sibi videretur; quod autem scire credebatur, quantumcumque illud esset, beneficij loco duceret, si quis ab docendi cupientissimo vellet condiscere. Votorum formulam animo volutabat assiduè, cuius ex verbis diuino se conspectu indignissimum ita cogitabat, vt nihil vel iniuriarum, vel contumeliarum putaret sibi à quoquam posse contingere, quod animo non ferret æquissimo. Cuius rei perpetua meditatio tam singularem ipsius animo sensibusque indiderat moderationem, vt non nemo studiosè contemplatus optimi Patris omnem in dicendo agendoque rationem, pronunciaret, vix se incidisse in tam compontæ modestiæ Iesuitam. Quod Religiosi hominis eximium decus, quantum fuerat in-

tegra

regra eius valetudine, clariùs eadem peſſimè affecta potuit deprehendi, cùm reſciri non potuit, quibus remediis, quibuſve opſoniis recreari ſe potiùs agnoſceret. Inualeſcentis deinde hydropis ſumma vi, cùm occuparentur iam præcordia, & infeſtis in aquis periculosè natarent, cruciatuum immanis & illa facta eſt acceſſio ab vndecim dierum ardentiſſima ſtranguria, quibus totis diebus lotij nulla ſtilla flueret: per quam dolorum carnificinam, vir, animi ſumma diſciplina temperati, nec voce nec vultu cruciatus vllam ſignificationem edidit. In quo Religioſæ patientiæ ac tranquillitatis clariſſimo triumpho, cùm Sociis breuiſſimè, at multo cum ſenſu mutuam commẽdaſſet caritarem, non quæ verbo vſurpatur, ſed reipſa exercetur, animam exhalauit, anno ætatis duodeſexageſimo, aditæ Societatis vndequagageſimo. Iſtius mortem excepit obitus Patris Sebaſtiani Heiſſij, Votorum quattuor Profeſſi, quem tres & quadraginta modò annos natum, tertio ac viceſimo, quàm Societas eum ſibi adoptarat, intempeſtiuè ſibi ademtum vniuerſa meritò dolet Prouincia. Nam ſingulare ingenium, doctrina eximia, & par vtrique, virtus de homine pollicebantur, quo ne plus Societas de ſuorum quoquam exactura videretur. Eius ætatis homini, magno planè Theologo, vix vllum ſcripti genus occurrere poterat, quod legendo non accuratè excuſſiſſet; quodque non meminiſſet, legere non contigerat. Luculentis diſputationibus editis, ſuorum temporum hæreſes exagitarat, eruditorum

rum approbatione singulari: affectos præterea reliquit commentarios, sibi postumos, ex quibus liceat coniecturam facere, quantus olim futurus fuisset, cùm diuturna exercitatio & ex ea iudiciũ absolutius hominem denique perpoliuisset. Eius ardorem aduersùs litteras si velles intueri, crederes illum, non interdiu, non noctu, ab libris tantillum auelli: eumdem tamen deinde tam assiduum in publicis priuatisque precibus, omniq́ue officio obeundo deprehenderes, vt ad libros ne addiicere quidem oculos meritò posses suspicari. Quò certè tempore apologeticum pro Ecclesia est cõmentatus, quantum quotidie Sacrorum summa in ara factum est, eis omnibus interfuit, per illud saltem interuallum, quo Diuina veneraturis attollitur hostia, cuius adorandæ finem nullum sibi modumque statuebat. Per ægrotationem, infirmos licèt pedes, ad cætera officia, iubebat sibi sacrificaturo validos ad id munus sufficere, ac deinde genua debilia ministrare audituro alterius Sacerdotis facientis sacrificium; quam legem sibi perpetuam indixit, quoad semianimem Socij ex ara auulsum composuerunt in lectulo, vnde posteà non assurrexit. Priùs verò quàm eò compelleretur, gemino morbo pertinaciter obluctatus est; nam neque noxio humori, cuius vis mollitam spinam dorsi perincommodè inflexerat, neque succedenti paullò post hydropi vsque eò concesserat, vt non assiduè aut precaretur, aut scriberet, dum eum summa virium imbecillitas lecto perinuitum affixit, atque è viuis sustulit. Innocentiæ

simul

simul & auitæ Religionis stolam auspicatò assumturi septemdecim homines, Lutheranæ lepræ infames exuuias abiecere.

EYSTADIANA SEDES.

QVOD in Eluacensi Sede anno superiore significauimus, ad infulas vocato illius ciuitatis Antistiti, & Principi ad Eystadianũ Pontificatũ, familiare fuisse asserere, vbi Pontificiũ tribunal sibi decerneretur, sedẽ quoque nostrę Societati omnino futurã, id reipsa exsequẽdum sibi sumsit, simulatque Eystadij pro Pontifice gerere occœpit, & perfecisset eveſtigiò, nisi Canonicorum Collegium, in negotij societatem ab ipso adscitum, minùs idoneis conditionibus interpositis obstitisset. Quamobrem is aliam per seipse rationem ingressus, dum à Canonicis deliberatur, super duos Patres, quos secum principio habuit, alios idemtidem aduocare, nunc hos, nunc illos, per causam verò alicuius negotij apud se distinere, dum eis vacua sedes in VVilibaldino gymnasio comparatur, vnde dimissis Ludimagistris, ipsorumque alumnis, continuò decem de nostris eò introduxit, quo ex die Grammaticæ, Humaniorumque litterarum scholæ omnes ab eis sunt institutæ. Exinde quæ iustorum Collegiorũ sollemnia sunt, vniuersa per nostros & nauiter procurata, omnibus ciuitatis ordinibus Sociorum industriam mirè collaudantibus, eorumque opera lubentissimè

vtenti

vtentibus ; inter quæ initia vicenos senos lætissimis Catholicæ rei auspiciis, hæreseon implicitos laqueis explicauimus.

DILINGANVM COLLEGIVM.

PRINCIPIS, eiusdémque Antistitis Augustani, qui multus Dilingæ versari solet, nisi aliunde perspecta esset in Socios beneuolentia singularis, vel eo documento patefieret, quòd nullam non exercitationum Religiosi nostri moris studiosiùs æmulatur; proinde diurni otij partitionem, accuratè consueuit obseruare, vt sua cuique tempori functio tribuatur; sed matutinam in primis quietem sacræ commentationi dedicat, quã sit nefas ab interuentoribus interpellari. Quem verò nondum acceperat semestris nostræ Confessionis ritum, vbi primùm nuper fando inaudiit, mox ad eam se comparauit imitandam, ipsáque nocte, Christo Natali, Collegium iniens, eius anni facta sua omnia cũ nostro Sacerdote recoluit. Inter inauguratos ab eo nostra in ęde Sacerdotes, ipse quoque Princeps Eluacensis, iam sexagenarius, in Diaconũ est consecratus, cuius tum illa vox audita est, testis eximiæ in nos voluntatis: Repudiaturum se omnino fuisse Pontificiam prouinciam, nisi consilio & ope Societatis in ea administranda in primis niteretur.

INSEQVENTI anno Princeps & Antistes noster optimus, ad consuetam piarum functionũ

accurationem hoc corollariũ adiecit, vt anniuersaria seceſſio, diuinis per dies octo contemplandis non iam domi, vt olim, quæreretur, ſed, aſſumto de noſtris vno Socio, vbi ſolitarium in Cœnobium conceſſiſſet, denos dies ſolidos ſtrenuè animum in res cæleſtes intenderet, ſenſibus intereà egregiè maceratis, multa tenuitate, & aſperitate victus, vt mens liberior in Deum aſſurgeret. Cuius præclarum facinus cum ad alia multa contulit, atque collaturum eſt, tum ad exemplum in primis, vt de Cœnobitis & Clero primarij viri ſimili ſeceſſione animum ſalutariter excolerent. Othonis Truchſeſſij, Rom. Eccl. Cardinalis, Auguſtanique Antiſtitis, Dilinganæ Academiæ pridem conditoris beneficentiſſimi, cineres hoc demum anno attulit Roma Bambergenſis Præſul, noſtraque Academia quàm ornatiſſimo potuit apparatu recepit, & honorificentiſſimè condidit, Romæ in eum diem aſſeruatos ab anno ſeptuageſimo tertio ſuprà quingenteſimum.

ELVVACENSIS, DONAVVERdana, & Fueſſenſis ſedes.

NEC DVM finis eſt ELVVACI expiãdis immanibus ſacrilegiis veneficorum ſanguine, vt eorum numeroſi exercitus reuiuiſcere penè videantur ex aceruatim congeſto buſtorum cinere; adeò nulla Lerna vmquam hydrarum capitibus feracior fuit, quàm Eluuacenſis ager peſtifera veneficorum

neficorum ſegete, vt vel hæc vna prouincia cruciaria, hoc etiam toto biennio, Sacerdotem vtrumque, inibi agentes, bene negotioſos habuerit. Permirum autem pleriſque, rem ſeriò æſtimantibus, nec immeritò videri ſolet, quanta ex multitudine atque atrocitate ſcelerum, ad quantam quoque flagitioſiſſimæ vitæ pœnitudinem Diuina bonitas id hominum genus reuocet frequentiſſimè, atque in his pueros puellasque, immanium criminum reos. Et deprehenſum eſt plerumque, crudeliſſima Stygij carnificis tyrannide, dominatum impotentiſſimè in hanc ſeruorum fæcẽ exercentis, eò adigi quàm plurimos, vt præ illius ſuperbiſſimo imperio iudiciis indictos ſibi cruciatus anteponant. Puellæ certè, vix ſedecim annorum huius biennij principio contigit, vt excutiendo intolerabili Diabolicę ſeruitutis iugo, quòd ſe miſerã opprimeret, cùm nefandi cõſortij pleroſque, quibus ſeptimum annum iam aſſueuerat, viuos in rogum raptari videret, & eius nomen adhuc detuliſſet nemo, ad Quæſitores veneficiorum adierit, ipſa ſe ſponte ream eiuſdem maleficij fecerit, ſupplex poſtularit, vti lege in ſe ageretur, magni beneficij loco habituram, ſi darent operam Iudices, vti vel ferro, vel igne irrogandis ſibi ſuppliciis, ipſam è fæuiſſima Cacodæmonis tyrannide in libertatem, ad quam adſpiraret, aſſererent. Atque, vt conſtaret, non vitæ odio, non deſperatione, non furore actam, ad tormenta properare, admiſſorum flagitiorum eum dolorem Chriſtiano ex more præferebat, & animi ſui, conſiliique

adeò se compotem probabat, vt eam volentem Quæsitores in reos euestigiò referrent,& in custodiam abderent. Ex eo momento, vt quæ Tartarei tortoris exisset dominatu, ad Christum, suauissimum Principem, cogitatione, studiis,sermone, precibus se totam conferre; pueritiæ suæ dictu, audituque horrenda scelera dies noctesque cum lacrymis exsecrari; decussatis ante pectus brachiis Christi Seruatoris acerbissimos cruciatus, sibi peramanter ab eo impensos, assiduo cum gemitu recensere; vt ne sua sacrilegia illorum salutari fructu immunem se facerent, ardentissimè Christum parentem optimum obsecrare. Iam verò cùm exisset legitimæ pœnæ dies, & vincula consortibus ducendis illigarentur, eorum vicem, quasi triumphantium, æmulata, cupidè appetiit eius generis torques suo collo inseri, quibus adstricta forti animo, vultuque alacri prodire cœpit ad patibulũ,quasi ad nuptiales epulas; ex qua cùm aliquis percontaretur, essétne, detestandorum scelerum gratia, constanti, æquoque animo supplicium perpessura: si vno, inquit,corpore multiplices gererem ceruices, vniuersas eo nomine sanequam libenter securi subiicerem. Et certè quá prolixè voluntarias pœnas fuerat professa, tam liberaliter etiam carnifici iugulum porrexit;Quæsitores nimirum, & ab puerili ætate, & ab ingenuo eius candore, rogum abstinendum censuerunt. Vicenario adolescenti, ab corporis & ingenij dotibus bene parato, & alteri feminæ, criminum eorumdem societate infamibus, Deus, infinita

nita sua clementia, parem quoque doloris sensum de admissis, & in luendis cruciatibus, æquitatem animi non dissimilem tribuit.

DONAVVERDÆ nondum satis condocefacti ciuium animi, vt ab eorum plerisque æquis animis audiamur; quamobrem leniter agendo, perdurandoque nobis eos conciliare studemus, interimque suburbana excolimus, vbi procliuior res est ad messem, quod dum agimus, & in aliis multis fructus operæ constitit, & ab Lutheri ganeis ad Christi salutares exedras sex & quinquaginta lubentes trãslati sunt, priore quidã anno, posteriore autem quadraginta. Istorum vni ferro arcessita, per impotentiam animi, præpropera mors sanæ Fidei & salutis nanciscendæ occasionem attulit. Cùm in potestate mentis non esset, incidit in gladium temerè, quo furenter vsus in seipsum, luculenta plaga ventrem sibi aperuit, momentoque multam profudit copiam sanguinis, in quo dum turbulenter volutatur, ex propinquo exciuit, qui casum eius miserati, rogãt num velit accersiri Iesuitam, quo annuente, mox noster adfuit, cuius opera & hæreseos, & noxarum virus ex animo eiiceret. Vembdigam aduocati vt extraordinaria pœna plectendis reis & animos, & medicinam faceremus, fecimus eorum tribus peroptimè; sed vni præsertim, latrociniorum grauitate in paucis claro, cuius membra, substratę rotæ implexa, radiis cũ altera desuper impacta rota, præferratis canthis sæuum in modum per interualla elideret, eodemque tempore subiecti torrerent ignes; inter atro-

cem ferri flammarumque carnificinam, gemitum non edidit, vocem non emisit, nisi qua Christum & Mariam religiosè appellaret, & animo suo postularet esse propitios.

FVESSENSEM rē tres Socij gerunt quàm fructuosè, populo siquidem vtuntur bene docili, & comparato ad excipiendos Christianæ legis satus, quod aliquando Concionator felici euentu expertus est, cùm vehementiùs inuectus in temulentiā, ostensa grauitate huiusce flagitij, seueras quoque pœnas ei legibus diuinis infligendas indicauit; ad eiusmodi nempe minas sensit illacrymantem concionem, & ex ea plerosque auditores exscendenti sibi ex suggesto vidit aduolutos, vt eo apud Deum interprete veteres noxas eluerent. Cæteris porro ciuibus Concionatoris sententiam studiosè amplexis helluo quidam nobilis discessit in alia omnia, ne quid de largiore cupæ demenso in diem sibi deperiret; sed eius insanæ cupiditati atque contumaciæ frenum repentini morbi Deus opportunè iniecit, neque strenuus potator non facilè agnouit, eam pœnam sibi refractario diuinitus, & quidem merito suo, inflictam; quamobrem, Diuinæ vindictæ grauioris auertendæ, voto se adstringit seriæ Confessionis, cuius voti nuncupati exitus, exordium mox fuit consequentis sanitatis. Neque minùs feliciter concionum flabello dissipatæ, penitusque discussæ sunt, impiæ superstitiones quæ vtilitatis specie in vulgus magno. Christianę disciplinæ, animorūque damno, inueterauerāt; quòd, depellēdis morbis veneficio contractis,

venefi

veneficia impunè, passim, & quidem religiosorum amuletorũ nomine, adhibebãtur ab iis, qui suo facto prætexerẽt, non obesse posse animo, quod corpori certã, præsentemque conciliet salubritatem.

MONACHIENSE COLLEGIVM.

DIVTVRNA valetudo vnius è domesticis illi abunde procurando commodum fecerat otium; sed alterius præcipitatus morbus, atque violentus, nec medicinæ, nec consultationi locum reliquit. Pater scilicet Christophorus Ostenberger, Spiritalis Adiutor, dum moribundi extremum spiritum, incenso iuuandi eius studio, excipit, venenum letale hausit, vt, post paullò magnitudine doloris, à mente, atque à se ipse discederet, quam inter aberrationem animi, concepta intimis visceribus mors, hominem Societatis muneribus idoneum, ac bene vtilem, breui exstinxit, duobus annis quadragenario maiorem, vno autem & viginti in Societate versantẽ. Noëmo Leoni, septuagenario, in familiaribus operis annos duodequinquaginta, longè productior lucta, eoque laboriosior fuit cũ importunissimo hydrope; cuius hominis, ætate florentis, vt erat singularis commẽdatio ab membrorum firmitate ac robore, sic eximia laus, toto vitæ decursu, ab ingentis animi multa magnitudine, quam ad Religiosi moris capessendas virtutes ardẽti studio cõtulit. Magnanimitatis eiusmodi, ab exordio ipso ambiendæ Societatis, edidit illustre documentum, cùm facta

eius adipiſcendæ nonnulla ſpe, ſi litteras condiſceret, quarum planè rudis erat, ætate virili homo, ſumma ſe alacritate, ad elementa legendi, pueriles inter greges, publicè demiſit. Sed hanc mentis celſitatem haud lætior & promtior hoc aditu Religioſorum carcerum prætulit, quàm toto ſtadio conſtantior exhibuit. Adeò Præſides hoc eius animi robore, cui ſocia eſſet multa prudentia, nitebantur, vt eo laboris adminiſtro nihil non effecturos ſe confiderent, atque hoc quidem magis, quòd accedebant ad geminas eas laudes, in omni negotio gerendo, ſed erga ſuos Antiſtites in primis candor mirus, fideſque ſingularis. Vultus hominis totus, atque habitus eam ſpirabat comitatem, quæ vt index erat egregiæ in omnes voluntatis, ita omnium, quibuſcum congrederetur, beneuolentiam, non ſibi conciliaret modò, ſed blandiſſima violentia raperet. Mutuam inter ſocios caritatem, ex maiorum noſtrorum, quibus olim aſſuerat laudatiſſimo inſtituto, & perpetua formula, ſolebat exigere, quam non lectis quidem atque compoſitis verbis deſcriberet; ſed rebus ipſis expreſſam tam luculenter adhiberet, vt, eo per exempla quàm illuſtria doctore, facilis claraque euaderet tanti boni diſciplina, plus iuſto plerũque neglecta. Ex nobiliſſimæ virtutis liberaliſſima indole ſuauiſſimum illud eius ſtudium exiſtebat in ægros Socios, quorũ procuratione accurabat tam ſedulò, tãque hilariter, quaſi hoc adhibendo miniſterio lautiſſimè epularetur. Sed infracti pectoris illã firmitudine, vti cæteris quibuſque

que casibus egregiè ostenderat, ita in diuturnis, ac perquàm molestis longioris morbi tentationibus adeò serena fronte, pacatoque animo præ se iugiter tulit, vt nisi aliunde nosses, ægrotum minimè agnosceres. Aqua certè inter cutem cùm tãtopere iam exundaret, vt præcordia ei mergerentur, prohibereturque omni accubatione, quo nuncio intelligeret, mortem stare in insidiis ad ianuã, eam præsenti, ac imperterrito non tantùm animo, sed placido etiam vultu, in sella exspectauit, & excepit. Magnis itineribus ad exitum vitæ, animique exitium properabat ciuis Monachiensis, tamen salubria monentibus aures occluserat adeò, vt Sacerdoti nostro conuicia ingereret hoc nomine, ac domo sua exigeret. Non tamen fuit abigẽtis ab se medicum obstinatior pertinacia, quàm fortior medicinam ægro animo facturi constantia: octauùm enim, & cum stomacho reiectus noster, haud est veritus, vt perniciosè insanienti prodesset, nonùm etiam ac decimùm inferre se infensas in ædes, vnde tandem non excessit, quin obduratum animum pertunderet, eiusque fœdam vomicam exsecaret.

NOSTRAM militiam fortiter fideliterque professus, vnumque & quinquaginta emeritus stipendia, Pater Melchior Vitrimontanus, gente Boëmus, altero & septuagesimo ætatis anno, sufficientibus adhuc, & ad laborem vigentibus in senili corpore animis; sed diuturno molestoque fastidio stomachi omnem cibum respuente, ita confectus, vt in perpetua inedia eum denique vita

deficeret, anno altero huius biennii. Is humilitatem munerum in Societate principio ardenter amplexus, quibus sciret à Christo magnificentissima præmia rependi, numquam passus ab iis se auelli, quoad Præsidum venia licuit, vt eis occuparetur. Vicenarias operas continentes dedit in Elementariorum, neglecto aliis quibusdam, puluere, ipsi autem adamato, supra summas Academicorum exedras. Qua ex palæstra, Designatorum iussu, cùm in Confessariorum decuriam commigrasset, mediæ ac vltimæ ætatis dies in ea sic trãsegit, vt, ab assiduissima illa cura, quidquid residui esset temporis, recognoscendis prælo destinatis libris fructuosissimè impenderet. Internecinum scilicet odium bellúmque ipsi cum otio intercesserat, vt nisi morbus, quasi societate bellorũ cum aduersario inita, fortem athletam omni commeatu intercluderet, validis etiamnum viribus, sed præsentiore tamen animo, is ad cessationem deditionémque vitæ non adduceretur. De Sociis nonnullos alios vis morbi cùm adegisset ad extrema periculorum, tamen visum est Diuinæ Clementiæ ad spem sanitatis, adeóque ad ipsam sanitatem eos reuocare, quorum deinceps vteretur opera. Ad id boni momentum singulare contulit omnis Boïcorum Principum familia, quæ inusitata se humanitate in nostros, per ægrotationem procurandos, effudit, vt satis non ducerent, si summissis ad quemque cibis exquisitis, non & ipsi quoque frequenter iacentibus assiderent, & sermonis idonea fomenta suggererent humanissimè.

Senior

Senior certè Ptinceps vni ægrotantium tam assiduus, tam sollicitus affuit, vt si omnes sui periclitarentur, nihil vltra videatur ad sollicitudinem adiecturus fuisse; nempè qui perquàm anxiè medicos in singula pænè momenta de ægroto consuleret, quos, de sua cohorte adhibitos, non interdiu non noctu pateretur ab illius lectica discedere. Atque, vt tanto humanis validiora subsidia è cælo arcesseret, peramplis largitionibus egentium animos ad precum officia studiosè inuitauit eo nomine, publicéque nuncupatis pro ægri salute votis, superos officiosè adeò sollicitauit, vt decumbentis sanatio perdifficilis ipsius obsecrationibus, vt cælestibus quibusdam euocata tandem machinis, meritò sit credita. Luthero, & aliis Fidei morúmque corruptoribus, vndeseptuaginta sacrorum, omníque commercij, ac vsus Societatem renunciarunt: in qua censione professi sunt Dynastæ Boëmi, duo fratres, genere perquàm illustri, quibus mater ab infantia Hæreticum venenum ea cura instillarat, vt intimis sensibus virus adhæresceret. Ei maculæ tam tenaciter insitæ, nostris artibus abolendæ, adolescentium pater, Boëmiæ regno cũ potestate præfectus, ad nos Monachium filios adduxerat, eadem opera quoque litteris imbuendos; nostrámque sollicitudinem in fœda rubigine puerilis animi detergenda impensiùs expetiuerat. Quæ parentis auctoritas tametsi validum telum subministrabat nobis ad expugnandas adolescentium voluntates, haud tamen sine certamine se passi sunt à praua opinione abduci: maior præsertim

prę∫ertim fratrũ,cuius in mente,quòd hære∫is callum iam obduxerat, is eam pugnaciùs tuebatur. In eam mentis duritiam emolliendam, cum no∫tri peculiares preces adole∫centi ſuaderent, vt con∫ilium non e∫t a∫pernatus, ita non irrita Deo vota fecit, cuius ſacro inſtinctu ad veritatis ſtudium continuò ſe ſenſit adeò permoueri, vt eam aperto ſinu exciperet.

EBERSPERGENSIS SEDES, & Oetingenſis.

GVILLELMVM Riauſz, Græcienſem, vicenos annos in Sociorum numero verſatum, vt Epilepticum vitium adminiſtranda ſchola nuper auocarat, ita quinquagenarium quinarium, repentino caſu infeliciter eliſo capite exſtinxit, Spem non vulgarem ſui concitarat, dum in ſcholis erudiendę adole∫centiæ vtiles operas daret;ſed vbi, publico exemtum munere, grauis ille corporis affectus eum priuatæ vitæ addixit apud Eberſpergam, multiplicium virtutum, earumque illuſtrium, laudes facilè indicarunt, innocentem hominem cælo pridem deſtinatum. Principio nimirum ſui à publico ſeceſſus, ita ſe animo comparauit, eamque ſibi dixit perpetuam legem, vti ſe omnium Sociorum vile mancipium duceret, atque reipſa præberet. Vnde illud factum eſt, vt, omni reliqua vita, cuiuſcumque domeſtici verba pro legitimis haberet imperiis, quæ non modò excipe

exciperet lubens, & alacriter exsequeretur, sed auidè quoque præciperet, ac præriperet. Sollemne ipsi, perpetuumque fuit ab obuio quoque studiosè percontari, numquid curatum vellet; siquam verò sollicitudinẽ ex incessu ac vultu illius deprehenderet, non desistere hominem inquirendo fatigare, dum resciret, in quo suam illi operam cõmodaret. Totos dies lætissimus transigere solitus in abiectissimis rei familiaris operis, si quid aliquando superabat otij, conferebat id laboriosissimè in vberrimos bibliothecarum instruendos indices, quorum multos iam absolutos habebat. Rerum deinde ab Sociis gestarum exempla collegerat ingenti numero ex nostris libris, rerumque huius generis copiam maximam, quibus digestis, & exscriptis, qui vellent domesticorum vterentur. Iam verò tametsi eius operæ quotidianæ fructus constabat, & quidem luculentus; si eius in precando assiduitatem spectares, vix posses suspicari, ad opus ei superesse quidquam residui temporis: quem numquam non ad Virginis aras nudatis nitentem genibus obseruares. Si cuius Sociorum valetudini factum esset deteriùs, aut eum casus alius malè haberet, sollicitus & anxius præstò aderat, & cùm in cæteris suam industriam ei prolixè commodasset, deferebat vltro suarum precum subsidium, curriculoque in templum, & quidem sæpius per diem; eo nomine aduolabat. Quo etiã officio defungebatur quotidie, in reliquorum Sociorum gratiam, qui eadem familia quoque censebantur. Vt autem multa essent, & magna, quæ palam

lam exerceret in Fratres ardentissimo caritatis studio: longè plura tamen, & illustriora in eosdem ab eo clam profecta beneficia, eius tegebantur dissimulatione: quibus celandorum benefactorum artibus tacitus in sinu magnopere lętabatur. Voluntariæ inediæ, cilicini saguli, cæteræque asperitatis ad diuexandum corpus arcessendæ, vt huic homini fuit vsus frequentissimus; ita semper adfuit, quantulæcumque maculæ ab animo prohibendæ, studium perquàm singulare; vt Sacerdos, qui erat à Confessionibus, perspicacitatẽ incredibilẽ in diiudicandis, in auersãdis tenuissimis labeculis, animi teneritudinẽ impensè demiraretur. Sed eximiæ planè virtutis illud fuit, & verè Christianæ Sapiẽtię argumentum illustrissimum, quòd vulgò creditus est ab Sociis, violenti morbi crebris diuturnisque vexatus cladibus, nonnullam aberrationem mentis incurrisse, vt qui plerumque prudenti homine aliena loqui videretur. Quam sui existimationem, ab eo multum aberat, vt ex Sociorum mentibus cuperet euellere, qui tantò maiorem in dies creare studeret, suumque interea consilium tegeret quàm sollertissimè, vt vix, nisi attentissimus, eius artes quisquam dispiceret. Neque verò hanc sui despicatus opimam frugem suo dumtaxat compendio dirigebat, sed ex ea non exiguam vsuræ partem transcribebat in Sociorum commoda. Enimuerò inter familiarem congressum, si cuipiam Fratrum excideret eius rei mentio, quæ silentio premeretur rectiùs, tum Guillelmus in eam rem interfari quidpiam, verbisque

suis

ſuis conſultò nubeculam amentiæ obtendere, vt abſurda locutus, effuſum audientibus riſum cieret,& omnium animos,ſermonemque ab eo,quod non ſatis cõſideratò dicebatur, auerteret.His gradibus Guillelmus, inter viliſſima quæque familiarium munerum, euectus eſt ad eiuſmodi Religioſæ ſapientiæ faſtigium, quò rari adſpirant eorum,qui celebrium functionum clariſſima in luce verſantur. Tamen, quæ occulta fuit Numinis ſententia, per omnium virtutum præclara facinora in dies magis ac magis clareſcentem acerbus exitus, non tamen incautum, imparatumve oppreſſit: vt quem attentiſſima, perpetuaque mortis meditatio ſemper occupatum haberet. Et quidem pridie quàm occubuit ſacro paſtus erat epulo, cuius diei poſtridie, pium iuxtà ac longum carmen de morte legendo decurrerat, cùm inambulare cœpit, interque ambulationis ſpatia Mariam ex corolla ſalutaret;cui vt quinquagies id officij detulerat, Comitialis affectus vis maior ita corripuit, vt humi affligeret grauiſſimè, ſubſtratoque ſaxo ruentis illideret caput tam vehementer,vt diffringeretur caluaria, & ille mox exſpiraret. Exploratior tamen nobis ſanctitas hominis fuerat, quàm vt ei tam infauſtum occaſum fraudi futurum putare poſſimus. Sociorum alter febris iactationem, ſe permoleſtè,ac tertiùm ex interuallo inceſſentem, adoptato in valetudinis tutelam Beato Patre Ignatio, tertiùm quoque ab ſe depulit.

VT ſuperiore anno Maximilianus Auſtrius ſuã

fami

familiæque salutem Beato Sebastiano, tutelari nostro, acceptam retulit, cùm per Comitiales conuëtus, grassante lue, periculosissimè laborasset: ita hoc altero anno Principes Boïci, simili ex caussa, huc ad eiusdem Martyris aras veneratum adierunt. Manus altera viro cuidam pænè computruerat, vt iam chirurgis certum, decretumque esset, prohibenda bracchij contagione, inutile noxiumque membrum amputare. Imminentis carnificinæ horror acuit in periclitante orationis studium non mediocriter, vt eapropter sedulus versaretur nostra in æde, propitiando sibi Martyri; & habuit ita propitium, vt tabida manus planè consanesceret. Peregrè huc aduecta erat virgo desperatæ valetudinis, accersendi à Martyre auxilij causa, quam vis morbi sic afflixerat aliquando, vt sensibus destitutam custodes haberent pro depositā; qua in trepidatione aduocatus noster Sacerdos nihil habuit, quo propemodum exanimi puellæ bene faceret, nisi vt rem diuinam pro eius salute voueret. Redit igitur domum, & ad aram mox adit votiuis operaturus sacris; quibus dum defungitur, sui compos fit puella, viresque colligit, & quidem paucis tam validas, vt eodem die sana Monachium reuerteret.

OETINGENSIVM Sociorum industria creuit Catholicorum cœtus, nunc octonis, nunc tricenis capitibus, ad Christum traductis ex vario Hæreticorum conciliabulo. Duorum de nostris aduenientium in propinquum oppidum fama inde nefarium Sacerdotem, Nosocomio præfectum, exegit

exegit, quòd sacrilegij sibi conscius, eorum præsentiam, censuramque verebatur. Quas enim habebat ad rudem plebem conciones, sic pridem instituerat, quasi Lutherani verbi præconium facturus, vt, præter viuendi licentiam, superstitiones insanas promo ad hauriendum venenum populo propinaret: ac super cæteras fraudes, edendæ carnis in Quadragesimæ dimidium, vltro faceret gratiam. Propiùs nihil factũ est, quàm vt ex damnato semine pestifera seges se profunderet, nisi erumpentes iam fibras nostri opportuna runcatione radicitus exstirparent.

AVGVSTANVM COLLEGIVM.

HVIVS familiæ res, trium capitum iactura, deterior facta est, quibus saluis illustrium operum futura erat ingens accessio. Primæ cladis vulnera sensimus in Patris Christophori Amani decessu, quem tribus annis quinquagenario maiorem exstinxit febris, tricesimo quàm Societati se adrogandum dederat. Strenuissimæ operæ insignem nauitatem, vel hoc vno documento, cæteris in rebus possis coniicere, quòd hominum millia quindecim ille vnus anno vno Confessionis piaculo nuper lustrauerat; & hunc numerũ ferè de plebecula, quod genus ambitiosiùs ille consectabatur, quasi ea in humilitate conditionis Christũ clariùs agnosceret. Deducendis damnatis, stipe corroganda egentibus, Catechesi pueris traden-

da, is ardor animi, & sensus pietatis hominem agebant, quem accensæ verborum faces, & omnis habitus corporis vehementer testaretur. Numquam visus est cogitasse, quo loco domi haberetur; sed negotio continenter impensęque intentus, id vnum studuit, vt exemplo ac reipsa domesticis extraneisque prodesset quàm plurimum. Per sæuientis morbi initia cùm vniuersę vitę commissa ritè recensuisset, placido quodam genere alienationis discessit è potestate, quod triduum cùm teneret, illa ipsa perpetuò dixit fecitque, quorum illi sollemnis vsus fuerat erudiendo quàm accuratissimè populo, vel concionibus, vel catechesi. Post triduũ discussa phrenitide, impendẽtis exitus è vita nuncios excepit ab domus Præside, animo sedato lætóque, vnam modò stipulatus dieculam, inducіarum nomine, qua se compararet ad æternæ quietis commeatum. Et ratas habuit Deus tantulæ moræ inducias, quarum cùm exisset hora, exiuit & ipse corporis vinculis quàm placidissimè. Philippo Cassano, vndeseptuagenario, in familiaribus operis cum singulari fide fructuque annos vndequinquaginta versato, quàm fuit laudatus vniuersus transactæ apud nos ætatis cursus, tam suauis & fausta mors obtigit. Egregiè suo animo in omnibus moderantis argumentum in eo perpetuum fuit, quòd è litteraria olim palæstra traductus ad domesticæ rei procurationem, deprehensus est numquam vel meminisse, vel cogitare rationem conditionis præteritæ. Romanum iter frequenter emensus in comitatu Procuratorum Prouinciæ

uinciæ induſtriam, ſtrenuitatem, fidem germani Socij omnibus probauit ſemper vt maxime, quam domi perpetuò gerendis rebus oſtenderat. Innocentiam hominis, ſub deuexam ſenectam repuerascentis, apertè indicabat morum ſimplicitas eximia, perferendiſque linguæ apertè ſtupeſcentis hæſitantia, & cæteris morborum aduentitiorum iniuriis, haud immutata mentis tranquillitas. In pari quoque Religioſæ vitæ laude, ſpatia ætatis decurrit, abſoluitque Pater Ioannes Volkius, Boïus, tria Vota Profeſſus, quinquaginta ipſos annos, per varia Societatis munia, continenter exercitus, & perquàm fructuosè. Iniuriarum & periculorum quæ imminerent ab Hæreticorum fraude ac odio, quaſi ad eum nihil pertinerent, erat inſita homini contemtio tanta, quantum hoſtibus ſtudium nocendi, atque audacia. Veri & æqui religioſiſſimus æmulator pro vtroque pugnabat ſtudioſiſſimè, atque hoc ſæpenumerò feliciùs, quòd in eiuſmodi cauſa idonea inerat libertas dicendi, & facultas. Eis, qui in Sociorum conuentu multis laboribus & vita defungerentur, ſuam ſortem cum ſingulari voluptatis ſenſu gratulabatur idemtidem, quàm felicitatem, vt ei tantò liquidiùs ipſa experientia Deus exiſtimandam præberet, tridui dumtaxat morbo tentata leniter eius valetudine, integerrimis fruétem ſenſibus ad ſe in quietem aduocauit. Hæreticæ peſtis ſibi paſſi vlcus pertundi exſecarique, quattuor & quinquaginta, ea exciſa tabe allecti in iura Catholicorum, conſuetudinemque. Ex variis opificum collegiis nu-

per apud nos coaluit Mariana Sodalitas, insigni iam, per ipsa huius militiæ rudimenta, pietatis ardore, ac virtutum studio; vt fuerit, qui setosi cilicij asperitatem duos menses totos non posuerit: alius qui solido bimestri durum asserem sibi substrauerit per quietem: tertius, cuius humeri bis quotidie concrepuerint incussis flagris per menses totidem.

ALTERO item anno haud multo pauciores eo de genere persanati sunt, pari confossa vomica; euulsaque penitùs ex pestiferè affecto pectore. De his vnus Lutherum auidè hauserat, cui deinde periculosè decumbenti fidem salutis facere non poterat Lutherani dogmatis auctoritas, vt sibi nó temperaret, quin nocte intempesta posceret ab Lutherana coniuge, vti mox Sacerdotis de Societate copiã faceret; cui libentiùs obsecuta vxor, quã sperari poterat, nostrum euocat, qui properè, lætusque aduolauit. Concitati diuino instinctu animi, ad detestanda eluendaque ritu Catholico facinora, indices fuere abruptæ crebris singultibus voces inter confitendum, & anteactæ vitę cætera omnis exsecratio, quæ pium erga Numen animum planè indicaret. Ea verò parte Catholici hominis rectè defunctus æger, cum Diuinam quoque Hostiam, cupidiùs expeteret, ad Christiani officij tantò ampliorem cumulum, arrhamque salutis eò certiorem; neque huic bono moram vllam attulit Hæretica vxor, sed Parochum sedula ad id munus accersiuit, haudquaquam ex reliquarum mulierũ, & Lutheranarum maximè, ingenio. Primarum partium

tium vir quidam, vel potiùs sine consorte primarius in æde principe, Augustanoque in territorio, quàm longè porrigitur, censuræ morum præfectus, vbi apud nos per otium diuina erat commentatus, sic se affici hoc genere disciplinæ sensit, iisque stimulis ad Christiani hominis perfectum officium commoueri, vt in eam rem leges ipse sibi priuatim diceret, scribèretque, quas ad Sacerdotem nostrum, arcanorum ipsi conscium, afferret ea mente, vti obsignatis tabulis secum ageret, exque syngrapha se compelleret ad officium, si quid earum vmquam legum ab se præteriti animaduerteret. Marco Fuggero, non patriæ magis, quàm religioni auspicatissimè nato viro, Augustana Respublica, importuno occasu tanti hominis iure merito lugens, funus se facere maximo opere indoluit. Haud facilè tota Germania quisquam alius in causa bonorum depugnauit acriùs, constantiúsque, vel insaniam Lutheri validiùs refutauit. Pares autem Regiis pænè copiis opes, & clarus in paucis fortunæ splendor, cum summa eius modestia coniunctus, raro inter mortales fœdere, plenum Numinis sensu & amore pectus arguebant. Et reuerà cælestium desiderio sic efferebatur, vix vt humana cogitare posset putari. Valetudinem, quę in bonis prima ducitur, præ Dei gloria, quo loco haberet, grauis morbus, qui hominem confecit, apertè ostendit, cùm inter acerbissimos dolorum morsus, non ingemuit, non sibi meliùs fieri optauit, sed tolerandi eam constantiam, & quietem prætulit iugiter, ad quam adstantes obstupescerent,

cerent. Animi arcanis arbitros Sacerdotes nostros viuens morienſque perpetuò adhibuit, quorum qui extremum eius legit halitum, oculoſque clauſit, & funebri panegyrico rogatus celebrauit, ad moriendi felicitatem in eo deſiderari nihil poſſe aſſeruit. Beati Parentis pileolus apud nos religiosè aſſeruatur, quem adoleſcens, piè Beatum veneratus, impoſuit capiti, cuius diuturnis doloribus ferè adigebatur ad inſaniam, neque mora facta eſt, quin eueſtigiò ſenſu doloris abſolueretur.

OENIPONTANVM COLLEGIVM.

PRINCEPS noſter, qua religione eſt in Beatum Parentem Ignatium, eius reuerentiæ tributum id eſſe voluit, vt cùm ſecuri feriendus eſſet capitalis noxæ reus, nunciareturque ipſi dictam ſupplicio lucem Beato Patri feſtam eſſe, ducendo mox reo promeritæ infamis necis perlubens gratiam faceret. Inter Fidei deſertores nimium quantum emanſerant quinque, ſuo ipſorum ſcelere non leuiter multati, cùm, aduerſo Numine, iis nihil ex ſententia cederet, quibus tandem ad Chriſti ſalutaria caſtra eſt patefactus reditus. Peſtifero tabo contactæ mulieri euocatus Curio, cui non liceret tùm pedem domo efferre, ſuam opem cùm nauare nequiret, per nuncium ſuaſerat, vt, intimis ſenſibus concepto noxiarum ſuarum dolore, cætera Diuinæ prouidentiæ permitteret: quod ei cùm ſatis non videretur, ipſa nouo religio

religionum genere animum suum sibi procurandum sumit. Inaudierat Lutherano ritu comparatũ esse, vt priuatorum quilibet suis sibi auspiciis Sacra faciat, cùm Prædicantes quod frequenter accidit, præsentiæ suæ, sacrosanctæ scilicet, non faciunt copiam: quâ ex formula mulier de eadem fidelia se,& sacerdotio initiat, &,sine fumo, præcipui ritus operatur Sacris. Enimuero, desecta ex angusto penu cibarij panis ofella, & mensulæ imposita, ore profano carmen concipit in substratam buccellam, quod eam Lutheranæ Præficæ docuerant, ea fiducia, quasi effanti mystica sua verba, patescente cælo, sibi, ac turundæ suæ, diuina quædam vis se desubitò infunderet. Non erat miseræ cella vinaria, cuius de cupa meracius vinum ad familiarem libationem promeret; eius itaque penuria cyathum frigidæ haurit vicino de puteo, quem arcanis itidem verbis impertit, moxque fauces, ac mentem etiam, vtrisque Lutherani mysterij symbolis animosa perfundit. Non visum est clementi Numini ab incestis operata Sacris flagitij pœnas repetere, à qua etiam prohibuit sæuè grassantem vim pestilentis vlceris: ex quo vbi consanuisset, adiit ad Curionem suum, & perpetratorum ab se Sacrorum rationem exposuit: fortè vt eorum inusitatam efficacitatem ipsi venditaret. Acerbè increpitæ mulieri, stolidæ simul atque audaci, Parochus noxiarum sedulam & festinã Confessionem imperat, ac minimè quidem reluctanti, nisi quod, in recognoscenda vita anteacta, illam Sacrorum vsurpationem præteriit, quam fortasse

tasse in delictis non duceret. Hoc erroris, & manis fiduciæ iniecto veluti hamo, mulierculam suæ assertam seruituti Dæmon credidit, vt ad eam incautam apertè ac liberiùs iam posset adire, & adiit reipsa, cùm eam sua egestas acerbiore morsu, die quodam, lacesseret, secundùm cœnulam omni opsonio destitutam. Mœrenti enim, & suam inopiam impotentiùs querenti, derepentè adfuit laqueo instructus parricida, oblataque reste, patibulum ipsi de proxima trabe suggerebat, vt, semel elisis faucibus, multiplicis miseriæ sensum in posterum aboleret. Hac intentata sibi ad perniciem machina, sensit imprudens mulier, quò malorum sua se temeritas prouexisset, cui Iesu nomen inclamanti adfuit de cælo præsidium, vt mox sanguinarius ille euanesceret, ipsaque curriculo Oenipontem ad nos aduolaret, apud quos animo ritè lustrato, subsidia inueniret, quæ se fartam tectam aduersùs Acherontica fascina præstarent.

POSTERIORE anno Pater Ferdinandus Melchiorius, gente Tridentinus, cùm secundo Danubio Ratisponam veheretur, magna nauicularij culpa naufragio periit. Dum enim sui ac nauigij nimium ille securus, portorij à connectoribus exigendi studio intentiori elatus, à clauo abest diutiùs, in sublicium pontem transuersi fermè antè delabuntur, quàm ad clauum rediret gubernator, qui, vt eum magnitudo periculi seriùs aduerterat, vbi redimere impetu studet tarditatem, clauũ diffringit, victusque fluminis violentia, cymbam fluctibus permittit, quibus vrgentibus semel iterum

ramque ad pontis ſublicas alliſa, effuſis triginta vectoribus, derepentè vorticibus hauſta interiit. De toto illo numero, vix tres quattuorve, immanes inter vndas eluctati diutiſſimè, tandem enauigarunt, quibus, quantum meminiſſe poterant, renunciantibus, de illius naufragij ratione aliquid accipi potuit. Patris autem Ferdinandi ſedulitatem, animique conſtantiam, hominis alioqui parum audentis, prædicabant, & quidem ſingularem; vt ab eo nihil prætermiſſum aſſererent, quo vectores egregiè animarentur, ad imminentem caſum forti, Chriſtianóque pectore ſuſtinendum. Eius cadauer, procul vnde merſus erat, vndarum impetu delatum, ac deinde in glareana iectum, multis poſt diebus, eius ripæ accola fortè inuenit Curio, quem minimè agnitum ei prodidit familiare Sociis flagellum è reſticulis; digna teſſera, quæ Ordinis atque virtutis indicium faceret. Annos ſeptem & triginta, & in Sociorum quidem grege, vndeuiginti expleuerat, Humanioribus litteris tinctus, Rhetoricã ſcholã profeſſus annos bene multos cũ laude: in ſummo ſemper modeſtiæ ſtudio, quæ multarum fida cuſtos virtutum eſſe ſolet: cui comitaretur ſingularis manſuetudo, idonea conciliandæ alienæ beneuolentiæ illecebra. Mariano Sodalitio gerendo planè à natura factus videri potuit: vt cum cætera munera rectè atque ex ordine adminiſtraret: hæc tamen vna cenſeri poſſet eius ingenio præcipua functio. Magnam Matrem eo cultu ſemper habuit, quem decuiſſe crederes Marianæ familiæ aſſiduum curatorem

torem, ac magistrum, vti sit fas piúmque sperare, tam mitem patronam clienti suo funesta in clade periclitanti propitiam adfuisse. Præter Oenipontem vrbem ibat Hæreticus, alio cogitans, cui, quò intenderat, iter persequenti ad aures accidit clara vox, incerto tamen auctore, qua iuberetur Oenipontē rectà inire, atque à nostris disciplinam veri haurire: quod vbi fecerat diligēter, eā sibi vocē salutis nunciam fuisse deprehendit. Eadē sensērunt alij octo Hęretici de iis, quos ad agnoscendū Catholicum dogma auctores, magistrosque habuerant. Pridie salutatæ ab cælesti nuncio Virginis, in suburbano viculo, cui Milium nomen est, sub vesperam, occupatis iam posteræ diei religione animis, famulus iubebatur ab hero caupone, iuncto equis plaustro, fimum in vicinum agrum subuehere. Cui aliena tempore ac loco imperanti, cùm minister, recepto more illius veseræ, Cælitū hominumque futuram offensionem modestè excusaret, neque harum rationum fides hero fieret: paruit, inuitus licèt, famulus, onustóque plaustro in herilem fundum perrexit: sed non tam facilè, quam equos induxerat, ex agro reduxit. Conuerso ad regressum vehiculo, per eumdem heri fundum ducturus erat, cùm ad eius limites terram præ ipsis equorum pedibus derepentè subsidentem animaduertit, eodemque momento priores equos subitario hiatu aurium tenus demersos sensit; quo euentu grauiter primùm attonitus; deinde ne qua & equos, & se vastior labes absorberet, connisus omnibus viribus iumenta contendit

dit educere, sed conatu penitus irrito. Adhibita pluriũ hominũ manu, terra pænè obruti cùm expedirentur equi, res miraculo visa est similis, eo loco solidioris vtique soli, terram nulla antegressa naturali causa, eueſtigiò discessisse: procul autem concurrentium indigenarum, spectandi explorandique studio, sententia, longeque dissipatus sermo, præter vsitatum naturæ ordinem illi agro subitum specum accidisse vulgauerat. Princeps ipse rumoribus permotus de sua cohorte allegat peritos, qui de illa causa cognoscant, & disceptent, quam in controuersiam nostri quoque disceptatores adhibeantur. Re accuratiùs explorata, eò incubuere omnium sententiæ, vt inusitatus euentus ille iudicaretur, quique à ratione portenti nequaquam aberraret. Ad affirmandam vespertinæ illius vacationis religionem casus eiusmodi valuit in vulgus plurimùm, cui Mariani cultus violati vindex illa vorago ante oculos iugiter versabatur. In Vennonibus, Vinscouiam nunc appellant, hoc biennio versati sunt duo Socij, Curiensis Antistitis accersitu, quo præeunte indigenis exemplo suo ad omne pietatis officium, multoque nostrorum labore factum est, vt qui durior ad culturam admittendam ager visus est initio, sationem, adeoque messem feliciorem polliceatur in posterum. Athesinam vallem, Tridentinis substratam Alpibus, ab Athesi fluuio irrigante dictam, occulta hæresis ita occupare cœperat, vt, nisi maturè obuiam iretur, graues sequerentur animorum clades. Maximilianus igitur Austrius, & Cardinalis Madrucius

drucius, posteà quàm id resciuerant, legatis eò eruditis ac piis viris, qui morum ac librorum seueram censuram exercerent, conati sunt grassantem contagio pestem auertere. Censorum certè decreto magnus noxiorum codicum numerus in foro deflagrauit: plerique indigenarum iussi sunt temeritatem legendi Confessione eluere: alij dicta multa vetitis coacti abstinere opsoniis: vt fuerit, qui iactaret se duarum librarum carnis intempestiuum esum redemisse aureis quinquaginta: nõnullis ne inflicto quidem exsilio praua sentiendi studium ex animo auelli potuit. Quòd ea cura non proficiebatur, quantum res visa sit expetere: duo illi Principes de nostro conuentu sex operas postularunt, quarum industria & assiduitate gliscentis mali detergeretur labes: duæ tamen dumtaxat in præsentia mitti potuerunt, quibus sua sedulitas, multis licèt difficultatibus implicita, satis cumulatè respondit, ac secuturæ frugis exspectationem non leuem concitauit. Sub reditum administratæ prouinciæ rationes relaturi, Tridentum ad Cardinalem contenderant, quas, ipso absente, depositerunt apud ipsius Vicarium, magna eius approbatione. Inde ab summo Forensis rei Præside Bolsanum ad prouincialia Comitia deducti, eius rogatu publicam tabernam librariam recognoscendam susceperè: oblato posteà librorum indice, quos probos iudicassent. In digressu deinde cum delatam ex communi ærario vim magnam pecuniæ respuissent, abstinentiam ipsorum mirè collaudantibus indigenis, desideriumque huiusmo

iusmodi hominum cum singulari beneuolentia testificantibus, decesserunt.

HALENSE COLLEGIVM.

BEATO Parenti nostro colendo impensè addicta mulier duorum mensium importunissima febri vires amiserat, quarum iactura non tam dolebat, quàm, quòd appetente illius Natali, præuidebat obfuturam sibi corporis imbecillitatem, quò minùs pridie sacri diei anniuersarium ieiunium, sollemnésque preces obire posset. Roboris tantumdem sibi precario ad tempus commodari cupiebat, quantum modò satis esset, ad religiosæ inediæ, orationísque interuallum: plus tamen multò impetrauit suo illo voto, quàm optare ausa esset: illo enim ipso momento discussa febris persanatam eam in posterum reliquit. Trimestres dentium, eósque continentes, cruciatus patiebatur vir claro cum primis genere, ac exigua quidem spe sanationis, cùm adhibnit vota Beato Ignatio, & reliquias eiusdem sibi admouit, doloríque secuta est nonnulla mitigatio: adscitis sociis ad opem tutelaribus ædis nostræ Martyribus. Intereà Sacerdos noster Ignatiana in ara rem Diuinam facit, adstante, ad demerenda Beati suffragia, ægroto: & secundùm illud Sacrum vis doloris, quasi diuina manu derergeretur, subitò discussa est, nec deinde vllum eius vestigium resedit.

Altero anno quidem ad nos cùm equo vectus conten

contenderet, hæresis spolium domi nostræ sibi detracturus, manifestas, molestásque sensit sibi ab Orci tyranno insidias strui: nam iumentum multis annis sine noxa ipsi perpetuò probatum, euestigiò tam vehementer occœpit furere, vt aduersùm frenos & calcaria contumaciter refractarius, sessorem fœdè excuteret. Non excussit tamẽ equus indomitus, nec eius agitator Cacodæmõ, sui consilij certo viro voluntatem ineundæ vrbis, & malè sani dogmatis exuendi: tametsi ædem nostrã ingresso manũ occultã iniiceret, prohiberétque ab Sacerdotis tribunali: sed cõstans in cœpto suo vir animi fortis repugnantem vim vi maiore perfregit, nec nisi positis infamibus exuuiis ab æde discessit.

RATISPONENSE COLLEGIVM.

NON dextantario tantùm, quod etiam graue futurum erat, sed quadrantario quoque fenore, nostram familiam mors exercuit, sublatis continenti funere, de vicenario cœtu quinis capitibus: & quidem omnium primo domus strato ianitore, quasi exstinctis vigiliis, & occupatis foribus, in sui iuris arce liberioris dominatus potentiam venditaret. Is fuit Ioannes Grintgrer, Boius, quem suspicio erat contagione adeuntium ad Collegij fores hausisse aliquid pestiferi halitus, sed in mortui membris nulla eius mali signa comparuerunt. Fide aduersùm Societatem fuit insigni, parique ardore in omnes iuuandos, quibuscum congrederetur, quorum permultis egregiè carus

ab

ab sincero candore, ac simplicitate morum eximia, sui desiderium reliquit, quadragesimo septimo anno ætatis mortuus, quartoque ac vicesimo, quàm eum Societas sibi adiunxerat. Ab hoc deinde interiit Pater Christophorus Schenk, natus annos quattuor ac triginta, quorum duodenos perquàm laudabiliter in Societate posuerat. Frequentissimus autem & ciuium & aduenarum ad nos commeatus, per generalium Comitiorum tempus, cùm eum implicaret omnis ordinis hominum necessariis congressibus, declinare non potuit, vt tetra aspiratione non perfunderetur ab aliquo, cuius veneno etiam exstinctus est. Hunc iam puerum omnes virtutes visæ sunt educandum suscepisse, atque cum eo adolescere, traditumque Societati longè augustiore comitatu perpetuo cinxisse, vt de illius sanctimonia facile iam esset principio coniicere, hocque minùs dubitandum sit, quin cælo maturum Deus ad se, vel hac ætate, traducere voluerit. Nicolaus Milcher, Landspergensis, decessit tertius, quinto anno quàm eum Societas conscripserat, submissione animi, & obsequio clarus in primis, quem venenati quoque halitus malignitas excepit, confecitque, dum emtionibus, & oeconomicæ rei fideles dat operas. Huic quartus accessit Simon Lecfelder, item Landspergensis, huc Landsperga missus ex Tirocinio, suppetias impeditæ huic familiæ laturus, cui adhibito ad ægrorum procurationem, ardens, sed incautum studium obeundi ministerij, exitium attulit, dum ægrotantium vestes colligit, contrectát

trectatque inconsideratiùs. Caritate in Socios, officioſaque ſedulitate promeritus eſt, vt, nuncupatis votis, in Societate decederet, quam nuncupationem præpropera mors pænè intercepit. Adamo Sander quintus atque vltimus actus datus eſt, vt tragicum drama clauderet, vno ac viceſimo anno aditæ Societatis, cui operis inſignibus, & virtutum egregiis monumentis, ſui deſiderium non mediocre reliquit. Tota prouincia notiſſimus, cariſſimuſque, cuius pleraque Collegia, non leuiter ad memoriam impreſſis rectè factorum veſtigiis, mirabiliter affecerat, vt expetererur vndequaque, numquam ſine dolore amittererur: vti omnium munerum ſuæ conditionis perquàm idoneus adminiſter, quæ cùm ſcienter in primis, expediteque geſſerat, tamẽ ſibi videretur, nihil ſciſſe, ac geſſiſſe nihil. Aderat homini hnic præterea, ſumma comitas, ingens omnibus gratificandi ſtudiũ, multa prudẽtia, fides, obſequium, religio, quibus dotibus erat aſſecutus, vt abſoluti Adiutoris verus canon haberetur. Tam impigrum operarium in puluere atque ſole non morituram, haud fuerat vero ſimile iis, qui eius animum & virtutem nouerant: nec conditionem ipſe potiorem vllam duxerat, quàm vt, inter viliſſima quæque officia Sociis adhibenda, viuendi vltimo munere defungeretur: quibus in officiis aura peſtilẽti afflatus paucis diebus interiit, annos natus vnum & quadraginta. Cætera familia, vno quadrante deminuta, non deſtitit tota vrbe, malè affectis corporibus plena, verſari, luc contactis frequenter adſiſtere,

confi

confitentes passim audire, ipsa tamen incolumis: vt visus sit vnus periculi contemtus periculo nos abstinere: Numine suarum operarum alacritatem prærogatiua salutis inter ipsa funera remunerante. Ad sartam tectam nostrorum incolumitatem, & illud honorifici corollarij accumulauit Deus, vt, per id quoque temporis, tres & quinquaginta subductis de grege capitibus, rem Hæreticorum deteriorem fecerimus. Eorum vni cuidam, defectionem à Zuingliano sacrilegio meditanti, nocturnæ laruæ obiiciebant spectra horrifica, lectoque octies exturbatum, & domo, eius consilij religionem intentabant: quibus eum terriculamentis absoluerunt sacer Agnus, & Sebastiani Martyris reliquiæ. Coniugem Catholicam Hæreticus coniux bis collo tenus immersit Danubio, aquis præfocaturum denuncians, nisi Catholica esse desineret: quæ nec responso ferum carnificem dignata, Fidei animique plena, Iesu ac Marię piè appellatis nominibus, incolumis euasit. Demerendæ Numinis benignitati, vti Comitiorum consilia & psephismata omnia vellet Ecclesiæ fortunare, quadragenarum horarum supplicatione indicta nostro in templo, & indigenas, & aduenas cum primis, perfrequentes habuimus, & ei negotio, quod gerebatur, animis studiisque maximè intentos: cui non intererant modò assidui, sed exemplo quoque præerant, Apostolicus Nuncius, Elector Moguntinus, aliique de Clero, Imperatoriaque Aula viri principes. Ipse certè Imperator huius familiæ Rectori ad colloquium adhi-

bito, ſuper alia pleniſſima humanitatis reſponſa, ſe Societatis cauſa ſemper cupiuiſſe hactenus, neque animum deinceps mutaturum perbenignè aſſeuerauit.

Alterius anni ſpolia de victa hereſi fuêre homines duodequadraginta, quorum nonnullis, velut capitalis fraudis eo nomine compertis, magno ſtetit huiuſmodi tranſitio apud Hæreticum magiſtratum. Primarius nominatim ciuis, quòd propenſioris animi aduersùm Catholicos notabatur, in carcerem actus eſt, ibique ſeuerè de ipſo exercitis quæſtionibus, ad ſingula capita iuratus reſpondit: quorum vnum illud fuit, quonam eius tam familiaris vſus cum Catholicis ſpectaret. Prudenti reſponſo cùm omnem criminationum materiam Quæſitoribus præſcinderet, ſuſpiciones tamen non abſtergeret ex eorum mentibus, abſolutus quidem eſt clauſtris carceris, ſed iuſſus tamen vrbis pomœrio vti pro libera cuſtodia. Alter Catholicæ Fidei poſthabuit honeſtam conditionem in Palatini ditione, vnde cum tota familia exceſſit, ne qua vis eum adigeret in Religionem delinquere: cuius exceſſum conſecutæ graues ærũnæ animi conſtantiam minimè infregerunt. Voluntarij exſilij cauſa ſolum vertit adoleſcens, locupletis ciuis filius, vbi eum tota familia conuiciis atrociter, atrociſſimè deindè plagis acceperat, acerbius præterea intentans quidpiam, niſi, proximis Natalibus, ſeſe impuris Lutheri Sacris perfunderet: quo ſcelere ne ſe contaminaret, maluit ipſe ſibi patria interdicere. Iniquiore Senatu

Ratiſ

Ratisponensi, penitus Lutherano, vsi eramus: sed hoc demum anno cùm importunioris ad ædificationem areæ necessitas nos ad eius implorandam humanitatem adegisset, facilem & propensum illico experti sumus. Petebamus liceret nobis, areæ nostræ paullulum prolatis finibus, publico inædificare, vt obtusioris anguli deformitas ædificio sublata, tantumdem horturi angustias laxaret: cui rei diiudicandæ Senatus mox dixit, & allegauit arbitros, quorum decreto, quantum soli necesse fuit, attributum est, coemendæque materiæ facultas, quæ anteà negabatur, est concessa liberaliter.

LVCERNENSE COLLEGIVM.

MICHAEL Victor, Boius, Monacensis, ex Adiutorum manipulo naturę concessit, quadragenario tribus annis maior, agens in Sociorum cœtu quartum annum & vicesimum, cui adolescenti Societatem ineunti fiebat optio litterariasne mallet, an familiares operas profiteri: quod tutius videbatur, quoniam abiectius, id prudenter optauit. Inde suam industriam, sollicitam omnino ac fidelem Societati commodauit ianua Collegij, & culina procuranda, cæterisque obeundis ministeriis, cum approbatione omnium, cuius cum multa in agendo prudentia semper obseruata est, tum singularis cautio, vt Societatis decus integrum in omnibus tueretur.

NEQVE secundus annus funere fuit immunis,

quo elatus est Pater Christophorus Rheinardi, Oenipontanus, Adiutor Formatus, tricesimo anno adeptæ Societatis, vitæ initæ primo ac quinquagesimo, tertio & vicesimo quàm huic familiæ suas operas addixerat. Domi ac foris laboribus infractus vir, mitissimi ac leniissimi congressus, atque ingenij, quo nomine, iucundus æquè omnibus exteris, ac domesticis: quidquid ab assidua intentorum laborum palæstra ei superabat otioli, fructuosè conferre solitus in pios libellos, conscripserat, quod aliis quoque prodesset, speciatim verò in Surij libros vberrimum indicem, quē Sociis magno compendio vtendum fruendum legauit. Matrona, nostri Ordinis amantissima, ætatis ad multam senectam deuexæ, frequenter animo agitauerat quemadmodum omnis antegressæ vitæ rationem confessione sedula recognosceret: sed eam ab hoc consilio alię res super alias auocarant inuitam; cùm eam suus Confessarius domi ea cogitatione defixam aliquando deprehēdit, cuius tamen ignarus, inter cæterum sermonem, id etiam suggessit, vt id ætatis admissa omni æuo recolenda quàm primùm susciperet. Id sibi meditatum pridem illa respondit, & propediem eo se officio studiosè defuncturam: Quin in præsentia, retulit Pater, præstat ea exponere, quorum succurrit memoria, cæteris in proximum diem reiectis. Diuinitus iniectam Patri mentem, vt id matronæ, bene alioquin habenti, suaderet, quæ tertia hora quàm ei fuerat obsecuta, velut funesto icta sidere, apoplectico affectu strata obmutuit penitùs

penitùs, postridiéque animam exhalauit. Mulieri algoris tanta vis, & malignitas pedes adusserat, vt, iis vsu suo pænè destitutis, insideret grauis dolor, & fœdi puris multa sanies, qua iam aliquot menses fluerēt, accessione interim acrioris cruciatus & adustionis: cùm casu inaudiit vincendorum morborum magnam vim Beatro Parēti nostro esse Diuinitus attributam. Ei ergo quidpiam vouet, interque vota dolor ei omnis abstergitur, ac triduo proximo pedes penitus consanescunt. Pari remedio vsis, Sacerdoti moribundo, vita: feminæ ab cruris dolore; adolescenti, ab diuturna febri, salus est restituta.

FRIBVRGENSE COLLEGIVM.

RECENS templum magnifico apparatu inauguratum ab Lausanensi Episcopo, cuius in iurisdictione sunt Friburgenses, tutelarique adscito, Beato Michaëli est dedicatum: in quo tridui gratulationem Cælitibus habitam religiosissimè celebrarunt ciues frequentissimi, vt eo triduo tria hominum millia cælesti mensæ accubuerint. Constituendæ scholasticæ disciplinæ politicis quoque sanctionibus, siquando vsus exigat, nostram in gratiam interceſſit Senatusconsultum, vt quibus adolescentibus Præsidum nostrorum auctoritate interdictum esset gymnasio, iisdem etiam nefas esset intra pomœrij fines versari. In vrbe septemdecim, sex in Landeronensi expeditione do-

gma Hæreticum dedocti sunt, & exsecrati.

POSTERIORE anno tres item ac viginti, vrbe in ipsa, seu à Caluino, seu ab cæteris blateronibus recepti, ad Castra Ecclesiæ instructiores ab Catholicæ rei commeatu rediuerunt. Quod nequidquam anteà tentatum erat, hoc demum anno est perfectum, vt singulis scholis adhiberentur magistri Gallicè pariter ac Germanicè periti: feliciterque accidit, vt ex scholarum vna prodirent tres ac viginti adolescentes, qui totidem omnino, id est vicenis ternis linguis Sācti Spiritus persequerentur elogia. Friburgensis ciuitatis duo perillustria lumina, pessimo publico, hic annus exstinxit, alterum de Senatorio, de Clerico ordine alterum. Ioannes VVildtius eorum vnus, Friburgensium Prætor, totius gentis eximium columen, vir apprimè nobilis, & clarissimarum rerum iis instructus ornamentis, quæ hostibus æquè ac suis essent admirationi: vix apud nos, Liberalibus ipsis, admissorum à pueritia rationes cum fide retulerat, cùm domum regresso insidens molestior epiphora, eum grauiter habere cœpit. Postridie igitur nostrum Sacerdotem ad se aduocat, iteratoque totius ætatis labes apud eum detergit, cælestis epuli extremum viaticum vltro sibi deposcit, & quia instare decessum aduertit, religiosè ad eum se comparat: imminente autem obitu, ad adsistentem sibi Senatum ea verba fecit, quæ omnium lacrymas exprimerent. Hunc ipsius postremum sermonem, ea sapientia, eoque sensu amoris ab parente patriæ habitum, censuit omnis Senatorius

natorius ordo, vti de eo in publicas tabulas totidem referendo verbis,decretũ interceſſerit. Suam in nos beneuolentiam, quam illuſtribus benefactis egregiè olim oſtenderat, nunc etiam centum Ducatorum legato piè teſtatus eſt. Per idem tempus alterius luminis occaſus accidit, Sebaſtiani Verronij, celeberrimi Theologi, cuius vel vnum hoc præconium ſatis ſit attingere: fuiſſe ipſi Patrẽ Caniſiũ perfamiliarẽ,huius verò illum imitatorẽ,& imitatorẽ perfectũ,in cuius eximias dotes obſeruãdas,niſi fuiſſet intẽtiſſimus,quas nobis deinde cõſignaret, earum pleræque, ac inſignes quidem, noſtram ac poſteritatis fugiſſent notitiam. Dixerat hic in funere Caniſij de illius laudibus quàm copioſiſſimè: hunc rurſum noſter pro ſuis meritis panegyrico celebrauit: quæ honoris prærogatiua his ferè duobus Friburgi tributa perhibetur poſt hominum memoriam. Magnam ſanctitatis opinionem de ſe viuus concitauit, demortuus maiorem quoque reliquit: vt populus cadaueri venerabundus accideret, atque ad rapiendas ex eo reliquias ſe certatim compararet. Diutiſſimè vixerat in ampliſſimis honoribus, cuius tamen mortui ex lauto quondam peculio ad egentes, præter meras lacrymas, nihil peruenit. Viuus ſcilicet omnia benignè contribuerat, ne, quod reſidui eſſet, aliena fraus poſt eius mortem auerteret. Qui certè in hoc, præ aliis multis, ſapere viſus eſt,atque commiſiſſe, cur ex hoc vno facinore, pleræque ipſius aliæ virtutes facilè æſtimentur. Fregerat crus alterum puer, lapſus ex imprudentis ancillæ

manibus, cùm mater, & infantis malo, & multò magis mariti offensione grauiter anxia, positis humi genibus, Beatos Ignatium & Xauerium impensè instituit rogare, vt iracundiæ mariti auertendæ puerum sibi præstarent incolumem: quæ vt exsurrexit ab illis precibus, sollicito adhuc animo, crus infantis explorat, idque, modò truncum, coaluisse, planeque consanuisse deprehendit. Alteri mulieri emortuus partus enitenti, qui ab concurrente vicinia tota immobilis aliquandiu exanimisque versaretur, quoad vna è conuentu feminarum priuatim supplex facta Beato Ignatio, Patri Canisio, Mariæque Matri, tribus simul appellatis, effecit, vt post paullò motus ac sensus expers infans moueretur, atque in hunc diem superstes perseueraret. Tertię cuidam examines fetus omnes effundebantur, cui rosarium Patris Canisij appensum mox felicis puerperij faustitatem attulit.

BRVNTRVTANVM COLLEGIVM.

A VOLATICIS Hæreticorum castris intantò tutiora Ecclesiæ Statiua tredecim transcripti sunt, & in iis quidem copiosus mercator, multos annos incertus, quibus notis veræ religionis bona internosceret: quam in rem assiduas preces Deo fundebat, vt caliganti sibi facem præferret. Interea verò auditione accipit Fauernensis Hostiæ inusitatum illud prodigium, de quo in

Dola

Dolano Collegio Lugdunensis Prouinciæ, litteræ anni sexcentesimi octaui capita quædam maximè illustria prodiderunt: quam Hostiam sibi oculis sumit lustrandam, vt eius prodigij fidem testimonio sensuum in animo suo certiùs consignaret. Siue autem rei veritas oculis vsurpata seipsam obstinato Hæretico non satis probaret, siue is dissimulabat, quod crederet, Bruntrutum redit incertus consilij, multosque dies prętereà velitari quadam dimicatione cum nostro pugnauit: ad extremum tamen, datis manibus coniugem, licèt principio valdè reluctantem, secum ad Catholicos traduxit. Sacerdoti nostro in agrum prodeunti ad rusticanas conciones, Natali Beatæ Magdalenæ, germanus Basileensis Antistitis, eiusdemque Brũtrutani Dynastæ, dat se viæ comitem inuito licèt, & multa excusanti, ne illa conditione vir, ipsius causa, itineris huiusmodi se molestia fatigaret. Quòd tamen ille instaret vehementiùs, & causam comitatui obtenderet suam Confessionem, aliaque pietatis animo destinata officia, Sacerdos vltrà tendere non ausus, eum comitem accipit. In pago religiosè defunctus Pœnitentiæ ac Eucharistiæ vtroque Sacramento, cælestibus plenus incedens lætitiis, redit cum nostro Sacerdote Bruntrutum, totoque itinere piis de rebus, nominatimque de contemtu mortis, mirificos sermones miscet: Deo scilicet eius animum comparante ad proximè secuturum euentum: eodem enim ipso die, violentia morbi, quo deinde confectus est, è potestate mentis exiit: sic tamen vt omnis ser-

mo delirantis esset pia cum Magdalena, & reliquis cælitibus collocutio.

Secundo anno Beati Patris Nostri segmentum vestis fuit oppidò salutare vni è Fratribus, cui ad acerbos renum, & lateris cruciatus, pestilens facta erat accessio, vt contagionis metu omnes domesticos ab eius congressu secluderet medicus. Qua ille familiarium secessione perculsus, se planè depositum cùm putaret, arcessenda humanis potentiora è cælo præsidia sibi esse constituit: quãobrem Ignatianæ vestis breuem laciniam lateri admouet, cuius contactu victus lateris dolor abigitur ad humeros, eodemque amuleto inde pulsus, alias & alias quasi fugæ suæ latebras occupans, tandem toto corpore extruditur, quatriduoque pòst æger incolumis existit è lectulo. Vir militaris, genere illustri ortus, clarisque naturæ atque artis dotibus insignis, hęresis dediscendæ consilium cepit ab acerbo illudentis Cacodæmonis in se, vt Hæreticum, iactato conuicio. Spectator fortè aderat in Italia, cùm ex Energumeni corpore aduętitius Orco inquilinus exigeretur exorcismis: inter quam pugnam, veterator ille obuios quosque de circumstantibus dicteriis figere, atque in aliis multis, hunc nostrum, ei negotio curiosiùs intentum, ludibrio habere, salsis mordete scommatis, patria ipsius lingua Teutonum vocitare, sed, illiberali adiuncto, Hæreticum. Ab Acherontio ludione notatum se publicè, ac eo quidem probri genere, inhorruit videlicet militaris vir, eiusmodi contumeliarum insolens: hoc

vno

vno interim suum dolorem solatus, quòd circumstantes Germanicè loquentis circulatoris verbæ non satis caperent: cuius proiecta dicacitas, ne qua grauiore plaga suum nomen conuulneraret, alia omnia simulans, è corona properè se subducit. Ex illa hora, quòd erat sua secta ei facta suspectior, creberrimè cum Theologis de rebus Fidei congressus, multa solitus est ponere, quibus agitandis veritatem apertiùs dispiceret, donec ad nostros Bruntrutenses deuolutus, & de paucis quibusdam velitatus aliquantisper, in deditionem lubens venit. Et nunc quidem eò prouectus est ardore Fidei Catholicæ, vt importunas Hæreticorum, se hostiliter appetentium, insidias non modò nihil moretur, sed seriò meditetur etiam de Sacerdotio, vt tantò meliore loco sit res ipsius in Religione: hocque illustrioribus argumentis suam ipse Fidem, cùm res tulerit, ostendat.

CONSTANTIENSE COLLEGIVM.

PATRI Michaëli Eiselino, Sueuo, quattuor Votorum Professo, sex annis quinquagenarium antegresso, duodetriceſimum agenti apud nos, funebria iusta hoc anno persoluimus. Ab ipso Tirocinio Philosophiã publicè docuerat, inde Theologiã vicenos binos cõtinẽter annos explicauerat, ingenti plausu, parique fructu, nec intercalares alias operas, quæ in eius conditionis hominem incurrerent frequentes, intereà omittebat. Vnde

neceſſe

necesse fuit hominem diuturnis laboribus, ipsisque annis iam fractum, viribus tandem debilitari non mediocriter, maximè cum duobus illis malis accessio fieret affectus molestioris asthmatis, ex eoque insomnia, vt vix iam suis pedibus insisteret. Eum verò, cum Præsides, si Superis ita videretur, multos annos saluum cuperent, de medicorum sententia, cæli mutatione subleuandũ decernunt: sed qua via lecto se subducit, in leti laqueos impegit, apoplexiæ tendicula irretitus, quæ imbecillum corpus non integro biduo exstingueret, vix octo progressum ab Constantia milliaribus. Hæreticus senex inuitari se ab nostris ad ponendas errorum exuuias ferebat ægerrimè, vt eapropter nostrum conspectum auersaretur: sed eum Dei clementia vel repugnantem adegit, vt eorum præsentiam, & allocutionem vltro ambiret, quorum vel nomen oderat. Immisso etenim grauiore morbo, quo se, vt intentatis verberibus, diuinitus intelligeret officij admoneri: certum quempiã de Patribus accersiri iussit, cuius nomen, quia vis morbi linguã præpediuerat, creta suo nuncio descripsit, cum effari non valeret. Hic igitur, serò licet, ac pænè coactus, in Petri nassam inductus est, neque solitarius, sed, adiunctis aliis in eumdem piscatum, septimus ac vicesimus. Superioribus annis ab Magistratu contenderamus, vti Lutherani Ludimagistri, quibus doctoribus pueriles greges legendi vernacula discunt elementa, cogerentur scholarum suarum pueritiam ipsimet ad nostras deducere Catecheses: quod demum hoc anno, frementibus

tibus licèt aduersariis, impetrauimus. Nobis quoque adlaborantibus decretum est, ne Hæreticorum pupillis, quorum quotannis ferè magnus est numerus, ciuitatis ius quasi hæreditate cederet, nisi Catholicæ Religionis capita legitimè professis. Qua vtraque lege facilis planaque sternitur via Romanæ Fidei amplificandæ: Lutherano autem supplemento soboles idonea subtrahitur.

HVIVS biennij annus posterior viuendi fuit vltimus Michaëli Heller, Adiutori domestico ex Formatorum decuria, sexagenario, quartum & tricesimum stipendium inter Socios merenti, quē cæli clementia, spe iuuandæ valetudinis, Bruntruto huc allexerat; sed siue senij, siue morbi vis ea fuit ad corrumpendam sanitatem, quæ cæli bonitate nō vinceretur. Huius animo natura inderat rei mathematicæ quædam elementa, vimque præcipuam ingenij ad eius disciplinæ perscrutandos intimos recessus, vt, illiteratus planè, ad eius artis recondita arcana peruaserit, quæ periti suspicerent. Geneuensis Ministri filius Caluinianum dogma exsecratus apud nos est, tanto ardore Catholici ritus, vt quam suorum institutis alienissimam nosset Castitatem, eam in nostris moribus adamaret quàm maximè, adeóque se illius vinculis, nuncupato voto, illigaret: quattuor & viginti aliis in eamdem Ecclesiæ nauim ex hæreseon fœda lacuna transgressis. Constantiensis Senatus luculentissimo rescripto aduersùs famosum libellum in Socios vulgatum, tam honorificè testimonium dixit pro Sociis omnibus, & hac nominatim Familia,

milia vt meritò videri potuerit optanda calumnię plaga, quæ adeo illustrem innocentiæ nostræ auctoritatem expresserit. Lustrandis tota ferè vicinia oppidis, ad cæteram bene opimam laborum messem, accessit vndecim Hæreticorum in Christi conuentum transitio.

LANDSPERGENSIS DOMVS *Probationis.*

VNvs & triginta Tirocinium priore anno ineuntes, stratis per vias & compita magnis ægrorum & egentium gregibus, amplum operosumque campum statim nacti sunt, in quo prima stipendia vtiliter glorioseque ponerent. Et certè huius Familiæ ardor in ea sibi palæstra vindicanda, quam nullus iniret ex tota ciuitate, Marianos Sodales in eiusdem operæ ac laudis societatem, insigni ægrotantium bono, euocauit: inter quam corporum procurationem, & animorum quoque ratio est habita, eaque multò maior, vt sex etiam ab hæresi abducerentur. Beati Patris Ignatij admotæ reliquiæ feminis duabus, aut veneficiis, aut alia peste, toto vultu deformatis, repentinam attulere sanitatem. Nostris ex oppugnanda hæresi præda octonûm cessit capitum, quæ se auelli ab sceleratis castris non abnuerunt.

PRO

PROVINCIA FLANDRIA.

PRIOR annus in vniuersa Prouincia, domiciliis sedecim, quingentas septuaginta duas operas occupauit: his pauciores quattuor annus alter; illo vndecim, isto septem decessere: adlectorum in Societatem non est satis apertè inita ratio.

LOVANIENSE COLLEGIVM.

PROPVGNATIONE positionum de vniuersa Philosophia defuncti sunt duo de nostris, ea eruditionis & industriæ commendatione, quam plerique negarent vllum anteà vmquam Louanij esse promeritum. Letifero vulnere ab riuali appetitus adolescens, in aduersarij perniciem tanta obstinatione conspirauerat, vt eum tota Gallia Italiáque fugientem, infestis animis, armísque persequeretur iam solidum biennium, nec cuiusquam

cuiuſquam vel auctoritate, vel precibus pateretur ſe ab vindictæ ſtudio auocari. Deo tamen auſpice, noſtrorum vnus furentis odio pectus ita emolliuit aduersùs hoſtem, vt ei adducto in conſpectũ, præſentibus teſtibus, oſculum amplexumque peramanter tulerit, perpetuam quoque neceſſitudinem ſibi cum eo fore iurarit in poſterum. Vrbani Cœnobij Virgines omnes ab Antiſtita ſua, & inter ſe ſingulæ infeſtis odiis diſſidebant, neque cuiuſquam induſtria vel dignitas ei malo medicinam facere potuerat in eum diem, cùm Archiepiſcopo venit in mentem noſtris multam ineſſe tractandorum animorum facultatẽ. Quamobrem ad ſe vocatos ei componendo mulierum cœtui adhibuit, quorum operam Deus ita fortunauit, vt mox gratia vniuerſarum in Præſidem, & ſingularum mutua reconciliaretur: cuius euenti felicitate Antiſtes optimus, ſua & noſtra cauſa, lætatus eſt adeò, vti ſe non tenuerit, quin nobis tantum bonum peramicè veniret gratulatum. Hagam miſſu Antvuerpienſis Antiſtitis quattuor noſtrorum per Paſchæ ſollemnia verſati, Batauicæ ditionis in oppido miſerè habito, locupletiſſimam ſegetem ex Catholicorum ignorantia, Hæreticorumque peruicacia collegerunt.

LEODIENSI noſtro in Collegio accenſis ciuium ſtudiis recèns excitata Philoſophia poſteriore anno, Louanienſibus Academicis turbãdi multam præbuit, & ſine cauſa, materiam: ratis nimirum, aut ſe ratos ſimulantibus, hanc quantamcumque noſtri Gymnaſij Leodienſis acceſſionem

fore

fore non decessionem modò, sed interitum quoque suæ Academiæ. Illa igitur seu ex opinione, seu ex opinionis vmbra, æmuli nos de scholarum templorumque pulpitis lacerare acerbiùs, & indignos asseuerare illius vrbis domicilio, quã clandestinis consiliis euersum ire studeremus: ideoque suos nostra æde, nostro congressu arcere. Atquẽ vt maleuolis sermonibus suscepta temerè odia hęrent contumaciter interdum, flagrántque vehementiùs; hac inusta nomini nostro calumnia, cœpimus vno tempore inuisi esse tota ciuitate, vt ciuiũ vel maximè anteà necessarij, amicitiam nobis apertè ac præcisè renunciarent. Quæ inuidiæ tempestas maledicorum hominum flabris delata, sic vniuersam prouinciam occupauit, vt nos iniquorum consiliorum apud Principẽ insimulatos, omnium pænè mortalium excluderet patrocinio. Eas machinas intenderant, & multa quidem arte, aduersarij, quas ad causam nostram euertendam intelligerent esse omniũ validissimas, cùm sic egerunt apud Principem, vt ei persuasum esset, nostro facto suam peti procaciùs, violarique auctoritatem, quasi ei, de Leodiensis Philosophiæ primordiis ampliùs pronuncianti, parere præfractè respuissemus. Criminationibus ita nos traduci, vt earum calumnia optimi Principis aures defensioni nostræ occluderentur, vulnus certè fuit priore vulnere tantò nobis acerbius, quantò indignius est hoc te nocentiorem iudicari, quo tu sis innocentior. Dandus tamen fuit inuidiæ sanguis, & æquo animo excipienda calamitas, quando &

aduersarij & iudex sic animo cõparati ad causam descenderant, vt illi ius suum nulla æquitate metirentur: iste de suo non mediocriter deminui putaret, si nos causæ dictione non prohiberemur. Vt ciuilis odij aduersùm nos flamma exarserat, per huius turbulenti motus initia, nemo peritus non planè crederet, ab vrbanis hominibus multos in menses vastam futuram in nostra æde solitudinem: triduo tamen Liberalium, & tota Sanctiore Hebdomada, inusitatæ frequentiæ ab amicis est admaduersa celebritas, vt eorum nonnulli mirabundi tantę celebritatis felix omen nobis gratularentur. Octoni variarum hæreseon exsoluti vinculis, & Catholica libertate donati. Adolescens, perillustri natus familia, inter Tirones Societatis ex eius formula peregrinatum dimissus, cognatum, lasciuis moribus adolescentem, qui ei se comitem vix dũ adiunxerat, opportunis sermonibus perpulit ad Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta: quo in munere hic tã seriò versatus est, inito sanctioris vitę consilio, planè vt assueueraret, antè sibi quouis cruciatu vitam ereptum iri, quàm rectè viuendi decretum. Sed, ô adolescentiæ rationem, statumque lubricum! sapiens ille noster admonitor, dignus in quem illud veteris Comici: Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam: ab eo rectè factorum calle, quò induxerat propinquum suum, turpiter ipse deuertit, vel ante ipsius peregrinationis exitum. Veterum enim sodalium ad se visentium suasionibus, & clandestina matris epistola nequiter fractus, octano ferè die quàm in

Tirocinium reuenerat, causariam missionem à Præsidibus expressit: moxque sceleratis meretriculæ amoribus; & coniugio, ac pænè etiam hospitis sui cæde, pauculis se post diebus inquinauit. Alij duo, clarissimo genere iuuenes, ineundæ Societatis, quò diumitus vocabantur, aut prolato, aut abiecto consilio, proclives ruebant in eius ætatis ac moris vitia; & qui coniunctissimè vixissent adhuc inter se, vt non nisi fratres mutuò appellarent, dum, ex diurna compotatione vino pleni, cœnant in caupona, alterque potus largiùs propinanti alteri non satis respondet exhauriendis liberaliter poculis, orta ex eo rixa, super mensam ab sodali confossus exanimis corruit. Percussori verò, intempesta nocte latebras quærenti, nullum est visum tutius, quàm nostri Collegij, effugium, vbi tantisper delituit, suæ desertionis scelus manifestò incusans, dum ad munitius asylum transiret, vbi etiamnum mœrore confectus iacet, percussi propinquis nullam satisfactionem admittentibus. Batani adolescentis grauiter hoc quoque anno cõcussa est constantia, quem scripsimus, anno sexcentesimo duodecimo, matris fraude Antvverpia extractum in Batauos, pio posteà dolo in Mechlinienſem Probationis Domum aufugisse. Is primùm matre & auunculo ad priuatum colloquium Louanij admissis, & suadere conantibus, vt secum rediret domum, interque suos versaretur, dũ vicenario quinario factus maior, quid è re sua foret, certiùs diiudicaret: acutè constanterque retulit, ad neutrius conditionis, aut eius, in qua es-

set, aut illius à qua desciuisset, rationem periclitandam secessu illo sibi opus esse: cum & illam, nimium quantum sibi perspectam, exhorreret: & hanc, magno suo bono exploratissimam, haberet vita sua cariorem. Deinde verò, quod sibi absurdius ab iis proponi posse consilij genus, quàm vt Religiosæ vitæ caperet experimentum extra Religiosorum hominum contubernia? Numquid matrem & auunculum, vt Religiosæ palæstræ idoneos Agonothetas, istius gymnadis familiarē diatribam, priuatos inter parietes, sua caussa excitaturos esse? His, siue responsis, siue percontationibus, posteà quàm vtrique os ita obduxerat, vt pudore suffusi verbum deinde nullum mittere auderent: se ad parentis pedes abiicit, rogatque supplex, vt ea & conscia, & auctore, Religiosis Votis sese Deo filius obstringeret: quod nec ea, nec postera die, quintùm ipsi ad genua prouolutus, cùm posset euincere, illius expugnandæ obstinationi potentioribus telis sibi grassandum esse decernit. Nixus ergo genibus, intenta in Christum suffixum dextra, per sacra ipsius vulnera matrem obtestatur, vti se lubenti animo patiatur in Christi Societatem venire, vbi sit futurus parenti suæ, ac ipse sibi vtilior, honoratiorque: quæ si pergat crudeliùs, quàm matrem deceat, secum agere: sicut illa exuat animum, conditionemque matris, sic se filij rationem prorsus à se abdicturum, inque Virginis, & Magnæ omnium Matris, filio eius fraternitatis ius vltro deferente, adrogationem derepentè concessurum. Flecti videbatur dura parens,

victa

victa præclaro filij facinore, vt eius votis obsecundaret: sed à fratre seducta seorsum, & ab eo instituto auocata, filio præcisè suum assensum denegauit: cuius ille veniam nihil ampliùs moratus, pòst paullò æternis se Votorum nexibus Deo illigauit.

ANGLICANVM COLLEGIVM *Louanij.*

AD Britannorum circumfusam nostra in æde coronam Britannicè verba facta sunt, tum cæterorum auditorum multo compendio, tum histrionum in primis quorumdam, quos siue curiositas, siue fors eò appulerat: vt post excepta Cócionantis documenta, suæ artis pertæsi, ab ea, velut saluti suæ aduersa, continuò desciscerent. Musicæ artis callidissimus Anglus, eoque nomine, Doctoris Musici prærogatiua donatus in Oxonienſi Academia, cùm huc siue casu, siue consultò delatus, de Religione Catholica inaudiisset, quę ipsius afficerent animum; vel opulenti honorarij, apud Britanniæ Regem attributi iactura, Fidem Catholicam, cum inopia coniunctam, redimere nihil est veritus. Christiano tamen eius studio Diuina prouidentia in tempore non defuit, qua factũ est, vt Archidux Belgij Albertus eum in Symphoniæ suæ corpus allectum, idoneo stipendio prosequeretur. Ex primaria Britanniæ nobilitate perillustris adolescens, Montacutij Vicecomitis frater, per illa ipsa tempora, quibus alia omnia

meditaretur, hausit è cælo missas cogitationes, quæ se ad nostrum Institutũ allicerent, quibus obsecutus, se nobis adoptandum singularibus virtutum experimentis dedit. Totus erat in Venatoriis operis, ac ludicris militaribus, & derepente insedit eius animum cupiditas, venerationis ergò, adeundæ Lauretanæ Virginis; cuius cupiditatis ea vis fuit, vt, canibus & seruitiis inter amicos illico diuisis, è Britannia traiiceret in Franciam, indeque rectà contenderet ad Audomarenses, Italicæ peregrinationis inox facturus initium. Ibi Sacerdos noster cogitatæ viæ studio æstuantem ægerrimè potuit tantisper distinere, dum Confirmationis munitur Sacramento: quo impertitum eum adduxit eò etiam, vt itineri suo ad Diuina meditanda secessionẽ dierum aliquot domi nostrę ptenerteret. Huius quietis feriati quàm appositè dies multam eius animo lucem, suboriuum rerum caducarum tædium intulerunt: vt ex eo pietatis tirocinio egrederetur, certus omnes præsentis vitæ curas exuendi: quo animo confestim, ad componendam rem domesticam, in Angliam regressus est. Sanctaudomaruth postea vertuerterat, ab heroico facinore sanctioris instituti felicia ducens auspicia, maxima pecuniæ vi dotemtas peramplas ædes Britannicis Virginibus fugitiuis, ad Religiosæ vitæ palæstram adspirantibus, benignè attribuit. Tum suam secum ipse rationem putans quã studiosissimè, adscito in primis eius arbitro Numine, ab altissimæ demissionis fundamento salutis suæ negotium sapienter instituit. Honorificæ-

condi

conditionis oblata ansa, hoc est Sacerdotij prærogatiua, Benedictini Ordinis Patres ei receptum apud se vltro deferebant: quibus tamen eum honorem modestè renunciauit, meritorum suorum ac virium præfatus tenuitatem. Ad nostrum deinde sua sponte conuersus institutum, adamauit in eo, quod ab luce, atque oculis hominum animaduertit esse remotius, familiaris rei ministerium, in cuius parte sortem sibi expetiit; quam adeptus pergit in dies insignibus eximiarum virtutum illustrare monumentis. Alter adolescens, reclamantibus nequidquam amicis, ineundæ Societatis sponsione fidem suam obligarat, adscita etiam promissi sui Dei Matre arbitra, cuius consilij ardor valdè refrixerat, & memoria pænè aboleuerat apud Belgas Hispanosque, inter obeunda studia litterarum. Cui exeutiendo torpori, morbus è cælo impactus hominem adigit ad instauratiui Voti officium, adoptato Beati Ignatij patrocinio, cuius tum erat Natalis, tam felici euentu, vt votum consequeretur sanitas. Verùm quàm citus deinde rediit languor animi erga voti religionem, tam velox adfuit ægrotatio, quæ iteratæ perfidiæ reum acerbiùs tantò multaret, quàm antea, inque vltima vitæ deduceret. Hoc secundo verbere admonitus æger, vnum è Patribus nostris aduocat, supplexque contendit, tametsi minimè promerito, id solatij sibi moribundo indulgeatur, vt se legitimis Sociorū Votis Numini obstringat. Quod posteà quàm impetrarat, exiit è potestate mentis, vitioso huiusmodi affectu in multos dies prolato,

per quem vix alia eius est audita vox, quàm, se Religiosum esse: in cuius scilicet meditatione defixum, eum phrenitis occuparat. Tandem, mirantibus medicis, & menti & sanitati redditus, rectà iter intendere cœpit in Tirocinium: sed vbi viæ nonnulla interiecta est mora, cuestigio in cessatorem febris ex condicto incurrit, vt aliquando is condisceret, eis modò legibus precaria se vsurum valetudine deinceps, si cum fide se promissis exsolueret. Quinquagenarium manipulum Hæreticis cohortibus detractum in Catholicas copias transcripsimus: in illo autem errantium cœtu, facturum mox Noui Euangelij præconium, eò adduximus, vt concrematis multa cura descriptis conciunculis, ipse salubriorum fieret auditor. Transfuga ex Ecclesiæ Statiuis, Sacerdos, digno suis sacrilegiis auctoramento cohonestatus apud Hæreticos, strenuum agebat vexatorem Catholici ritus hominum, adeóque lictorem etiam, si quis eius nominis ducendus erat in compedes. Sed in ea scelerum profunda voragine demerso affulsit Diuinæ bonitatis lumen, quod vt ipse in animum admiserat, eo duce ad nos delatus, & domi cum cura sacris meditationibus exercitus, vitam Sacerdote dignam seriò inire instituit. Ex comitatu Britannicæ Principis, ad Palatinum recèns coniugem, iter intendẽtis, plurima Anglicana nobilitas, Romani & non Romani ritus, promiscuè ad nos adiit peramanter salutatum: quibus in congressum nostrum familiariter venientibus valdè probabatur nostri moris Religiosa disciplina. Documentum

mentum eius rei esse possit, quòd Nouitio, per id tempus domus ianuam procuranti, accidit cum torquato Equite, nobilissimæ arcis apud Anglos præfecto. Percontabatur hic nescio quid, paullò curiosiùs fortè, ab ipso ianitore, qui se vt respõdendi officio honestè absolueret, id modò scisciantî modestè retulit: se, vt Tironem, iniussu Præsidis prohiberi legibus, sermonem cum extraneo miscere. Quo responso Eques mirificè delectatus, cœpit palæstræ nostræ rationem palam efferre magnificis laudibus, eamque seueriori bellicæ disciplinæ planè consentientem cum voluptate asseuerare.

IISDEM parietibus clausæ, vnoque iunctæ contubernio duæ familiæ, Sociorum scilicet huius Collegij, ac Tironum, non sine aliquo vtriusque corporis incommodo, huius tandem biennij altero anno, ędium varietate diręte sunt, Tironibus in propinquum domicilium, fornice nobis iunctũ, migrantibus. Hanc habitationis laxitatem conciliauit nobis vir Anglus perillustris, annuis censibus octingenûm aureorum huic Collegio in perpetuum attributis: quam domesticæ rei commoditatem, alacritas maior obeundarum functionũ, vt par erat, in vnoquoque Collegarum mox est consecuta: & hanc alacritatem operæ vbertas messis amplior continuò excepit. Anglorum huc ad nos confluentium benè multi recta de Fidei rebus sentire ac proloqui demum edocti sunt, quos puderet tamdiu falsa pro veris & censuisse, & turpiter venditasse. Dubia multorum & perplexa Fi-

dei ratio perspicuis solidisque præsidiis ita affirmata est, vt deinceps fluctuaturi minimè videantur, neque suas mentes allisuri ad inanium dubitationum scopulos. Concionatorem Britannici Regis egerat Beniaminus Carerius, quem Fors fortuna cùm ad nos appulisset, Cardinalis Bellarminij de Fidei Controuersiis libros is auidè percurrit, proque ingenua indole non dissimulauit, vinci se illius commentarij momentis, in quibus nudam germanamque sinceræ Fidei veritatem agnosceret: vti datis ad eumdem Cardinalem litteris deinde lubens professus est. Cuius veritatis studio elatus mirificè, nihil habuit antiquius, quàm vt eius se alumnum primò, ac deinde defensorem assertoremque palam omnibus proderet. Quamobrem regressus in Angliam, nescio quid residuorum in Belgis negotiorum causatus, ab Rege impetrat diuturnioris temporis commeatum, moxque ad nos reuolat, euulsurus scrupulos, qui reliqui in animo residerent: quibus exemtis ad Collegas nostros Louaniensis Collegij clam transiit, vbi Fidei Catholicæ mysteriis, magna sua voluptate, initiatus cùm esset, denuo ad nostrum contubernium rediit. Aemulorum quorumdam crebro inuitatu fatigatus, vt à nobis demigraret, numquam se persuaderi passus est, nostro semper hospitio, consortioque vsus, singulari sua lætitia, vt eo nihil sibi iucundius accidere frequens contestaretur: cùm interea totus in eam iucumberet curam, vt simul excipienda docentium institutione, simul singulorum præclarè factis studiosè

notandis

notandis, Christiani hominis omne officium, sanctosque mores ipso vsu combiberet. Non facile dictu sit, quàm frequentibus, & officiosis contestationibus, quámque luculentis argumentis suam beneuolentiam, acceptique per Socios beneficij memoriam nobis perspectam fieri contenderit: à quibus se diuelli non sustinuit, quoad accersitu Cardinalis Perronij transiit in Franciam, vbi haud ita multò pòst sanctissima morte acquieuit.

ANTVERPIENSE COLLEGIVM.

PATRI Ioanni Dauid huius sæculi annus decimus tertius, primus ad tricesimus initi nostri Ordinis, septimus & sexagesimus ætatis, & vitæ supremus, quattuor Vota professo, fuit. Magni nominis, & sanctæ vitæ Curionem Cortraci olim egerat, in natali vrbe, vnde illum eximia sua virtus, quòd Hæreticorum luminibus obstrueret, tertiò iam exactum, exsulare cogebat, cùm Societati se adiunxit, quò totius suæ ambitionis oculum pridem adiecerat. Sic familiæ rationem compositam Parochus habebat, vt, ne matris quidem admisso concubernio, domi omnia dirigerentur multa morum seueritate: cuius ipse austero viuendi exemplo, lex mera verius, quàm legislator esset. Vilissimum perinde atque durissimum ei fuerat perpetuò stratum, secundùm quod iaceret sepulcralis ex asseribus loculus, extremæ horæ moni

monitor assiduus, &, siquando substratæ cubanti duriores paleæ mollius blandiri viderentur, desultorius lectulus, in quem ex quotidiana stibade transiliret. Cæterum instructissimo solidarum virtutum choro eius animus celebrabatur: quarum indices erant, atque fideles administræ macerandi corporis istæ, quas diximus, exercitationes tam sedulæ: vt ei ad Societatem accedenti, non modò subactum esset iam pectus ad illustrium facinorum excipiendos fatus: sed multa etiam præclarè agendi facultate, ac rectè factorum vberi messe fecundum. In Tirocinij nostri vmbra versabatur, cùm Cortracensis Senatus, sui olim Dauidis destitutus præsidio, Societatem nostram expetiit: cui Senatui vt idoneas suppetias ferrent nostri Præsides, è domestico otio in puluerem aciemque mox productum Dauidem Cortracensibus suis summiserunt, qui eo loci familiæ nostræ præsideret, & contra perduelles in Christi causa sacrum bellum administraret. Caput familiæ Cortraci octonos annos, inde Bruxellis, post Gandaui egit, atque iterum Cortraci, magna cum sua laude, omniumque, quibus præfuerat, approbatione. Gandaui cùm pro Rectore gereret, concionibusque ad ciues pænè occuparetur assiduè, non destitit in fœdam sacrarum statuarum cladem, ab Iconomachis Caluinianis illatam, acriter dicere, quoad frequentibus tota vrbe basibus signorum suorum pignore orbatis, aut publico, aut priuato sumtu, suæ statuæ de integro inducerentur. Ei porro in Dei castris plurimarum nobiliumque palmarum bellato

latori, cùm, fracta laboribus senecta, regendarum Familiarum & munerum cæterorum vacationem demum impetrasset, Antverpiam capessendæ quietis missus est: vbi, paucorum mensium iucundissima consuetudine, solidissimæ virtutis expressam spirantemque effigiem in Sociorum animis consignauit: hocque defunctus, extremo erga nos officio, ad euocantem se Imperatorem, palmam accepturus accurrit. Beata Virgo Aspricollina, Fratris nostri, diris tetri morbi cruciatibus conflictati, votis sollicitata, eum derepentè persanauit, in quem summa Medicorum ars suam vim omnem frustra expromserat. Ei, ad strãguriæ, cruentique vomitus & laterum acerrimos dolores, accesserant atrocissima frequentium conuulsionum cruciamenta: vt ex copia fœtidi puris ab ore manantis, & intolerabili immanium dolorum carnificina, medici coniicerent ei omnia viscera fœdis abscessibus, aut gangrænæ pestibus, tabida frustillatim decidere: vnde nulla vis humana eum ad vllam spem sanitatis vmquam excitaret. Itaque quò minùs præsidij sibi reliquum factũ vidit æger in mortali ope, hoc acriùs & confidentiùs animum erexit ad immortalium patronorum exoranda subsidia: sed nominatim Magnæ Matris Aspricollinæ: cui, bona præsidum venia, cùm vota nuncupasset, eueſtigiò consanuit. De cuius morbo & sanatione iurati Medici scripto suo & chirographo deinde responderunt: grauitatem multiplicis mali eam fuisse, cuius efficiendæ sanationi, non repentinæ modò, sed cuiuscumque, ars nulla hu

la humana par esse potuerit. Quinis conuentibus dispertiti, variorum Ordinum, ætatumque, Sodales milleni quingenteni, eoque amplius, non magis numerosi agminis celebritate, quàm in assidua virtutum palæstra, præclarè factis, Sodalitij germanum decus tueri perseuerant. Ex Virginibus, quæ bene multæ perpetuam castitatem, abiecto vestium cultu, in parentum ædibus sibi indixerunt, vnius ad stuprum atrociter appellatæ, fortis ac eximia in primis fuit constantia. Huius insidiatus solitudini amator nequam, inopinatò inuolat in imprudentem: plenaque manu oblatis nummis aureis, ad flagitium studet pretio allicere: cui, cum indignatione tetrum scelus auersanti, stricti mox pugionis mucronem nudo pectori admouet, ad exprimendum terrore assensum, quē preces & pretium non euincerent. Hic virgo, non animis perinde consilioque, ac viribus defecta, intentis in cælum oculis, clara voce Christum appellans: Per ego te, inquit, quæcumque iura spō-sis sponsas iungunt, Castitatis suasor vindexque, precor quæsoque, hoc ferro mihi pectus hauriri, & hanc animam exigi, patiare potiùs, quàm vt tuis Hymenæis sacrato pudori labecula vlla inferatur. Diuini amoris plena vox, de casto promta pectore, occulta vi, vim parantis tetrum furorem inhibuit eueſtigiò, succēsamque Tartareo igne flā-mam libidinis, instar glaciatæ aquæ subitò affusæ oppressit: voluntatemque insuper proterui hominis, virtutis admiratione, ita demeruit, vt qui erepturus pudicitiam venerat, eius conseruandæ

in puel

in puella institutum nunc contrà mirificè prædicaret. Fregisti, inquit ille, fortissima Virgo, libidinosi hominis ardentem impetum tua castimonia: & eius certè hominis, qui hoc genere pugnæ nunc se mauult, & tuis quidem auspiciis, victum quàm victorem. Perge igitur, inuictis his animis, & mei similes, & teipsam, perpetuata victoria, debellare: cui ego maximo opere cupio Superos hanc triumphorum gloriam fortunare. Sed interea, quod vitiando purissimo corpori comparatum erat pretium, tu præmium sume pudoris heroico facinore propugnati. Quibus dictis, proiecto ad pedes auro, se properè subduxit, victricique Amazoni, & prælij campum, & triumphi gloriam fruendam reliquit. Honoratissimæ matronæ, ventrem gerenti, sancta cupido incesserat, illo ipso die fundendi sui partus, nono vertente mense, quo die, in eam rem fortunandum, apud nos Diuinam sumserat Hostiam: cuius optatis obsecundante Deo, commodùm reuerterat domum, cùm feliciter peperit. Auctam deinde mulierem cupita prole subiit hæc cogitatio: satius longè fuisse non suscepisse liberos, quàm peccaturos aliquãdo in Numinis sacras leges eduxisse: quamobrem ex ea hora institit Deum supplex orare mater, vt si quidem sua filiola commissura quidpiam esset in eum facta grandior, vti adhuc praui rectique nesciam maturè ab se raperet. Atque vti biennis puellæ animus, antegressis ætatem, viuendique cupiditatem desideriis, occuparetur, cœpit parẽs puellulæ auribus occinere frequentes narratiunculas

de An

de Angelorum choris innocentium animos in cælum lætanti pompa euehentibus : cuius lenocinio & assuetudine carminis pellecta filiola, quam mater studuerat, combibit melioris vitæ cupidinem, & in cælitum beatos cœtus adspirare ardenter instituit. Non alienam Diuino consilio fuisse matris filiæque cupiditatem euentus proximè intercedentis morbi ostendit, quo vt vehiculo elatum iri ad cælos natam suam rata parens, post aliquot dies nostram in ædem venit supplicatura secundùm Diuini Epuli mensam, vti eo die, si Deo ita videretur, ægrota è carcere corporis euolaret. Vbi autem suas in ædes regressa, visit ad decumbentem, & cum ea queritur, longiorem videri Angelorum moram, puellula, quæ sextum iam diem, superante morbo vires, siluerat, iis quæ locuta erat parens, respondit: Ita est mater, atque inter eam responsionem, suauiter matri arridens, placidissimè animam exhalauit. Vtriusque porro anni opera, domi foriſque, reconciliandis Deo Ecclesiæque non paucis Hæreticis variorum dogmatum perfructuosa fuit.

BRVXELLENSE COLLEGIVM.

TRICENARIVM, ac maiorem eo, concionatorem cùm ageret, & quidem inter eius muneris principes viros, Pater Ioannes Gaudanus, Votorum quattuor Professus, pænè ab puericia prima in Socios allectus, ex corporis erga stulo-

stulo absolutus est. Felicissimo ingenio decurrerat multa cum laude omnium disciplinarum gradus, euaseratque in earum fastigium clarus, quibus deinde vteretur appositissime in procuranda salute mortalium. Huic cum aliæ quamplures inerant egregiæ dotes, quæ hominum conciliarent gratiam, tum ea iucundissima, quòd animo & fronte perpetuam lætitiam præferret: quæ vsque eò perseuerauit, vt non desereret letali morbo affectum: vt nec ipsi, nec valetudinarij administris molestiæ morbi graues esse possent. Vicesimo fermè ab hinc anno Sacerdos ab nostra Societate defecerat; Leodij adhibitus ad Sacrarum rerum exercendas Quæstiones; pòst variis locis Parochum egerat, nusquam animo acquiescens, vt tandem ad Bernarditarum familiam transiret, si quo pacto mentis iugiter oblatrantis tumultus sedaretur. Eius Ordinis cùm esset, negotij gerendi gratia Bruxellas venit, vbi grauior eum insedit ægrotatio, secundùm quam Patrem de Collegio nostro aduocat, quem palam omnibus aduentantem, ita compellauit cum gemitu, lacrymis ore toto fluentibus: Heu Pater mi, heu miserum me: cur ego imprudentissimus istam vestram, tam sanctam Societatem, bonam meam olim parentem, meo magno malo, deserui! Studui ego quidem, quoad licuit, hoc inito Ordine, quem nunc profiteor, sarcire illam meam culpam, qua temerarius excidi è Societate: sed pacis ac quietis nancisci nihildum potui. Et quidem omni asseueratione tibi affirmo, nulla cogitatione angi me tantopere,

quàm dum obuersatur animo, & obuersatur perpetuò, ille supremi iudicij confessus, meæ causæ arbitris, Iesu & Ignatio, vtrisque olim parentibus meis optimis, à quibus, infelix, turpi defectione desciuerim. Certè illud me terret, cùm memini, ex quo à vobis defecerim, etiam post initum, exque formula studiosè obseruatum, Beati Bernardi hoc Institutũ, liquidæ voluptatis nullã me particulã Diuinis in rebus haurire potuisse. Iam verò, si Numini visum erit, ex hoc morbo me fieri aliquot dies superstitem: qui mihi non sapui, dabo sedulam operã, vt alij meo exemplo sapiant. Scribam vestris Tironibus, & scribam disertè, vt intelligant, discantque meo periculo admoniti, excludere omnes omnino ab se cogitationes, alienum quidpiam ab Societatis Instituto, quacumque specie boni, suggerentes: ne pernicie sua emant inutilem olim futuram pœnitentiam.

Annorum quattuor & sexaginta viuere desiit, posteriore anno, Pater Ioachimus Arents, Bruxellensis, in Societate agens quartum & vicesimũ, ab singulari vitæ innocentia, & religione, iam inde à puero, celebratus inter suos. Obsecutus olim amicorum consiliis, Iurisprudentiæ laurea insignis in Causidicorum Decuriam venturus videbatur: sed potioris fori studio ductus ad Sacerdotium se conuertit, & quidem opportunè Bruxellensium Catholicorum bono, quos perduellium iniuria publico Sacrorum vsu orbauerat. Per illud enim Hæreticæ dominationis tempus, occultis habendis rerum sacrarum conuentibus, in ciuium animis

mis Catholicam Fidem vehementer affirmauit, quoad pio eius dolo rumoribus manante ad aures aduersariorum, vrbis pomœrio carere iussus est. His in alienam salutem procurandis muneribus, solum in eius mente idoneum parabatur inferendo posteà Societatis Instituto: cuius deinde factus particeps, incensum illud iuuandorum animorum studium exaggerauit magnopere, acerrimo flagelli, & continenti pænè inediæ ac cilicini saguli vsu adhibito, quibus comitabatur iugis, & ardentissima precatio. Religiosissima ei perpetuò fuit Obedientiæ lex, vt iniussu Præsidum, nihil eorum sibi omnino indulgeret, quorum vel pessimè affecta valetudo ei multam necessitatem imponeret: vt sæpenumerò sit obseruatus, multo manè, pluuio aut niuoso cælo, plus centenûm passuum via, Patrem Ministrum Collegij adire, cuius bona venia nocturnæ insomniæ graues molestias aliquantula quiete in lectulo mitigaret. Vilium in Societate munerum non patiens modò, alacerque administrator, sed flagitator quoque ambitiosus, ætate ad senũ deuexa, quinquè fratrũ ex eadem familia in Societate maximus natu, vnus diutissimè vescentibus ad mensam Collegis egit anagnosten. Princeps Arausionius Guillelmus, prouocatus Beati Guillelmi sibi cognominis, in scenam producti, quàm lepido dramate, millenos aureos templi nostri fabricæ donum misit.

GANDAVENSE COLLEGIVM.

VNDEQVADRAGESIMVS ætatis annus, tertiusquedecimus susceptæ nostræ militiæ, Patri Philippo Noorman initium vitæ melioris in cælo fuit, quem eximia innocentia, singularisque morum candor, visa sunt meritò Beatis adscripsisse, quoad humana rem tantam dispicere ac diiudicare possunt arbitria. Antistes Gandauénsis, propagandis tota diœcesi, ad Ecclesiasticâ rem rectè administrandam, idoneis Theologis, Seminarium Clericorum in vrbe instituit, eidemque adiunxit scholas, quibus nostrorum duos præfici doctores voluit: admissis in auditorum numerum, præter alumnos Seminarij, nonnullis selectis adolescentibus, quorum aduentitio manipulo lectiones fiunt celebriores. Quod mirum censeri iure possit, in tanta gentis obstinatione, Zeelandiana integra familia, nostris facem præferentibus, lucem veræ Fidei aspexit, atque amplexa est.

GRANDI natu venerat in Societatem, è familia nobili, Pater Petrus Iserhendricx, qui tamen, quod reliquum fuit apud nos, tam fructuosè posuit in sua, & cæterorum salute vindicanda, vt paucorum dierum compendio multas annorum centurias adæquarit. Cum cætera omnis functio Religiosi hominis in eo fuit eximia, tum illa inter paucos singularis, quòd egentium imbecilla vel morbo vel fame corpora, sed animos in primis

mis seu ignorantia seu noxiis affectos administrauit tam sollicita cura, vt infinitos, pænè ab omni humana ope desertos, vnus credatur in salutis portum inuexisse: quò & eum speramus appulsum esse, anno huius sæculi quartodecimo. Ex Hæreticæ seruitutis nexu emancipati duodecim, ingenuitatis eo iure, quò optimo, in Ecclesiæ regno donati sunt. Herniam pueri nulla medicorum industria sanabilem, post multorum annorum inanes curationes, simulac eius mater Beati Patris Nostri aræ, voto ei obstricta, stitit puerum, puer ipse sensit persanatam esse, ab cuius sánationis die annus iam processit, testis penitùs affirmatæ valetudinis.

BRVGENSE COLLEGIVM.

QVINDECIM nobis auctoribus Hæreticam infamiam detersam illustri perinde vt fructuoso Catholicorũ nomine commutarunt. Vnus aliquis, noster olim discipulus, ingentis contumeliæ loco habuit, alieno die illatas sibi ad mensam carnes ab hospite, vt calidas iurulentasque in os apponentis impingeret; cui suo, haud planè liberali facto, hanc intereà speciem æquitatis obtenderet: Non iis cibis, tali die, ab Iesuitis magistris se nuper assuefactum esse. Coniugem adulterij compertum vxor implacabili furens odio, exstinctum velle cœpit tam impotenter, vt magna pecuniæ vi comparatum sicarium ei contru-

cidando apponeret:cuius flagitio iugularetur omnino, nisi Sacerdos noster,conciliata maturè gratia coniugum, percussorem ab meditato scelere auertisset. *Damnis*, in propinquo oppido, præsidiariis ex militibus Sodalitium Marianum excitauimus, cuius iam se ostendunt vberes fructus,& exspectantur vberiores,ipso maximè cohortis Præfecto familiam ducente in hac pietatis palæstra. Desponderat sibi Hæreticam puellam, quàm diutissimè adamatam, ritu Hæretico ducturus Catholicus adolescens, spe illius ad Romanum dogma olim pertrahendæ: quæ vt ante nuptias in hæresi occubuit, mirè cruciari sponsus,ac pro ea, si forte morientis animum pœnitudo falsitatis cepisset, preces ardentes fundere. Sed ei rosarium ea causa enixè decurrenti vltricibus flammis circumfusa visendam se præbuit, denunciauitque arbitranti gloriæ indices illas esse flammas, sibi vt Hæreticæ perpetua esse inusta supplicia, pariaque sponso indicenda fuisse, si eos copulasset vnà Hugonotici moris triste matrimonium.

IPRENSE COLLEGIVM.

EX AVCTORATVM se Monastica militia vir nefarius, veluti augustioris cuiusdam sacramenti castra initurus, armatum satellitem nescio cui cùm se addixisset:qui abiecto pridie cucullo caput suum exaugurauerat, credidit sanctiùs se inauguratum iri, vbi adscita concubina scelus

scele

scelere nauiter exaggerasset. Hunc, octona iam stipendia in Martis, ac Veneris vtroque exercitu, pari constantia merentem, sui Ordinis Præsides in flagitio deprehensum, vti pium fasque fuit, Monastici Sacramenti scelestè violati reum in custodiam & compedes dederunt. Ad quem, immanis sacrilegij pœnas luentem, noster aliquis adhibitus perfecit suadendo, vt nullũ non supplicium sacrilegio suo deberi lubens agnosceret, perpetuamque sanctioris vitæ legem ipse sibi vltro imponeret. Quinũm dierum intolerabiles in moliendo partu dolores ab matrona depulit, felicemque nixum impetrauit, B. Ignatius.

Altero anno Iprensis adolescens, in Hierosolymitana peregrinatione captus ab Turcis piratis, semel iterumque ad Mahometanæ Circumcisionis, Turcicique coniugij nefanda sacra pretio pœnaque appellatus, Terram Sanctam, cuius in conspectũ iam veniisset, Christique contestans vestigia, prædonibus fortiter denunciauit, aditurum se iubentiùs quorumvis suppliciorum carnificinam, quàm vt Mahometismi sacrilegiis sese inquinaret. Religionem hominis Numini iucundam cecidisse inexspectatus docuit euentus, cùm truculenti homines ad oblatas ab adolescente conditiones descenderunt, qui sibi vitam libertatémque ab eis pactus trecentis quinquaginta florenis Belgicis, Ipras misit, qui suis necessariis rationem suæ captiuitatis nunciaret. Ei redimendo pretium, viaticumque reducendo ad suos, Collegij nostri Rector ab Iprensi Magistratu cùm esset promeritus,

posteà è nautico ergastulo reducem,& Societatis nostrę beneficium inusitatis gratiis prosequẽtem, ad Magnæ Matris Sodalitium idem Pater Rector valdè cupientem admisit. Casleti, ad occasum oræ Flandricæ, quaternis Sociis, eum agrum culturis deinceps, sedes constituta est, magna spe messis longè vberrimæ. Ballioli quoque, tertio ab Ipris milliario, in possessionem fructuosæ missionis venimus, repugnantibus tametsi auctoritatis multæ viris non paucis: quorum vim perfregere pari auctoritate gratiaque alij municipes. Horum vnus,in suadendâ publicè huiusmodi Missione, rationum pondere, atque ardore dicendi eò prouectus est, vt stuporem audientibus incuteret: quibus, vt sumtuum eximeret sollicitudinem,tergiuersationisque omnes ansas amputaret, prolata syngrapha, fortunas suas omnes Missioni fouendæ obligauit. In quam excipiendam incumbentes municipum animos, ab ea oratione quam diximus, Benedictini Ordinis in propinquo Cœnobiarcha, peramicè susceptâ causâ Societatis, omnino perpulit.

CORTRAC ENSECOLLEGIVM.

GENERIS egregiam nobilitatem maiore virtutum exornauit claritudine, tum viuens tum moriens, Pater Philippus Zueueseel, Flander, quem Adiutorem Spiritalem quinto & quadragesimo ætatis anno exulimus, in nostro cœtu vi

tu vicenarium quinarium. Ad Religiosi hominis proprias dotes, plurimas & singulares, corollarium ei Græcarum litterarum pernobile amplumque accumularat sua industria: quibus tradendis disciplinis multos annos celebrem doctorem egit: sed quem cætera omnis virtus, magis etiam, quàm rara doctrina, commendaret. Anxietate conscientiæ tantum non perditæ matronæ, vt mole angoris oppressus animus ad desperationem vergeret, pacem salutemque peperit triplex votiuum Beato Ignatio sacrificium, & ad cenotaphium, pridie Natalis ipsius, pia oratio. Alteri feminæ in vitæ periculum adductæ grauiore febris æstu, altero die, quàm pro ea Beati Parenti est supplicatum, incolumitas planè restituta est.

VINOCIBBERGENSE GOLlegium.

QVADRAGESIMO altero quã viuere, decimo sexto quàm esse noster cœperat Pater Ioannes Canisius Neomagensis, rationes cum vita supremas putauit, easdemque probauit Numini, vt vita eius acta ex virtutis norma, & Religiosi Instituti formula, nos sperare iubet. Moralis Theologiæ idem magister, ad ciues Concionator, auditorque Confessionum pænè assiduus, cùm hæc munia obiret strenuè, residui tamen temporis aliquid nanciscì solebat, vt ad agrestes excurreret. Biennium versatus in castris frequenter

conſeruit manus cum Hæretico, & vbicumque fors tulit, vt in hoc hominum incideret genus, acri eos animo ſemper agitauit: qua ex acie, vt copiis inſtructior perpetuò redibat, ita paratior induſtriis ad impugnandos hoſtes, quos & ſcripto volumine confutauit: Petri illius Caniſij dignus pronepos. Caniſius alter, cui Petro nomen, Gandaui natus; agens inter noſtros annum ſeptimum, tricenarius cùm ad nos adiit, ſingulari pietate in Dei Matrem, quæ non vana eſt probitatis nota, eodem pæne tempore deceſſit. Duobus Martyribus excipiendis Gerontio, eiuſque ſocio, aduectis ad nos Roma, Bergenſes ciues pios ſe iuxta & magnificos præbuerunt: nominatim verò, in huius triumphi cohoneſtanda liberaliter pompa, Mundarum Abbas ſuam Bergenſibus Societatique beneuolentiam impensè commendauit; cùm Sacrarum ab ſe obitam reliquiarum tranſuectionem terminauit ſplendido epulo, domi noſtræ, Clero ac Magiſtratibus dato, poſtridieque diſcipulis noſtris, lepido dramate hanc vrbi fauſtitatem gratulantibus, munificè præmia diuiſit.

Annus ſecundus, idem funeſtus huic familiæ, duorum iactura Patrum: idem lætus iis quos continenti pænè funere abſtulit. Pater Matthæus Euchronius, Iprenſis, vndeſeptuagenarius, aſſiduis eximiiſque annorum quadragenûm quinûm laboribus in Societatis ſtadio clarus, non potuit non felicem iucundumque ducere fui exitus diem. Tricenaria ei fuerat concionum opera: Confeſſionum vicenaria ſenaria: quibus muneribus, induſtria

ſingu

singulari, nec absimili religione obeundis, cum cæteris, quorum animos excoluerat, tum Hispanensi militiæ in primis, gratissimus euaserat. Præferuido impetu cùm natura eius ageretur, sic domitos habuit omnes animi motus, vt eo nihil tẽperatius, obsequentius nihil fingi posset: multa scilicet, ardensque oratio, qua potentior nulla est machina frangendis, quæ virtuti obsunt, impedimentis, hanc ei moderationem, veluti natiuam adsciuerat. Thomas Hallæus, Hibernus, octonûm dierum intermissa ab exsequiis cessatione, ad integrandum funus nos reuocauit, octauo anno quàm in nostris census erat, quinto & tricesimo ab ineunte vita. Theologicũ penum quàm instructissimum in pectore sibi viderat, sed omnium virtutum refertissimam in primis apothecam, vt, hoc vtroque præsidio valide septus, populatibus suis iret suppetias. Huius tam prolixæ voluntatis eamdem atque ipsius reipsa gestæ prouincię rationem Deus habuit, exemitque molestia Hiberniæ, ac reliquæ omnis palæstræ ineundæ, vt compendiaria via in meditatæ victorię triumphos induceret.

TRAIECTENSE COLLEGIVM.

NEQVE funebris officij & narrationis hic factus adhuc modus, quãdo duo quoque Socij hanc familima operis suis in perpetuũ orbarunt: quorũ vnius non editur nomen: vbi de eo memoratum est, otij minimè patientem fuisse, ac eum qui

quidem inter familiaris ministerij Adiutores. Sacerdos alter Pater Remerus Rysvvyk, septenarius in Albo nostræ familiæ, cui se vicenarius addixerat, omnium maximarum virtutum studio ardens inusitato, vt iam plurimarum studiosa cura eum faceret compotem, factura cunctarum, si vita longior suppeteret. Precationis ardentissimæ quotidianus vsus, diligentissimeque perscripta ratio omnium beneficiorum, quæ oranti sibi diuinitus acciderent, momenti multum afferebant in dies ad minimè vulgares virtutum processus: vt est scilicet diuinis donis promerendis expeditissima via, eorum recordatio perpetua, gratique animi testis commemoratio. Mentis cum Numine coniunctissimæ, ergaque illud inusitatæ reuerentiæ index in illo fuit cogitatio tam potens sui, vt inter orãdũ, vix aberraret tantillũ ab eius obtutu, quem nusquã non sibi præsentẽ veneraretur. Gemino argumento colligi potuit, alũnum Ignatij, vt cælo maturum, euocari ad prẹmia, suique occasus præmoneri; quando & ipse Beati Parentis Natali ægrotare cœpit; & bimestri pia lectione ante obitum, quidquid duplici codice legendum incideret, alterutram induceret, aut morbi aut mortis mentionẽ. Rheni alueo fermè insidentia oppida quattuor, Grollã, Rhenobergam, Olderaliam, Lingã, ab Marchione Spinola perduellibus Batauis nuper erepta, Patres duo restituenda in integrum, ab hæresis vastitate, susceperunt, opera primùm difficili, sed læto tandem fructuum prouentu. Fuit vbi non admitterentur principio, aut acciperentur

tur cum indignatione : sed posteà ex fructu animorum cùm operæ ratio constare cœpit oppidanis, illa prior abalienatio mentis vertit in beneuolentiam venerationemque, vt priuatim publiceque nostri colendi ac prædicandi finem nullum facerent. Vnde, tametsi res gestas, & lætos expeditionis euentus, singulatim scribendo non persequamur, intelligi tamen facilè possit, quanta labes & vastitas ab nobis illata sit ignorantiæ vitio, hæresi, annum iam quintum decimum ea tota regione bacchantibus.

SILVADVCENSE COLLEGIVM.

LVSTRANTI, ex Societatis formula, Prouinciam hanc eiusdem Præsidi, Patri Guillelmo Verannemano, quasi eius aduentus bona huic Collegium inuideret morbus, in via ipsi hostiliter insidiatus, pestilentis affectus labem inussit, quæ vicesimo sexto die corpus ægrum conficeret. Cuius viri, planè magni, vt perdifficile scribenti fuerit, eximias laudes subiicere legentium oculis, ita erit ei quidem procliue, audientium verò conditioni opportunum, quo præclaræ huius hominis comprehendantur vniuersæ dotes, vnum modò eius facinus, quod postremum in vita edidit, ponere. Ab inusitatæ cuiusdam demissionis animi studio singulari, & intimo sensu, hanc ex suis familiis vnam, cuius in oculis occumberet, exemplis quàm verbis instituere ratus longè fructousiùs,

sius, hoc dumtaxat allocutionis genere moribundus affari voluit, vti nos erratorum suorum veniã ei daremus. Prouincialem deinde cum sibi subrogasset, mandatorũ ei nihil aliud iniunxit, iniunxit autem quàm accuratissimè, vti tota Prouincia scriptis suo nomine litteris, ab Sociorum singulis noxarum suarum sibi gratiam flagitaret studiosè, impetrarétque. Quæ optimus Pater, cùm faceret, ingenio suo, atque penitùs insitæ modestiæ tantum obsecutus, aliud omnino agens, & quod omnium minimè cogitaret, seipse qualis quantusque esset, quàm appositò, ad delitescentium suarum virtutum exprimendam speciem, penicillo figurabat. Quadragenarium contumaciæ callum obductum erat cuiusdam animo, vt nullius Confessarij aut iudicium, aut etiam vultum subiret, cuius duritiæ molliendæ vt religiosa coniux, propinqui, & amici, rationes plurimas excogitassent, nulla processerat adhuc, cum nescio cui venit in mentem, vt eius vxor eum quacumque machina induceret ad Concionatorem nostrum audiendũ. Vt id saltem daret rogantibus, persuasus tandem est, nec citiùs aures dicenti præbuit, quàm ex oculis se profuderunt copiosæ lacrymæ, colliquefacti pectoris testes, vt mox quadrageno situ coucretam mentis illuuiẽ apud nos detergeret. Eodem remedio factum meliùs est adolescenti nuper Lutherano, cui, ab detersa hæresi, multo vsu inoliti mores profligati sic adhærescebant, vt nihilo probior, quin improbior esset, quàm fuerat, nondum posita hæresi: quem illico sibi dissimilli

simillimũ fecit vna auditione Cõcionatori nauata opera. Beneficentia Geisberti Masij, Siluaducẽsis Antistitis, huic Collegio in perpetuum contributa sunt rusticani Cœnobij octingenûm Florenûm vectigalia annua: cui Episcopo, eidemque Sodalitatis, ab Visitantis Virginis mysterio dictæ, apud nos Præfecto, insequenti anno mœrentes parentauimus, cùm, euocante ipsum Patrona Maria, ipso die sacro eius cognatam Elisabetham visentis, suauissimo leti genere decessisset.

RVREMVNDENSE COLLEGIVM.

ANQVISITVM est capite in bene numerosam mulierum decuriam, veneficij compertam, de maiore septingentarum cohorte, quæ, infandarum Mænadum ritu, sanctioribus diebus profligatissimæ impuritatis Bacchanal celebrarent, ex sectæ suæ instituto, ad mysteria nostra si fieri posset, sacris religionibus suis exauguranda. Quòd autem Orcus diuturna eis flagitiorũ communione consueuerat, vt inusta deprauatis animis scelerum cõtumacia disciplinam recti sanctique non admissura timeretur: adhibiti sumus studiosè, ad prætẽtandas idoneo sermone abalienatas ab sua salute mentes, si qua industria eius neglectæ cupido eis ingenerari posset. Vna vel altera in sua pernicie occupatũ Cacodęmonis fascino pectus obdurarũt, reliquus tamẽ numerus, quò impellebamus, se adduci denique passus est, luendisque deinde suppliciis

ciis æquitatē mentis prætulit ſibi ſalutarē. Armātæ ab nobis cereo agno, Cacodæmonis vim fraudemque in carcere facilè ab ſe auertebant, quæ ſacro amulero non ſe exuerent: ſed vna Tartarei amatoris ſtudio adhuc implicita, cùm ille arceri ſe fateretur virtute cereæ plagulæ, ne propiùs adiret, orabat vti eam, velut ſuis naribus fœtidā, abiiceret: quæ vt ei obſecuta eſt, mox integrato inter ipſos amatorio fœdere, quod ſacra cera abruperat: miſeræ illi factum eſt peiùs, quàm anteà fuerat. Aliæ quinque ſagæ attinebantur eadem cuſtodia, quibus vt ille ſanguinarius prædo ſuadere non potuit, vt ſalutari ſe clypeo exarmarent, ita quoque illo arcente inhibitus eſt, quò minùs in mulieres inuaderet.

Ad inſequentis quoque anni partem non minimam pertinuere frequentes de veneficiis quæſtiones, vt hoc biennio plus ſexaginta ſagæ, immanium ſcelerum damnatæ, in accenſo buſto deflagrarint, plurimam partem noſtra opera expiatæ. In hoc maleficij genere formidoloſiſſima eſt eorum factio, qui, lupina ſpecie ac ingluuie ſanguinarij, dentibus furenter graſſantur in mortales: quo de grege ad vnum, ſupra cæteram improbitatem, etiam Hæreticum, cùm propinquo in oppido ægrotaret, euocati ſumus. Ei grauiſſimorum flagitiorum reo noſter tam acres admouit orationis faces, vt eum vehementiſſimè concitaret ſcelerum ſuorum pudore ac odio: quæ non eſt veritus in frequenti Hæreticorum corona ſingulatim exponere, atque deteſtari, vnaque falſum dogma,

indigna

indignatione frementibus Hæreticis, atque hoc grauiùs, quòd ad reliquæ vitæ exitum constanter in recta Fide perseuerauit.

TIROCINIVM MECHLIniense indigenarum, & Anglorum Louaniense.

CAROLVS Bosso, Bruxellensis, annorum vndeuiginti, per multas longioris morbi molestias insigni patientiæ laude, cùm ad suos curationis gratia remittendus esset, virtute sua promeritus à Deo videtur, vt antè decederet è vita, quàm è fratrum contubernio domum ablegaretur. Duodesexaginta Tironibus aucta domus est priore hoc anno, & eorum quidem nonnullis apertissimo Diuini vocatus testimonio concitatis. Senserat vnus aliquis eum Numinis instinctum, cui ne obsequeretur, ipse sibi obtendebat sinistri oculi quoddam vitium: sed pilæ ictus cùm dextri aciẽ ferè præstinxisset, intellexit calumniandi causa diem se frustra exemisse: Deo siquidem non posse imponi. Octauum tamen annum præterea comperendinatus, in æquales personatos bacchantium ritu tota vrbe inuehens, prehendentis morbi repentino incursu audit se diuinitus ad vadimoniũ citari, quod se obiturum, votis per inualetudinis graue periculum Beato Ignatio nuncupatis, spopondit. Adeptæ tamen nouo beneficio sanitatis

iucundior vsura & benefacti & sponsionis oblite-rabat memoriam, nisi potentiore machina durum pectus Deus ita cócussisset, vt ad obsequium pro-pè adhuc repugnantem adigeret. Ab altero parens promissum expressérat, vt ne ante decursum Phi-losophiæ stadium iniret Societatem; intereà verò adolescenti penitùs refrixit animus ab Religiosæ vitæ instituto; cùm ecce tibi, anno euoluto, ea-dem ipsa die, horaque sponsionis, ab stipulante patre expressæ, quinque grassatorum gladiis in-festa manus adolescenti, domum vespere redeunti ac inermi, tantam vim affert, vt momento confi-ceret, nisi vicinas in ædes fortè patuisset effugium. Neque ipsius parenti sors illo ipso die felicior ob-tigit, sub vesperam in equo suburbanos hortos ad-eunti, cui præceps grauiorque lapsus ex iumento plagam eam inflixit, vnde pòst paullò interiret, cuius tanti infortunij acerbiore nuncio perculsus filius, ne salutatis quidem necessariis, eueſtigiò in Tirocinium conuolauit. Puerulus Societatis antè cupidus, quàm eam nosset, scholarum no-strarum à parente impetrauerat potestatẽ, in quas quo primùm die pedem intulit, molestissima rauis eius insedit fauces, quæ trienniũ teneret, eumquè suis votis excluderet, ardentiùs sollicitato preci-bus piis Beato Ignatio, & huius Prouinciæ Præ-side, ab illo suauitatem restitutæ vocis, ab hoc So-cietatẽ impetrauit. Zelanda puella, cũ Hęretici do-gmatis tuendi inaudita peruicacia, tantum nostri horrorem combiberat, vti nec nos audire, nec etiã videre sustineret. Eam Catholicus frater Mechli-

niæ

niæ degentem, per causam visendorum amicorum, deduxit in nostras ædes, certumque Patrem euocauit: ad cuius illa conspectum, vocemque ita inhorruit, vt, in fletum effusa, oculos & aures obduceret manibus, quasi verita, nequid ad suos serius ex eo emanaret. Quoniam igitur nullam facturā videbatur congressus copiam, reducenda domum fuit; vix tamen ædium suarum limen superanti Deus tanta vi mentem illustrauit, & emolliuit, vt eumdem Patrem, quem non erat alloquio dignata, mox arcesseret, quocum leuiter velitata, manus animumque dedit Fidei Catholicę.

E Louaniensi Anglorum Tirocinio tres in Britanniam, honorificentissimo iuuandorum popularium commeatu, dimissi: quattuor pæne ante initam nostræ militiæ sollemnem dimicationem ad præmia emeritorum sunt euocati. Roberto Campiano prima sors obtigit, cui adscitum id cognomen erat, eius gentilitio ex causa supprimendo, & denuo sufcitandæ isti appellationi, claro in adolescente, illi olim Campiano moribus non absimili. Excellentis indolis, magnarum virtutum, eruditionis pro ætate singularis, luculentum in Audomarensi ac Romano Seminario specimen dederat: vt cùm probatissimos mores, & naturam compositissimam in Tirocinium intulisset, studio autem ingenti perfectissimæ vitæ duceretur, non potuerit paucis diebus summos in virtute non habere processus. Quam viam ardenter ingresso febris incessit, cuius æstu vehementiore

grauiter exercitus, incredibili semper æquitate animi, atque moderatione; quamdiu autem violentia mali abrepta mens deliraret, ea sermonis modestia, quæ summam argueret innocentiam; sed, florente licet adolescentia, morbo ferendo impar, tandem exstinctus est. Ab huius funere itum est, interuallo aliquo, ad exsequias Patris Nicolai Harrington, duodetricesimo ætatis anno, Probationis suæ primo, quem litteris ac sanctis moribus expolitum dederant Audomarense Hispalensequè Seminaria, eumque obsequij aduersũ Præsides, & Religiosæ disciplinæ, quàm obseruantissimum faciebat multus amor erga suum Institutum. Pridiè illius diei, qui fuit ei supremus, sanctissimo exarserat odio in admissas omni ætate noxas, vt diffluens lacrymis, magna vocis animique contentione audiretur, Deum per quæque sacra obtestans, vti admissorum sibi veniam daret, recipienti, si suppeteret vita, ærumnosissimæ cuiuscumque afflictationis optionem, in promouẽda Numinis gloria. Quo die hunc extulimus, eo ipso interiit Christophorus Michaël, absoluto Tirocinij biennio, emissisque votis, anno vitæ suæ vndetricesimo; cuius erat omnis agendi ratio Præsidibus multò acceptissima, & magno quidem ipsius merito, adeò, in summa vitæ innocentia, factum fictumque ipsi erat ingenium ad omnem exercitationem cæteræ virtutis, in primis verò ad Religiosi Instituti egregiam functionem. Funebrem rem & pompam clausit Pater Henricus Lamannus, annorum octo inter Socios, triginta

inter viuos, nullis viribus, nulla valetudine homo, sed animi robore, vigilantia, sollicitudine, alacritate tanta in ægrotis, quibus præerat, vt vnus omnes eorum molestias sustinere, animique ægritudines leuando planè obliterare videretur. Summam in eo lenitatem naturæ, comitatemque agendi, iucundissima suauitas oris, hilaritasque perpetua, condiebat, mira congredientium voluptate: quas naturæ dotes iam per seipsas impensè amabiles, cum studio etiam & arte quadam excoleret, eius consuetudo suauis in Sociorum animos influebat mirabili quodam sensu iucunditatis, qui vel inuitos raperet in hominis inusitatam beneuolentiam. Tam suauium morum homo, ingeniique tam lepidi, quanto esset leuamento malè affectis vel corpore, vel animo Tironibus, vix dici aut etiam cogitari potest; cui tam validas mentis vires, in summa imbecillitate corporis, Deus reseruatas vsque eò esse voluit, dum, suæ procurationis Nouitiis, aut recreatis ex morbo, aut eius vi exstinctis, ipse nobilium palmarum medicus honestissima morte defungeretur. Recentem è Batauia Hæreticum adolescentem, pictorem, vbi Antverpiam sese appulisset, sectarij vetabant seuerè omnino cum nostris in congressum venire, hominibue scilicet factis ad incautos præstigiis illaqueandos, quorum fraudibus, qui captus teneretur, se posteà numquam expediret. His occupato documentis adolescenti visum per quietem offertur eiusmodi, quasi ædem is ingrederetur, auditoribus frequentissimam, ad quos nostrûm vnus

verba faceret, cuius ipse dicta ponè columnã primũ exciperet, quæ vt placere valdè cœperant, propiùs audiret: ac demum nostros priuatim conueniret, cum eis mox eadem in Fide sentiret. Postridie cùm eius animum valdè vrgeret obiecta dormienti species, repugnantibus nequidquam contubernalibus, domo se eiicit, mox incurrit in templum in somnis oblatum, animaduersum nũquam anteà: ingreditur, respondent cætera, quæ occurrerant quiescenti: audit dicentem, eius hamo capitur, venit in congressum: hæresim ab se abiudicat, inque Societatem se cooptandum impetrat: tumque sua fides somnio fuit: nec eum posteà iis se dolis ductum, quibus se non explicaret.

CASTRENSIS MISSIO.

HÆRETICIS, & Calumnianis maximè, princeps sanctioris Fidei caput est, quin & ipsius religionis summa, quoque iure, quaque iniuria, suarum partium rationes ita promouere, ac eò vires adducere, vt dominatum in alios quosque ipsi exerceant, aut certè in nullius cogantur esse dominatu. Ex illo sollemni pronunciato, tamquam principe ex fonte, huius generis existunt multiplices cognatarum sententiarum veluti quidam riui: vt sibi sumant pacis, fœderum, inducíarum iura, ea modò religione metiri, quæ suis afferuiat commodis, aut obsit, aut non prosit alienis. Ab hac consiliorum disciplina egregiè parati

Bata

Batauicæ factionis coniurati Hæretici, simulata quadam induciarum reuerentia, in Belgio per hosce annos aperta quidem vi abstinuerunt, hostilibus tamen seditionibus & armis vicina omnia perturbarunt, vt Belgij Principibus in alieno periculo damnoque incommodarent. Ab hinc triénium obiectam Coloniæ vrbem arcemque, in aduersa Rheni ripa, moliti sunt: Aquensem inde magistratum Catholicum, Societatemque nostram suis sedibus per factiosos Lutheranos exegerũt, nostras expilarunt ædes: Neoburgensẽ Ducẽ, odio Lutherismi ab eo nuper eiurati, suis ditionibus excludere tentarunt: Rheno finitimis cæteris, ac de Clero maximè Principibus, ita sunt insidiati, vt animis armisque comparati, iam imminere prædæ viderentur. Atque hoc tanto audaciores acrioresque inuchebantur in aliena, quòd Belgij Archiducibus rarum esse sub signis militem animaduertebant, vt non vererentur, quin, legitimi exercitus aduersùm conatus suos cogendi, tempus insigni aliquo facinore anteoccuparẽt. Quam eorum opinionem frustrata est Marchionis Spinolæ, digna clarissimo Imperatore, celeritas atque industria, qua factum est, vt, delecti militis iusto exercitu paucis diebus educto in conspectum hostium, proiecta ferociter exsultantium copiarum mox inhiberetur audacia: &, qui nunc ludibundi alienas incursarent possessiones, inopinato casu attoniti, suis protegendis finibus multa iam sollicitudine distinerentur. Adsciti verò de nostris in eam expeditionem Sacerdotes quinque, Adiutor

vnus, & voluntariæ operæ duæ, noſtri Ordinis candidatæ; caſtrenſibus concionibus lingua quintuplici habendis, cæteraque omni ratione procurando exercitui, pro Societatis inſtituto. Religionis ſtudio egregiè comparatis noſtris copiis, & ab omni commeatu copioſe inſtructis, cuius in primis agebatur cauſa, eam Imperatori militique ſtudioſiſſimè propugnanti, Deus ſecundiſſima ope adfuit, & omnes conatus abunde proſperauit. Enimuerò, vt Aquas ventum eſt, vrbs confeſtim recepta eſt, & eius dominatu deiecti Hæretici, Catholicis magiſtratibus in integrum reſtitutis, admotiſque ad ciuilis adminiſtrationis gubernacula, vnde iniuria partium aduerſarum exciderant. Quæ rerum commutatio bonis quidem omnibus, etiam priuatim, commodè; Societati tamen percommodè cecidit, quę compilatis nuper ædibus ſuis exacta, vrbis tamerſi pomœrio non prohibebatur, domeſticæ tamen rei moleſtas ſentiebat anguſtias, & in perpetuo grauioris fortunę metu verſabatur, ſeditioſiſſimæ plebis cincta manipulis, & quotidianis obiecta tumultibus. Impoſito autem vrbi ab Spinola, coërcendis Hæreticorum motibus, valido militari præſidio, ſicut reliquis Catholicis ciuibus, ita Sociis quoque, in ea vrbe ab hoſtili violentia peropportunè cautum fuit in poſterum. Aquenſibus rebus ad eum modũ compoſitis, profectus inde cum exercitu Prætor, & munita, & muniendo idonea caſtella oppidaque, illius tractus capere occupauit, & præſidiis ſibi adſtringere, nequa vis aduerſa iis, velut arcibus, in Aquenſes &

finitimas Catholicorum vrbes vteretur. Progredienti verò ab ea castellorum expugnatione Cliuiam versùs, Rhenus medius intercurrebat, quem pedum millenûm & sexcentenûm ponte iunctum, ad oippdum Rinsberkam, traiecturus Imperator, iubet nostros Patres celeri commeatu vniuersas copias anteuertere, araque ad aduersam ripam excitata, eis præstolari, quas inibi sacris operatas, ad Vesaliam, Cliuiæ vrbem oppugnandam, rectà traduceret. Vesalia ciuibus frequentissima, mercaturis celebris, locuples opibus, ædificiorum bonitate ac pulcritudine amœnissima, sed hæreseon turpitudine, annis iam octogenis propemodùm, valdè infamis, omniù toto Belgio ea lue contactorum commune fuit receptaculum. Eam, siue deditione, siue oppugnatione captam, obtineret Spinola, intelligebat se aduersariorum rebus maximoperè incommodaturum: quamobrem positis inopinatò ad eam castris, oppidanos iubet se mox dedere, aut acerbam oppugnationem continuò exspectare. Quibus, per causam ciuilis consultationis, bellicas interim machinas ad aggeres molientibus, Spinola pluribus locis oppidi mœnia & portas verberare acriter instituit, vt paucis glandibus, vna portarum conquassata, irrupturo militi pænè iam idoneus pateret aditus: quo periculo tam repentino admoniti Vesalienses deditionem honestis conditionibus fecere. Validæ cohortes ibi collocatæ, quæ oppido præsiderēt: excitataque munitio firmissima ad vrbis latus, quod Rheno alluitur, comprimendis ex ea seditionum motibus: tum re-

liquus exercitus in ſtatiua propter vrbem eductus, ibique in tabernaculis habitus, dum ſeſe aduerſariorum conatus clariùs aperirent. Embricam enim & infirma quædã alia oppida, cõtemtim ab noſtris deſerta, inuaſerant, & caſtra, caſtris noſtris haud ita magno interuallo diſſita, poſuerant, omnique incurſione militẽ abſtinebant. Per eam igitur quietẽ nos Veſalienſem populum, demta vna Patrum Carthuſianorum familia, Hæreticum penitùs, adorti, animos eorum à nobis tam abalienatos, vt congreſſum declinarent, demitigare commoda oratione tentauimus. Quam inter ciuium peruicaciam ſtudiosè molliendam, peritus Iuris medio foro vnum de noſtris aggreſſus variis interrogationibus appetere, quibus expeditiùs ſatisfieri, quàm vellet, vbi animaduerterat, & eum iam fortè tela deficiebant, mox incuſſo ſibi protrahendæ dimicationis pudori prætexuit conditionem Iuriſperiti, non verò Theologi. Sed cùm illigatus eorum defenſione, quæ temere antè profuderat, eò tandem adactus eſſet, vt fateri cogeretur, Biblia eſſe oportere animo prædita, quo iis velut arbitris, quod volebat ipſe, omnes Fidei controuerſiæ diiudicarentur: idque ineptiſſimè admiſiſſet, circumfuſæ plebi opiparè deridendum ſeipſe propinauit. Obſtinatis Veſalienſium animis medicinam in præſentia facere nequaquam potuit, facturũ fortè ex aliquo interuallo, ſpectaculum eis manſuefaciendis in ipſa vrbe comparatum. Commiſerãt duo milites de noſtro exercitu, cur laqueo plecterentur, quibus ad Chriſtianè moriendum egre-

giè animatis, visum est, in oculis Hæreticæ ciuitatis, legibus sancita supplicia eis infligere, si quid ea res prodesset contumacibus, maximè verò cùm illi rei religiosè morerentur, interque cæteram Catholici moris professionem, caput illud magnopere inculcarent: feliciſſimam eò se sortem suam ducere, quòd in Catholicorum cœtu obirent, extra quem nec esset, nec posset esse vlla spes salutis. Indignatione non modica perculit ea vox morientium animos populi Vesalienſis, vt ad eam auditam, ex ipso patibulo, fremens corona & aures & oculos manibus obduceret.

BATAVICA MISSIO.

HOLLANDICÆ coniurationis ciuitatibus omnibus idem vsuuenit, quod cęteris populis solet, opes aduersùs legitima imperia quauis ratione anquirẽtibus, vt, aperto quibusque aduenis asylo, bonorũ morum, adeóque religionis ipsius disciplinam, in ea hominum colluuione, amittant. Nam ex quo Batauicę genti ea incessit cupido, amplificandarum quacumque ratione fortunarum, Amsterodami quidem excitatum est emporiũ è celeberrimis locupletiſſimiſque tota Europa vnum: reliquis autem eius oræ vrbibus, vt quæque fuit opportuna mercaturis faciendis, rerum omnium paucis annis facta est ingens planè accessio: sed tãtam viuendi corruptelam secum inuexit illa fæx deprauatiſſimæ multitudinis, eò confluentis, vt

maxi

maximis animorum impendiis insulani omnes redemerint illa exaggeratarũ opum cõpendia. Amsterodamẽsibus certè vnis Caluiniana secta trium infensissimarũ sectarũ inter se capita peperit, Arminiorũ, Gommarorũ, Mediorumque inter istos, implacabilibus odiis vicissim pugnantiũ, quę sæpenumerò in atrocissimas dimicationes ęrũpant, vt hęc vna triceps Hydra, vel aliis sectis fermè infinitis quiescentibus, ciuitati funditus euertendæ satis superque futura sit. Ingenium porrò his inest hominibus siue natura factum, siue fictum quodam mali studio, ad comminiscendas in momenta singula nouas hæreses: neque, aut aliunde susceptis, aut inuẽtis suo Marte, peruicaciter tuendis minor adest vel impudentia vel contumacia. Quamobrẽ nostris hãc prouinciã sortitis, tã multiplici arduoque difficultatũ nexu implicatam, hoc impensiore opera his perrumpendis enitendum fuit, quò se infesta vis mali acriùs intenderet. Et verò, contentis ipsorum laboribus benigniùs obsecundante Numine, vel ex asperrimo solo plerumque fructus existunt lætissimi: vt vnus Patrum, priore hoc anno, in oppido Delfensi, nouem integras familias ex Hæreticorum damnato Albo exemerit, præter alios bene multos, quos singulatim variis detraxit conciliabulis: centum verò & triginta idem audiit, qui cum Deo rationes vitæ totius inirent quàm accuratissimè. Aliis Patribus istius generis permulta vsu venerunt, etiam vbi quis minimè crederet. Mulieri nuper Hæreticæ praui dogmatis iustissimum odium est inustum

aui sui Hæretici funesto casu, quo in eum fera licet Numinis vindicta non acerbiùs quàm æquiùs desæuiit. Sacerdotem egerat annos aliquot, qua in functione, cùm necessariæ castitatis eum nimio plus tæderet, consortem tori adoptauit mulierculam, vtque omni re gerenda strenuum præferret nouitij Euangelij assertorem, eius præconium in vicino pago factitare cœpit. Per Sanctioris autem Hebdomadæ dies, ore impuro cùm eius temporis sacrosancta mysteria violaret, reiecta inter dicendum linguæ portiuncula, vocem desubitò amisit, póstque paullò insigni scelere pollutam animam efflauit. Tam illustris supplicij cogitatione mulier, illius sacrilegi hominis ex incesta filia neptis, se factam grandiusculam ita commoueri animo solere, ita exhorrescere, narrabat, vti nusquam conquiesceret, quoad ab impura sacrorum consortione desciscceret. Lugduni Batauorum vir quidam pessimè vitam exorsus, nulla religione, nisi quòd cum Catholicus non esset, eum qualis qualis foret, Hætici sibi vltrò vindicabant, in multos iam annos prouexerat impietatẽ, grauique morbo conflictatus, Numinis ac sui, penitus immemor, ruebat præceps in Tartara. Ei noster, quà opportunè quà importunè, non destitit, etiam refraganti, medicinam facere, tanta industria, & assiduitate, vt, se de cælo copiosa infundente luce, Deum, seque ipse agnosceret æger, rituque Catholico sacris instructus, mirantibus probis, improbis frendẽtibus, è vita decederet. Harlingæ in Frisia vir inter suos claro nomine, cùm anno superiore dumtaxat in

Catholico

Catholicorum partes transisset, per ea primordia Catholici ritus initi, eius quocumque suo periculo tuendi ardens studium præ se tulit, & quidem perillustri singularis magnanimitatis, prudentiæque facinore. In eius ædibus, celebri quodam die, Catholicorum conuentus habebatur ab Sacerdote rei Diuinæ gratia: cuius coacti cœtus cum in suspicionem venisset Hæretico Prætori, derepentè in ædium ipsius intima irrumpitur, tãque improuisò, vt, vix bene occultato Sacerdote, reliquus ferè Catholicorum globus in conclaui deprehenderetur. Prætor singulorum nomina posteà quàm retulerat in codicem, eam omnem turbam contumeliosè traducit per ora plebis illudendam, ab Catholici nominis hostibus infensissimis: postque dies paucos Familiæ patrem vocat in Curiam, de suo facto rationem Hæretico magistratui redditurum. Interrogatus primùm an Sacerdotem domi suæ tùm habuisset, Quæsitori retulit: Nulla se teneri lege, de se ac suis ea prodere, quibus prodendis, periculum sibi apud iudices crearet: ipsos enim studiosè omnia domi suæ inspexisse, quàm sollerter esse scrutatos, nullis tamen vestigiis Sacerdotem comperisse: eis autem se cogitandum relinquere, an potuerit, sine Sacerdotis opera, Catholicum gregem conuocare. Edicti autem violati cum insimulantibus Magistratibus, & multæ hoc nomine commissæ illum admonentibus, alacriter respondit: Compertas sibi fuisse huiusmodi pœnas, procellasque iis tantò grauiores, suo imminentes capiti, antè

multò

multò quàm se Catholicis adiungeret, non esse veritum in eas scientem incurrere, qui animi salutem quouis pretio sibi esset redemturus: sibi autem constare, illius asserendæ nullam omnino, nisi Catholica in Ecclesia, suppetere facultatem. Quæsitum deinde ab eo cùm esset, quam Fidei formulam profiteretur: ipseque, pronunciato Apostolorum symbolo, nihil adiecisset præterea: vnusque considentium Iudicum eodem se vti quoque symbolo excepisset: Iam verò nos, inquit ille, Fidei nostræ rationem non nudo verborum sono, sed sensu quodam interiore, altioreque, metimur. Contendentibus posteà eum grauiore culpa & ignominia non vacare, qui se adrogandum in sanguinariorum hominum pestiferam sectam imprudentissimè dedisset, quorum sceleratæ manus innocentium multorum cruore, religionis caussa trucidatorum, essent turpiter inquinatæ: paucis indicauit, iure cæsos à Principibus Catholicis perduelles, qui per inanem religionis causam, omne ius humanum ac Diuinum funditus euerterent. Atque de sanguine ac cædibus si agitur, piget dicere, quàm vestra sit longè grauior noxa in hoc genere: pacis & beneuolentiæ, velim dicatis, sintne vlla vestigia, in quopiam corpore variorum dogmatum cum Ecclesia Romana toto Belgio pugnantium. Mihi verò saluē, extra tam fœdas de Fide cõtrouersias, inquirēti, quis vestrûm, amabo, indicauerit, vbi consentientis ea de re populi futura sit copia, nisi in Catholicorũ tutissima simul & tranquillissima castra cõcessero

cessero. His grauiter prudenterque pronunciandis responsis vir probus ita vniuersum consilium defixit, vt alto silentio diu taciti sese circumspicerent, alij aliorum sermonem quasi præstolantes: cumque nihil cuiquam in rem occurreret, alio deflexere orationem. Ad extremum, subridens consilium ex eo percontatur, præsentem mallet irrogatam ipsi patria lege multam dependere, an, producta eius die, suo deinde numerare commodo: acutè, ac facetè cùm dixisset, gratiùs casurum, si ea sibi condonaretur, cum bona pace dimissus est, nec vmquam deinceps aut Fidei aut pœnæ nomine interpellatus. Quam profitendæ Religionis fortiter ingenuam libertatem familiari & illustri beneficio Deus continuò rependit, impertienda eius filio, grauissimè affecto, inusitatæ rationis sanitate. Decennis pueri morbo periculoso erat accessio facta furiosa phrenitis, quæ illam ætatulam ad horrenda verba, & impias exsecrationes, nusquam fando auditas, adigeret. Pius pater adeò nouis intemperiis filii perculsus non mediocriter, Patrem è nostris accersit, cuius consilio & ope vtatur in sua calamitate. Cui de puero nonnulla sciscitanti, vbi renunciatum erat, eum neutiquam adhuc Baptismo tinctum esse, haud dubius, quin ea tanti præsidij destitutio, morbi princeps causa putari deberet: continuò lustrare instituit, lustratumque patri reddit corpore prorsus incolumem, ac mentis functionibus longè expeditiorem. Honestissimæ matronę tanti momenti nostrorum opere in eo tractu videbatur, qui

omnium

qui omnium bonorum itidem est sensus, vt ipsa se Deo victimam dedicaret pro salute nostri Sacerdotis, periculosissimè decũbẽtis, supplexque instaret apud Numen, vti deriuaret in se priuatam, sua morte incommodaturam nemini, grauiorem Patris valetudinẽ, in cuius incolumitate tam multorum salus, in morte verò pernicies esset constituta. Ratam Deo fuisse hanc precationem, ipse precationis exitus indicauit, cùm mox ea malè, noster bene habere cœpit, ac eo quidem vtrimque progressu & vicissitudine, vt vbi nostro melius, illi deteriùs in dies fieret: cumque tandem conualescceret hic penitùs, pia femina honestissimo leto defungeretur. Clementiùs habuit Catholicum virum, quàm huius ipsamet vxor, Minister Hæreticus, vt est ingenium muliebre sui plerumque impotens. Aegrotabat ille vehementer, nec vllis precibus ab vxore Hæretica euincebat, vt Sacerdotem subsidio sibi venire pateretur, cuius missu contrà Minister aliquoties adiret ad decumbentem, quasi ad suarum partium hominem. Is verò quoties ægro adstiterat, perquàm comiter ab eo dimissus, intellexit, quod nescierat, sibi rem fuisse cum Catholico; cuius moderatione delectatus, cognita vxoris illius inurbanitate, animum libenter adiecit, vt, ea ignara, marito Sacerdotis copiam ipsemet sufficeret. Itaque Catholicum priuatim admonet, vt, condicta die, adhibendi Sacerdotis arriperet opportunitatem, quã esset ipsi conciliaturus, vxore, adeoque tota eius

familia, per variarum officiorum causam, seuocata. Quam operam ægro nauauit, etiam maiore, quàm receperat, fide, vt Sacerdoti & ægro transigendi perutilis negotij, magna vtriusque voluptate, ampliſſima facultas daretur.

ALTERO quoque anno in Batauis feliciſſimæ fuerunt noſtrorum operæ, qua in felicitate nihilominus de capite interdum periclitatum eſt, ſed vel humana induſtria, vel ope diuina declinata eſt, quæ videbatur imminere certa pernicies. Roterodami certè ipſo Natali Chriſti, noſter Sacerdos nocturnum conuentum habebat, eumque frequentiſſimum, ad quem vt verba fecerat, aram iniuit Sacris operaturus, cúmque iam Euangeliũ pronunciaret, irrupit vrbanus Prætor in confertiſſimam turbam, & inſtructam aram, & pro ea facientem Sacerdotem animaduertit. Verumtamen ſiue diſſimulauit, ſiue Deus alio auertit eius animũ, priùs vicina conclauia hominibus referta, quàm illud ipſum, vbi fieret, luſtrare aggreſſus eſt: quæ ipſius mora exuendæ ſacræ veſtis otium ſacrificanti dedit, quaſique vni de populo, in conferta turba loci occupandi. Recenſenti demum magiſtratui huius exedræ ſingulos homines, Sacerdos incidit in manus, ab eo, vt quidem creditur facile agnitus, ſed quem tamen vt ignotum præteriret, nec moleſtię prætereà quidquam reliquis afferret, quàm vt à duobus eius conuentus principibus viris multam ſibi eius cœtus nomine depaciſceretur, teſtatus pœnitere ſe, quòd eò pedem intuliſſet. Sed aliud quiddam cecidit eodem

tem

tempore in gratiam eius conuẽtus peropportunè, quod sit illustre in suos documentum Diuinę prouidentiæ. Posticam faciem earum ædium, quæ cœrum exceperant, alluit Rorta fluuius, vnde vrbi nomen est, cuius ad ripam cymba vacua cùm deprehensa esset ab fugientibus Catholicis, &, quàm multos ceperat, vno commeatu transmisisset in aduersam ripam, inde iterum, ac tertiò, nullius impulsa vi, sua sponte rediit, ad excipiendos reliquos donec omnes traiicerent. Non veritatis modò fulgor Hæreticorum ita discutit cęcitatem, vt eã ab Catholicis stantem per medias etiam tenebras agnoscant, & vel inuiti venerentur: sed multa quoque morum probitas, propria Catholicorum tessera, sic infensissimos quosque aduersariorum demitigat, ac eorum denique animos demeretur, vt non defugiant aperta beneuolentię argumenta. Lugduni Batauorum Catholici magnificum apparatum in Beati Parentis Nostri natalem instruebant, inque ipsius aram ornandam, pridiè Consulis vxor, nuper Iesuitis infensissimi, flores legebat: cui suus vir, eccui Festo ij pararentur: tum illa, Pater, inquit, & certum quemdam appellauit, me ad Beati Ignatij Natalem inuitat. Qurbus auditis Consul calathum sibi sumit, florum lectissimos quosque carpit, & vxori porrigit, suũ ei apparatum ac pietatem gratulatus. Auctiores non tantum factæ sunt Catholici ritus partes accessu transeuntium ex castris aduersariis, sed illustriores etiam conditione principum è nobilitate virorum, se nobis adiungentium. Ioannes quidem

dem Nassauius, Comes, Mauricij Comitis propinquus, clam nuper ab Haga Comitis ad nos Leidam profectus Sacramentorum participandorum gratia, nunc ex Italia recèns, Hagam Leida Patrem de nostris arcessiit, quem sibi adhiberet in consilium de grauissima sua cum Batauicis principibus viris, ac maximè gentilibus Nassauij nominis, dimicatione. In inuidiam scilicet, crimenque vocatur, Catholici ritus adsciti nomine, quasi hoc suo facta contumelioſissimã ęternę ignominię notam genti Nassauiæ inusserit, cuius iam nemo vnus non aliena Romano dogmate sentiat, loquatur, & studeat. Vt tamen Comes acutè ac prudenter vidit, quantum in Catholicis sacris inesset boni: quod clarè perspectum cupidè amplexus est, id quoque generosis animis, vti sua stirpe dignum est, tueri destinat. Et verò primariis Batauorum per hos dies in eo criminantibus illud dedecus, quod crederent ab eo illatum Nassauiorum generi, ad rem quàm appositè retulit; se, contrà, in auitam Nassauiorũ gloriam primum de suis postliminio pedem posuisse, qua primus exciderat, secumque traxerat posteros, qui primus nouitiam sectam ingressus Arausionensium Princeps, nuper & ab Rege suo, & ab ipso Deo desciuerat, quo flagitio, is vnus maximè Nassauiæ gentis splendorem obscurasset. Nam, per, ego vos, generis vestri claritudinem, & maiorum reuerentiam, obtestor, quid æquius, glorioſiusque fuit, me de solidæ Religionis suscipienda formula sollicitum, amplecti & sequi, an hominum nouorum, &, si

fas

fas est dicere, quorum hominum, numquam sibi cohærentem sententiam; an maiorum meorum,& totius antiquitatis, vniuerso diffusam orbe, nulla dogmatum anxietate vacillantem doctrinam,& in Romana Ecclesia semper coniunctam cum eximia morum sanctitate? Atque vti perspectam consilij mei rationem habeatis, videte, obsecro, quàm non leuiter adductus sum, vt ad Catholicos transirem: En vobis Leonardi Lessij, eruditi hominis, eo de argumento accuratè scriptam consultationem. Eum commentarium de Italico in Germanicum verterat, politissimeque sua manu descriptum asseruabat, vt eius lectione subirati parentis animum leniret,ipsique probaret, meritò se iis rationibus persuasum in auorum Fidem remigrasse. Porrò studia in contraria, inque maximè pugnantes sententias, diuisis nuper, vt perpetuò, Caluinianis, cùm,odio aduersi dogmatis, in eius fautores stylus vicissim distringeretur acerbissimè, ac partiũ studiosissimi quique mutuis se conuiciis conscinderent, in vnum aliquem ardentissimè in ea dimicatione versatum, grauis morbus incurrit, qui letalis crederetur. Hic autem, tametsi acerrimè pro Caluino erat digladiatus,vbi se manus cõfertũ vocari nominatim ad extremã palæstræ contentionẽ animaduertit,antiquius habuit nihil,quã vt nostrũ Sacerdotẽ accerseret,à quo hæresim dedoctus, inque Catholicorũ allectus cœtum,Sacramentis instrueretur, multa indignatione fremẽtibus Hæreticis, qui, quem pridie suarum partium pugnacissimum assertorẽ nouerant,nunc experiantur ab se alienissimum.

PROVINCIA BELGICA.

FAMILIIS primùm denis septenis, deinde octonis denis, biennes suas operas dederunt huic Prouinciæ, nunc quingenti octoginta & duo, nunc supra quingentos nonaginta & nouem Socij, quorum priùs tredecim, totidem posteriùs decesserunt, adoptati sunt aliunde duo & triginta.

DVACENSE COLLEGIVM.

SCOTICÆ iuuentutis Seminarium priore hoc anno excitauimus, atque cum eo incolere cœpimus ædes, idoneo vrbis loco, Catholici Regis sumtibus exstructas: quarum alioqui læta nobis auspicia, Dauidis Christi, Fratris nostri, acerbus exitus pæne funestauit. Is componendis ad vsum commodiorem nouis ædibus trabium quiddam exportabat per apertum tabulatum, vnà cum duabus operis, qua multum degrauante sarcina,

cina, & deerrante pede, lubrici soli vitio, ad marginem tabulati, præceps in caput corruit, fractaque caluaria, vulnus accepit, ex quo paucas post horas interiret. Huius improuisi occasus formidolosissimam aleam Diuina Prouidentia benignè præuerterat, quòd triduo antè Sacramentis erat munitus, &, quod caput est, totos decem annos vixerat in Societate singularium virtutum nomine illustris, quarum nos recordatio mœrore tam funesti casus eximeret. Alius itidem Adiutorum, Venantius Mille, de hac familia, Insulis obiit, quò venerat, salubrioris cæli hauriendi gratia, de quo posteà dicemus. Terruit deinde vniuersum Collegium, sed nihil aliud quàm terruit, grauis cuiusdam ruinæ labes, vi Austrorum priùs excitata, quàm potuerat animo prouideri. Theologicæ, Philosophicęque, ac sollemniũ exercitationum amplissimæ exedræ, vix annum ipsum steterant, magnis Aquicinctini Præsulis exædificatæ sumtibus, cùm prima luce ab Austro ingruens tempestas turbulentissima ingentem adificij molem luculenta strage derepente afflixit, antè tamen quàm discipulorum quisquam eò coiuisset. Quæ verò in nos Præsulis optimi beneuolentia & liberalitas, vbi de labefactato gymnasio inaudiit, mox adiecit animum ad illud idem, ampliore accessione adiuncta, instaurandum, vt qui cum eo, quod nuper fuit, nunc velit contendere, vt in hanc excresceret speciẽ, existimare possit suam ipsi ruinã profuisse. Relata in codicem ab nostris omni ciuitatis puritia, vt eius per Catecheseon palęstram erudien-

dæ apertior constaret ratio : eam nobis suorum liberorum tam impensam curam Magistratus, & ciues vniuersi mirificè gratulati sunt, seque huic nostræ adeò frugiferæ ac liberalis operæ subsidio venturos prolixè receperunt, nec defuit ex inopum muliercularum cœtu, quæ suam egestatem defraudatura, menstruæ pecuniolæ quidpiam, coëmendis Catecheticæ scholæ præmiolis, si audiretur, addiceret. Amuletum, auertendis inter peregrinandum latrociniorum periculis, adolescens alicunde nactus, quoad secum habuit, tametsi cum cura educatus ab optimis parentibus, in perpetuis flagitiis volutatus est, quod tandem vbi nostro auctore, abiecit, mox eum incedit tam ardens pietatis studium, vt iam rectè viuendi normam quàm optimam cæteræ omni adolescentiæ præferat. Graui ære alieno Collegium obruebatur, cùm Dei Prouidentia liberalitatem in nos suscitauit hominis locupletis, filium Sacerdotem habentis in Societate, cuius supremis tabulis hæredes facti ex asse, vetera nomina feliciter explicauimus.

VIXERAT ad annum huius biennij alterum Pater Ioannes de la Haie, Seruius, Votorum quattuor Professus, annos quattuor & septuaginta, inter Socios vndequinquagenarius, cùm eum confecit trium dierum ægrotatio. Hunc inter maximè illustria Belgicorum Patrum lumina, multæ ac eximiæ virtutes claris in Societate muneribus assiduum ferme admouerant, toto Belgio principum virorum adiunxerant beneuolentiæ, nominatim

verò

verò Collegij Duacensis conditori, qui eius singulari prudentia, innocentiaque delectaretur maximoperè, ac consilio valdè vteretur. Huius Patris ingentibus laboribus Duacense Collegium sua primordia, progressionem, & hoc sui splendoris Fastigium in primis acceptum refert, deincepsque referet quàm lubētissimè. In tempora verò difficillima cùm incidisset eius ista procuratio, & eò tamen res proueherentur, quò non facilè quisque sperare ausus esset, quæ summa ei viro inerat Numinis fiducia, angustis sæpe rebus se apertè prodidit cùm ea fretus nihil quantumvis ardui non susciperet alacriter, feliciterque perficeret. Cur autem rebus maximè dubiis tantopere Diuina ope confideret, obsides habebat domesticos, & egregiam vitæ innocentiam, & ardentissimum Diuinæ gloriæ studium, quibus comes accedebat iugiscū Numine per assiduas preces veluti cōsuetudo, vnde tam certam prosperorum euentuū fidem eius animo afflari solere, fit quàm probabilissimū. Mirati frequentissimè sunt Prouinciæ Præsides in eo liberum prorsus omni sollicitudine animum quamdiu administrauit numerosissimam Duacēsem familiam, nullis propemodùm certis nitentem vectigalibus vnde aleretur, vt angustiarum familiaris rei mentionem numquam sit auditus intulisse: id modò causatus silentij sui argumentum Præsidibus percontantibus: Non solere Numinis beneficentiam ipsius ope confidentibus alumnis vnquam deesse, qua vna cogitatione mētem suam diceret planè acquiescere. Hominis &

litterarum & negotiorum bene prudentis, exercitatissimi præterea in tractãdis hominum quorumlibet ingeniis, inusitata modestia ex eo vno perspici potest, quòd epistolas ad viros graues dare nó solebat, quin Spiritalium rerum Præfecto excutiendas ita detulisset, vt nihil nisi eius arbitrio liberum sibi sua in scriptione vellet. Quo de homine illustria quęque dixisse tametsi minùs quàm pro eius meritis videatur: quoniam tamen facilè cætera ex his capitibus æstimabuntur, plura scribere in præsentia supersedemus. Iacobo Leslæo, Scoto, & hic annus vitæ supremus fuit, quartus in Societate, quinarius vicenarius ex quo in hanc lucem venerat, Braunsbergæ in Prussia vnum annum litteris mansuetioribus excultus; vnde Romam cùm venisset, Aronam Tirocinij causa, posteà Duacum missus, in Philosophiæ stadio ætatis curriculum multarum virtutum laude terminauit. Sacra corpora Beatorum Terentiani, eiusque Socij, Martyrum, Roma huc ad nos ab Reuerendo Generali nostro Præside transmissa, splendidissimo instrumenti apparatu, lectissimaque pompa omnium Ordinum ciuitatis nostram in ędem religiosè inuecta sunt, & ibidem condita.

AVDOMARENSE COLLEGIVM.

ILLVSTRIVM pariter atque fructuosarum operarum functione clarus inter Socios Pater Christianus Dalmerius, vota quattuor professus, annis

annis quattuor septuagenario maior, laudatissimam ætatem honestissima morte concluſit. Alterum & vicesimum annum huic familiæ præsedit, approbantibus omnibus eius rationem magistratus: quadraginta dixit annos, & hoc ampliùs, è celeberrimis pulpitis, eo spiritu plenus, qui non afflatur nisi diuinitus, quod, incredibili fructu audientium, vehementes animorum commotiones testari perpetuò consueuerant. Multa senecta, immodicique longioris vitæ labores, tametsi acerbos artuum dolores, aliaque incommoda, nec pauca, nec leuia ipsi arcessiuerant, sanctæ hilaritatis iucundo sensu & fructu eum tamen numquã defraudarunt, quod vnum esset inter multa innocentis animi argumentum non mediocre. Ei aduersùs Beatam Vrsulam propensissima semper fuit religio, quòd in eius sacrario prima semina Instituti Societatis eius animo Deus inseuerat, cuius beneficij numquam satis pro suo sensu poterat exaggerare magnitudinem, tanto autem ipsi iucundiorem nobilioremque, quòd ipso eiusdem Virginis Vrsulæ Natali Deus ipsum ex corporis ergastulo ad cælestes epulas euocauit. Patribus nostris agrestem expeditionem longè lateque prouehentibus, vni ex eis contigit excurrere in alieni Principatus pagos, vbi lubentissimo populo, quæ huiusmodi functionis sollemnia sunt officia, exercebantur fructuosè, dum quibusdam incessit non bene sana æmulatio, qui alieni hominis aduentitia opera offensi, eum exigendum curarent cum ignominia. Commodè tamen incidit per hoc ipsum

sum tempus, vti suam diœcesim obiret Antistes, qui eius rei à probis commonefactus, Patrem humanissimè appellatum, gratulatus tam fructuosè nauatam suo gregi operam, honorificè apud se habuit, rogauitque, vt susceptam Spartam ornare perseueraret. Posteà verò, in amplissimo indigenarum conuentu, grauiter questus iniuriam Patri, omnem beneuolentiam humanitatemque promerito, contumeliosè illatã, edixit eũ & rectissimè feciſſe anteà, & quod deinceps faceret, auctoritate ac nomine Antistitis, qui probaret eius dicta factaque, legitimè facturum: quamobrem eum nemo sua opera prohiberet, contra omnes recta sanctaque præcipienti dicto audientes essent. Inter quam dictonem, manu apprehensum compellauit beneuolentissimè, apudque auditores mirificè collaudauit, proborum, qui Patris concionibus profecerant, summo gaudio & approbatione, sed Hæreticorum tanto acerbiore inuidia. Grauelingam quoque vrbem, ac munitionem maritimam delatus est ardor missionũ, vbi militares inter manipulos vehemens animorum commotio in multam pietatem exarsit, cuius fouendæ iniecta Sodalitatis sacræ cùm esset mentio, nomina mox dabat vniuersum præsidium, sed, potiorum delectu habito, coaluit illico numerosus iuxta & pius conuentus Sodalium. Vrbis Præfectus, Centuriones cohortium militarium, honoratissimi quique ciues, se gregario militi ea in dignatione posthabitos doluerunt graniſſimè, aditoque Patre, queribundi expostulabant, nec futuram expostulationum

num finem asserebant, donec eodem loco & honore inter Sodales, quo turba saltem militaris, haberentur: quibus facere satis nequaquam fuit difficile. Oppidanorum omnium ardebant odia in suum Curionem, vt pessimum exitum res habitura videretur: cui malo Sacerdos noster vt occurreret, singulorum ciuium obiuerat ædes,& ad communis pacis studium adduxerat eorum animos: quæ ne, omnibus expugnatis, conciliaretur, qui vnus reliquus erat mitigandus, odiorum auctor,vesperi adit ad oppidi primarium virum,& orando adigit,vt secum crastina die rus venturum polliceatur, quò se subtrahat Patris nostri oculis & precibus. Sed fugientes Sacerdos assecutus,quà rationum, & precum momentis, quà Diuinæ iræ ac vindictæ grauibus denunciationibus interponendis, nihil omittit quo mollire vel saxea possit pectora, vel frangere: irrita tamen per eum diem opera. Quamobrem Sacerdos & socius,vbi humana vis tantæ moli euertendæ infirmior erat, supplices fusi in vota, opem de cælo potentiorem expoſcunt, nec frustra: postera etenim die bene manè, ad nostrum adit vir ille princeps, hesternæque contumaciæ veniam impensè rogat, se in Patris potestate recipit futurum, cuius opera mox vsus noster,habito omnium dissidentium conuentu,æquis conditionibus conciliatur pax, & eius perpetuandæ in posterum idoneæ leges perscribuntur. Diuturno, acerbissimoque ex morbo receptum nonnullum sæpe impetrarat puella, Beati Aloisij nostri expetito cum fiducia præsidio, denique

nique verò cùm periclitaretur grauissimè, hauſtis Beati cineribus, eò anguſtiarum adducta eſt, vt iam conclamaretur eius ſalus, cùm ei fortè cinerũ ſacrorum quidpiam infuſum ſecundò eſt, optanti quidem, ſed ad poſtulandum defectæ viribus: quá alteram ſorbitionem conſecutus caloris, & virium regreſſus ſanitatem prænunciauit, poſtque paullò integram reſtituit.

TORNACENSE COLLEGIVM.

EXIMIÆ artis opificium exercuerat in Germania Batauiaque ciuis Tornacenſis, vbi Caluinianorum animos commouerat cupiditate artis artificiſque in ſuas præſepes traducendi, quò & improuidum traduxerunt. Decimum ferè annum venerabatur, & colebat inſulſa illa Caluinici myſterij prandia, cùm nos eum tantò auguſtiora Sacra & ſapere & amare docuimus, quibus ille probatis vſuque perſpectis lubens adhæreſceret. Popis Caluinianis, Poparumque tribulibus, permoleſta cecidit eius hominis ad nos tranſitio, cuius vt animum demererentur, blanditiiſque ad ſe pellicerent, omni arte, operaque adlaborarunt, toto biennio. Validæ admouebantur machinæ homini, quàm tenuiter parato ab re domeſtica, expugnando, quòd annuus commeatus deferebatur ampliter: ſed nulla copiarum illecebra opibus tenuem, multa Fide diuitem hominem potuit demulcere. Sollertis animi atque conſtantis argumenta prætulit

tulit omnis illius ad Caluinianorum conditiones cauillationemque responsio: quam Tornacensis Magistratus perspectissimam habuit, mirificeque in huiusmodi homine comprobauit: porrò de illius virtute iudicij documentum id exstare voluit, vt is amplo congiario publicè donaretur, quò Fidem tueri pergeret alacriùs,& artificium, quo excellebat, luculentiùs factitaret. Nostra autem in æde Sacrorum vsum constanter ac religiosè obire perseuerat, ex quo desciuit ab Caluinico conciliabulo.

BIENNIO pænè vertente demigrauit è viuẽtium contubernio Pater Antonius Dautroult, sexagenarius, annos ab hinc quattuordecim allectus in Societatem, quod omne tempus quàm vtilissimis transegit operis, ac præter cæteras quidem, Historico Catechismo instruendo, cuius editione auctiore diuulganda,dum tertium volumen prelo subiicitur,grauis eum sopor mẽbrorũ occupat, & imbecillitas memorię,vt omnium repentè obliuisceretur. Tres circiter hebdomadas tenuit ille stupentium sensuum,& labantis memoriæ affectus, quo deinde paullulum discusso, senecta morboque victus, bonus Pater religiosè animam exhalauit. Totos nouem annos bis quothebdomadis virorum Cœnobium adire solitus excipiendis ipsorum confessionibus, magnis incrementis disciplinam Monasticam apud eos, pietatemque promouerat. Sanctorum statuas hac regione quàm multis locis, Hæreticorum scelere, aut deturbatas, aut comminutas, vti publica auctoritate,impensaque

pensaque restituerentur, effecerat suadendo, magna proborum voluptate, diuini cultus propagatione non mediocri.

LEODIENSE COLLEGIVM.

CREVIT decreuitque alternis mutationum vicibus Collegarum numerus, vt addita gemina Logica perueniret ad quinquagenarium vniuersa familia: ex qua deinde Patres duo, Frater vnus, aut senecta, aut morbo, demerentur. Septuagenario iam, & sua sponte ad obitū vergenti, Patri Ioanni Hallenio, pulmonū exulceratio, pituitęque profluentia non parum anticipauit extremæ diei sortem, quietemque. Eum nuper è Gallia communis Sociorum proscriptio Montes, Hannoniæ in vrbem emisit, vbi Sociis præfuit sexennium; tandemque suos ad ciues Leodienses cùm deuenisset, quam sollertiam sedulitatemque adhibuerat iuuandis extraneis, eamdem, adeoque maiorem popularibus impertiuit. Hic cum arderet alienæ salutis studio, eamque animo combibisset de Catechetica institutione opinionem, quam Decem-primorum Patrum res gestæ præferunt prædicantque, incredibili cura eò suam mentem appulerat. Tam impensæ verò curæ par frugis euentus respondebat, quòd mirificæ industriæ artifex cùm esset, insinuando rudium ingeniis Catechismo, vrbana rusticanaque plebè vtebatur admodum docili, cui videlicet sui Doctoris discipulorum

lorũ tarditati se tam amicè seduloque accommodantis, iucunda in primis erat humanitas. Quoad senectus corporis vires non penitùs infregit, omni tempestate agros æquè vt vrbem salutari disciplina imbuit: degrauante posteà senio membra, sua Hiberna ciuili plebi, Aestiua modò agresti addicebat: quo genere saluberrimæ institutionis beneuolentiam omnium tota regione popularium incredibilem collegerat, sibique ac Societati, adhibendo gratissimo indigenis officio, nomen clarissimum fecerat. Magister Stephanus Massæus, Leodiensis, annorum sex & viginti, à vicesimo ætatis, seu erudienda iuuentute, seu debellandis seiugiter impetentibus morbis, exercitus variè, tandem horum vi maiore oppressus interiit. Patrẽ denique Anselmum Deschamps, pessimè affectum Spadanæ aquæ, quibus aduersùs grauiorem valetudinem vsus erat, non prohibuere, quò minùs domum inde regressus malo succumberet: nulla tamen vis morbi, vel etiam mortis, hilaritatem vmquam ex illius animo, vultuque, depulit. Secundo Numine, hominibusque iuuantibus, Summo scilicet Pontifice, Colonensi Electore, eodemque Leodiensi Episcopo ac Principe, Leodiensium magistratu ac ciuitate vniuersa, eodem conspirantibus, Philosophicam scholam hoc anno instituimus, centum & quadraginta mox frequentem auditoribus, quam si aduersa vis nulla disturbet, lætis inchoatam auspiciis, fructibus vberrimam futuram speramus. Hoc Collegio Philosophicis initiando disciplinis mysteriisque interesse voluit

Antiſtes ac Princeps noſter, ſuaque præſentia, & inſigni religione cohoneſtare Sodalium conuentum, ac deinde, remiſſo cuncto comitatu, & ſatellite, priuatus apud nos prandere. Præter inuſitatæ beneuolentiæ aduersùs omnes ac ſingulos Socios luculenta argumenta, mirabilem tanto in faſtigio auguſti natalis honoriſque modeſtiã perpetuò prætulit, vt nullo nec ſellæ, nec vaſarij diſcrimine à nobis diſtingui voluerit: quin, & detergendis poſt lauationem manibus, ad Sacerdotum inuitatus lintea, ſe non Sacerdotem cauſatus ad penſile Fratrum mantile, ductus religione, tranſierit. Non parum valuit huius Principis graue teſtimonium, ad comprimendos æmulorum iniquos ſermones aduersùm Societatem, quòd ipſius in eam criminantes huiuſmodi exceptum eſt reſponſum: Alieno vel iudicio, vel auctoritate nihil ſibi opus eſſe in Societatis æſtimanda innocentia, cuius à puero haberet quàm exploratiſſimam probationem. Spadanæ aquæ communis vſus cum Britannici Regis medicorum decuria noſtrum Sacerdotem frequentibus de Fide diſputationibus illigauit, ac peropportunè quidem affirmandis Romano ritu Catholicis, qui fortè aderant, quòd ex iis medicis non nemo veterum Patrum aciem vniuerſam, velut ſuo dogmati fauentem, obiiceret. Sed adfuit in tempore qui cornicũ oculos ita configeret, vt ne deinde acutioribus luminibus vellent videri, quàm eſſent, neque rudioribus imponere auderent. Agendi verò comitas, quam perpetuam tota concertatione noſter

Sacerdos

Sacerdos adhibuit, ita ei conciliauit Hæreticorũ hominum animos, vt huius manſueti moris laudandi finem nullum facerent: in Angliam verò poſteà renauigaturi, ad eumdem Patrem noſtras in ædes officioſiſſimè venirent ſalutatum.

EXARANDO Hæretico ſolo, tametſi, præter inanem ſudorem, nihil plerumque compendij fiat, poſteriore tamen anno denos ſeptenos inde manipulos ſuſtulimus, & nonnullos memorandis impulſos ad Fidem euentibus. Dictis geſtiſque proteruiam gloriabundus factitabat aliquis de Clero, multa cum offenſione ciuitatis, quem vt nulla proborum monita deducerent à flagitio, funeſtus tamen caſus auocauit. Per nocturnam concurſationem, in qua multus eſſe conſueuerat, cùm cinctus gladio expeteret auidè ſibi occurrere aduerſarium, vel ex Orco ipſo, ſi non ſuppeteret aliunde, quîcum ferro congredi ad ſatietatem poſſet; inclamaret porrò intenta voce, vti prodiret in medium, cui eſſet animorum ſatis ad conflictũ, de Tartaro prouocatus duellator mox exſtitit. Sed acuendæ in aduerſario cupiditatis ad pugnam maioris, inuolutus pallio ſimulauit ex metu fugam; paſſus tamen haud multos emẽſus, ſibi acriùs inſtantem ab tergo prouocatorem, eueſtigiò conuerſus, ſtricto enſe repreſſit, pauciſque digladiandi ſatietatem intulit. Nam, cæſim punctimque congeminandis validè petitionibus, vti ſtolidi hominis defatigarat vires, artẽque hebetauerat, grauî confoſſum ictu ad ædis propinquæ fores humi affixit, vt in re deſperata, ſalutare nomen Ieſu lu-

gubri voce appellantem, qua nomenclatione perculsus victusque, Tartareus bellator, momento euanuit. Sauciato posteà noster Sacerdos adhibitusinteriorum plagarum vulnerarius,tam appositè animum eius versauit,ex recentis cladis sumta opportunè ansa, vt eum accenderet studio vitæ sanctioris, quam exorsus deinde in hunc diem egregiè promouet.

INSVLENSE COLLEGIVM.

FVNERE Socios duos priore anno extulimus, Sacerdotem alterum,alterum recentem ex Tirocinio adolescentẽ.Patris Henrici Huberti annorũ triũ super quinquaginta,Boscoducensis,Professi Votorũ quattuor,priores fuerunt exsequię,ciuium extraneorumque mœrore insignes. Cum cætera virtus multiplex, tum congressus, morumque iucundissima suauitas, ei conciliauerant, quidquid hominum ferè vmquam viderat, animos, ergaque ipsum sic affecerant, vt ei gratificandi ansæ omnes vndique captarentur. Quare, quòd eius in mendicos singulare multis notum erat studium, vel ex ipsa vltima Hollandia destinabãtur ad eum ingentes pecuniæ, in egentes erogandæ. Documentum,eius in hoc hominum genus beneficentiæ, peratur vno ex capite panis distributi: cuius nomine vna dumtaxat pistoria officina ei accepta retulit terna Florenorum millia. Qui tam profusæ benignitatis affectus in alienam egestatem, ex incenso

incenſo videlicet Diuini amoris æſtu expreſſus, quàm frequenti, quámque honorifico præcellentium virtutum comitatu cingeretur, ad exiſtimationem fidemque pronius eſt, quàm vt longiore ſermone ſit explicandum. Arnoldum Deſchamps, Inſulensẽ, menſis ſextus ab Tirocinij exactis ſtipendiis, hectica febri tabefecit, eximiarum virtutũ inſignem laudibus. In Numinis de ſe ſuiſque arbitrio totus acquieſcebat quàm pacatiſſimè: ſi liceret tamen aliquid ſuo iudicio in cauſa ſua optare, longiorem vitam libenter ſibi ab Deo paciſceretur, vt ingentiũ laborum inter Socios exantlandorum ei copia fieret: quorum materiam ſibi ante tempus præripi doleret. Gallo mercatori Hęretico, dum in claſſe Turcica hoſtium potiretur, conſtantia repudiandi Mahumetani ritus, multarum blanditiarum illecebra ſtudiosè propinati, vtramque & mentis & corporis libertatem ipſi à Deo promeruit. Poſt ſeptennem quidpe captiuitatem è vinculis exemto feliciter, perque Belgium iter ad ſuos intendenti, Catholicorum ædes ſactę pio elegantique ornatu, & cærimoniarum auguſta maieſtate, ſtuporem incuſſerunt non modicum, ſed maiorem multò ad Beatorum reliquias edita miracula. Exinde igitur is animo vehementer angi, & aſſiduis compungi ſcrupulis, num ab Caluinianis falſitas, veritas ab Catholicis faceret: quo angore vt animum abſolueret, noſtrum adhibuit arbitrum, apud quem vt rationes expoſuit, quæ ſe in Caluiniſmo adhuc diſtinebant, & earum vanitas fuit oſtenſa, quàm lubentiſſimè amplexus

est, quam venerari & adamare iam cœperat Catholicorum Fidem.

ALTER annus viuorum numero exemit Patrem Stephanum Fouaquierum, Atrebatensem, senio grauem, in Societate quadragenarium, excipiẽdis Confessionibus strenuũ, assiduũ, industriũ cũ primis hominem, in se penitùs inclementem, in alios omnes mansuetissimum. Nosocomio vrbano, & ei præfectis Cœnobitis Virginibus annorum quattuordecim culturam saluberrimam contulit, ex qua Diuini cultus, disciplinæque Religiosæ quàm optima ratio deinceps existeret. Ex vicenis septenis Germaniæ prouinciis frequentissima hic versatur adolescentia, varij ex causis variis, ad quos, suo ipsorum idiomate, statæ sunt nostro in Collegio conciones: quibuscum seriò actum hoc anno, ac perfectum etiam, vt quæ semina pietatis auribus solerent excipere, obeundis cum cura & religione frequenter Sacramentis, ea in animis altiùs ad spem frugis secuturæ defigerent. In Batauico exercitu, Embricam Resamque, Cliuienses vrbes, expugnante, merebat Hæreticus miles, quem capta Embrica incessit cupido visendi nostri ea in vrbe templi, vt aliquando nosset, quid rerum ageretur in Catholicorum sacris ædibus. Ingredientis animum affecit illico multa sacri loci dignitas, & omnis instrumenti elegans venerandaque compositio. Maximè verò placuit frequentis populi summa modestia; silentium altissimum; incensa precandi religio: veneratio erga res Diuinas singularis; quibus argumentis sen-

sum pie

sum pietatis non vulgarem animo suo iniici mox animaduerteret. Eam ob rem de ritu Catholico sublimia quæque cogitare, ac existimare cœpit, tũ etiã fermè persuaderi, apud eius sectæ homines residere sinceræ lumen Fidei, quos tam sancta disciplina Sacrorum imbuisset: cuiusmodi nec tenuissimum vestigium deprehenderat vmquam in pudendis Caluinianorum lustris, vbi omnis petulantia, velut in castris impiorum dominaretur. Hæc per aliquot dies meditanti, non decernenti tamen, quod optimum videretur, incidit velut à tergo morbus, qui restitantem adigeret, quò Deus benignè vocabat. Opulento seni mediis Batauicæ perfidię tenebris immerso, inter obstinatissimas in errore cognatorum phalanges, Deus inspirauerat venerationem cupiditatemque Catholici dogmatis, adeò vehementẽ, vt nisi se illi adiũgeret, in nulla re speraret se posse acquiescere. Neque tamen erat ipsi dubium, quin vt eò adspiraret, quò cupidinem adiecerat, & patria, & opimum patrimonium sibi esset prorsùs abdicandum. Hæc tamen viliora ei visa sunt, quàm vt, ipsis conseruandis, Fide Catholica excluderetur, cuius Sacrorum experti nulla spes salutis fieret reliqua. Sollicitudine igitur caducarum rerum expeditus rectà Insulam contendit, nostrisque sibi adhibitis religionum magistris, animi sui rem omnem tuto loco constituit.

MONTENSE ET LVXEMBVRgense Collegia.

QVASI à grauissimo flagitio proclriuior, propinquiorque fieret gradus ad sanctimoniam, sic mortalium nonnullis vsu venit, vt insigni aliquo scelere implicati sub vitæ exitum, inusitatæ pœnitudinis glorioſissima clausula ætatem concludant, viamque sibi ad æternæ felicitatis epulas fruendas aperiant. Sapientissimum vtique Diuinæ Prouidentiæ consilium est, eos non prohibere casu turpissimo, qui sua ex ruina generosiorem impetum capturi sint, ad virtutem suis in animis validiùs posteà, magnificentiusque suscitandam. Hoc euentus genere profligatissimè ruit Montibus anus septuagenaria, cui suam fortunam, ab inopiæ angustiis fortasse, lugubri querimonia in hortulo querenti, adstitit ex improuiso Acherontius Danista, & aliquot nummulis nescio quid ab vetula licitatus, eam ipsam sibi pactus est, quo voluit pretio, vbi ea se Sacrorum, Deique omni abiudicarat commercio, porrectoque crine Tartareæ militiæ auctorauerat. Ab tam sacrilegis impiorum initiorum carceribus, laxis habenis decursum est ad quorumuis flagitiorum consuetudinē, incubone Dæmone nihil non per impuram veneficam audente, perficienteque, quoad eam vulgatissimorum scelerum atrocitas in neruum, ac in bustum deinde compegit. Posteà verò quàm in

vincu

vinculis eam conſcientia criminum imminentis ſupplicij commonefecit, æquitate animi ad luendas pœnas,& religione in Deum inaudita,ſe comparare inſtituit : vt qui alacritatem properantis ad paratum incendium,& inquinatiſſimam ſenectam exſecrantis, lacrymas gemituſque animaduerterent, fletibus ipſi præ miſeratione non poſſent temperare. Porrò in tolerandis accenſæ pyræ cruciatibus, fuit in muliebri animo tantum roboris, & in effeto corpuſculo tantum virium, præ interiore Diuini amoris flamma, vt ſpectantium corona planè obſtupeſceret, tamque felicis occaſus ſortem turpiſſimę nuper mulierculæ gratularetur, vti & nos quibuſdam aliis gratulati ſumus exutũ Hæreticæ ſuperſtitionis ſpolium.

LVXEMBVRGENSIBVS Sociis templum exædificare inſtituit priore anno Epiſcopus Azotenſis, Suffraganeus, vt vocant, Treuirenſis Archiepiſcopi, mirabili concurſu indigenarum ad deſcribendorum finium, & inaugurandæ arcæ ſollemnes ritus propiùs cognoſcendos,affluẽtium. Cui fabricæ auſpicatiùs inchoandæ, ac fortunatiùs promouendæ,architectus, vir planè probus, ab religioſiſſimæ legis ſanctione pium opus aggreſſus eſt, : conuocata ſiquidem omnium operarum turba,& pauca in rem præfatus,docuit, non ad profanos vſus mortalium cuipiam inanem ſubſtructionem apparari, ſed Regi Regum immortali Deo exſtructum iri templum, vbi, quotidie incruenta hoſtia crebriùs immolanda, Numini liretur. Quamobrem intelligerent omnes puris

corporibus animisque huic ædificio dandas esse operas: sibi quidem certum esse laborem nullius admittere, qui non iuraret in verba suæ sanctionis. Dicti autem factive noxa grauior Dalero, hoc est aureo dimidiato, sanciebatur in cæteris; in ipso autem architecto, tot Daleris, quot noxiæ suæ conscios testes ille habuisset, cuius legis conditionibus vbi fabri vniuersi, operæque omnes se volentes adstrinxerant, conspirantibus omnium animis, in opus itum est vndique. Postridiè admissa in legem fraude à quopiam, eius lator depensa multa minimè contentus, reum à se ablegauit, dum Sacramento Confessionis esset expiatus, cuius persoluti officij syngraphum ab Sacerdote cùm hic afferret, quindecim tamen dierum ignominiosa missione plectebatur insuper, nisi Patris Rectoris suffragiũ interuenisset. Seueritate scilicet supplicij adhibenda principio, amputare studuit bonus Architectus effrenatam plebeiorum hominum in peccando licentiam: neque spe sua frustratus est, nam cætera omni æstate sectorum structorumque numerosissimam officinam sibi obsequentem, & egregia modestia compositam habuit. Siquid minùs ex artis disciplina, vel non satis sedulò à quoquam administraretur in opere, non iracundè peccãtem vltus, non conuicio, vt fit, appetiit negligentem operarium: sed iniicienda religione castigauit: Opus videlicet Magnæ Matri dicatum esse, in quod diligentiã fidemque quisquis non contulisset, graui scelere suum caput obstringeret. Quibus verbis identidem inculcandis facillime

cillimè impetrabat, vt quidquid operarum fabrilia inibi mereret stipendia, pro se quæque negotium suum strenuè accurarent. Pueri puellæque quàm alacriter, vel inuitis parentibus, se adiunxerant Catholico gregi, tam fortiter aduersùm machinas & vim suorum in cœpto perstiterunt, vt neque familia exacti, nec appetiti, conuulneratique saxis à suis fratribus, in Fide vmquam vacillarent. Posteriore anno exeunte, quà senio, quà laboribus fractus, migrauit è viuentium commercio Pater Antonius Haëck, annorum sexaginta quattuor, vnum & quadraginta Socius noster, ex Spiritalium Adiutorum Decuria, cui diuturna plaga grauiter oblisi lateris, inter audiendas assiduissimè confessiones, letalis fuit. Ei erat imis insitus medullis Diuini cultus amor, & intima cum Numine per continentem allocutionem consuetudo: vnde nascebatur eorum omnium quàm ardēs studium, quæ Deo grata esse vel nosset, vel coniiceret. Hominum abiectissimæ conditionis, quorū vel ab suo, vel ab alieno neglectu, salus plerumque periclitatur, nempe rerum salutarium supina ignoratione: peculiarem sibi delegerat institutionem, & curam in omnibus quàm sedulam; in huius suæ tutelæ causa commemoranda libenter prę-fatus: se curare videlicet ipsa Dei membra, ei quā coniunctissima, carissimáque, quorum ideo consuetudine delectaretur mirificè. Fœdis, & insanabilibus affectos morbis, ab contagionis metu ferè in solitudine desertos, humanoque destitutos subsidio, ipse suæ clientelæ proprios ducebat, ima

vrbis

vrbis regione abditos, præcipiti asperrimoque descensu, grandi licèt ætate, incommodaque valetudine, visebat sæpenumerò. Quibus laudibus & diutissimè, & quòd caput est, ad extremum vsque diem floruit, vt eius meritorum memor ciuitas, eius funus vniuersa sibi cohonestandum putaret. Patrum vnus, aliquot Missionibus, pænè septies millena hominum capita Confessionis Sacramento expiauit.

VALENCENENSE COLLEGIVM.

MATTHÆVS Accobt ętatis anno quinquagesimo tertio, suæ in Societatem adoptionis decimo septimo, ab ianuę domus religiosissimè obito ministerio facilem in cælos aditum sibi visus est patefecisse. Perillustri siquidem multipliciũ virtutum coronæ hanc gemmam scitè sapienterque illigauerat, qua cæteræ omnes connexæ tantò ampliùs ornarentur, vt insigniter pius erga Numen esset, cuius quàm accuratissimo cultui, ad venerandum pegma Sacrosanctæ Hostiæ tribueret quotidie, quidquid otioli supererat ab sollicita forium procuratione. Grauioris fraudis in Deum admissæ reus, ita cæteras omnes expiabat Confessione, vt hanc soleret obstinato silentio præterire, interim tamen, animum dilaniante conscientiæ carnificina, Beatæ Mariæ Hallensi vota faciebat, procul abse amoliendis exulceratæ mentis molestiis. Sed voti exsoluendi gratia cùm ad

Hal

Hallense templum adiret, occulta vi sensit prohiberi se aditu ædis, & agnouit illico sacrilegi hominis votũ præsentiãque integerrimæ Virgini fuisse inuisum: quare apud nostrum exhausta fœdi pectoris sentina, studuit redirein gratiã cũ Virgine Matre, ac verè rediit, & per eam cum filio. Batauorum, Zelandorum, Anglorumque bene magnus numerus nostra opera in Ecclesiæ, Sacrorumque communionem receptus est. Beati Seuerini, eiusque Socij, Martyrum, Sacra ossa, è Priscillæ cœmeterio eruta, & ad nos transmissa, incredibili ciuitatis, finitimique populi concursu ac religione, magnificentissimo triumphi apparatu, Atrebatensis Episcopus nostram in ædem inuexit. Eos Valencenensium ciuium perpetuis Tutelaribus Senatus adscripsit, nostrísque Patribus significauit sibi fore gratissimum, vt, bona ipsorum venia, veteri ciuitatis more, horum quoque Martyrum, cum cæteris Valencenarum Præsidibus, esset anniuersaria die transuectio. Secundùm hoc tempus ardebant piæ cuidam matronæ artus intolerandis podagræ doloribus, & iis tantillum leniendis Medicorum ars, pharmacorumque vis hebescebat: vouit igitur mulier festos sibi futuros, omni vita horum Martyrum, & Beati Ignatij Natales, continuoque, stupentibus inusitati euentus miraculo domesticis, è sella incolumis exsiliit. Ciuium animos strenuè fructuoseque curantibus Sociorũ aliis, alij peregrè sunt profecti, magno indigenarum compendio. Ventum est in lapicidinas subterraneas, conditione loci hominumque inibi degentium

gentium planè horrendas, vt Orci facies veriùs, quam humani moris contubernia victusque cerneretur: sic omnem humanitatem religionemque aboleuerat diuturna vitiorum consuetudo, & culturæ negligentia. Ideò enitendum fuit multa Catechismi frequentia, vt Christiani officij vehemens religio efferatis pridem animis primùm induceretur, ac deinde Sacrorum vsurpatio: quæ hominibus, operi ac lucro acriùs intentis, nisi eas in specus aliena cura inueheretur, ipsi numquam per se accerserent. Erectum eapropter in propinquo sacellum Dei Parenti; cultus quotidie Deo adhibendi scriptæ leges; indicta multa religionem Numinis, & rectam morum disciplinam violantibus; qua cura salubriter perfectum est, vti à ferino vitæ genere ad ciuilem Christianumque reuocarentur vilia nuper scelerum Dæmonumque mancipia. Virginis Matris elegantissima è Sichemensi quercu efficta figilla, variis ea regione templis, nostrorum hortatu, collocata, continuò celebrari cœpta sunt multiplici depulsorum morborum prodigio.

ATREBATENSE COLLEGIVM.

PAR quoque Martyrum, Beatum Florentium, & commilitonem ipsius, Generalis Præpositus Societatis ad nos Roma delegauit, quorum aduentu Atrebates omnes, luculentissimo impensæ lætitiæ, ac religionis argumento, effudere se in omne genus

genus sumtuosissimę simul & splendidissimę pompæ, vt intra extraque mœnia vrbis nihil, ad varietatem, elegantiam, magnificentiamque celeberrimi triumphi, posset desiderari. Heroïbus suis, sibique delatum honorem, tam incensis animis, tamque profusa sumtuum liberalitate, Deus iucundissimam suæ maiestati accidisse, procul etiam vrbe ipsa degentibus Martyribus, excitando vno alteroque prodigio, Atrebatibus compertissimũ esse voluit. Intra ipsas vrbis portas, confertissima turba, pio contingendi studio, sacræ transuectioni destinatum pilentum circumsidente, duodenûm annorum puer à proximè vrgentibus in rhedæ orbitam deiectus est, cuius rotæ renes, dorsum, & scapulas ipsius antè decurrêre, quàm adstantium clamore admonitus auriga incitatos equos inhibere potuit, quibus repressis quod dextrum pueri tempus vna rotarum iam inscenderat, eidem toto carpenti degrauante pondere insistebat. Atque quod vsu solet venire in rebus trepidis, vt impedita magis ipsimet implicent, qui nituntur expedire: de turba iubent alij rhedarum habenas adducere, alij remittere, cuiusmodi ad imperia pugnantia dum hæret anxius, pueruli malæ insistens rota eum obterebat. Sed demum interuenit animi plenus Sacerdos, qui omnibus connitens viribus, rotam & cisium molitus puerum præsentissimo exitio subduxit. Obuersa solo mala liuoris nonnihil, altera impressorum clauorum vestigia, corpus aduersum totum scarificatæ cutis purpuream lineam dumtaxat prætulere, incolumi cæterùm

terùm puero, vt meritò prodigiosi euentus exemplum vniuersi conclamarint. Alio quoque documento idem Beatorum par, se, maximè propitium, huius populi clientelam sumere prænunciauit, cùm imponenda rhedæ triumphali sacra sarcina, frequentissimus populus rei spectaculo defixus teneretur, in quem bene stipatum, magni modi quadratus lapis è proximæ domus fastigio periculosa ruina delapsus est, sine cuiusquam pernicie ac vulnere. Ex quo autem augustissima excepti cella iuge sibi apud nos domicilium delegerunt, arsere perpetuò votiui cerei ad ipsorum aram, & affigi donaria perseuerarunt, aperta symbola multis ægris impertitæ per eos sanitatis. Princeps matrona, recèns nupta, primarij apud Atrebates Præsidis filia, Medicis ab sua arte & spe destitutis sacro inuncta oleo, deficientibus iam omnibus sensibus, extremo conflictu cum morte luctabatur; & ad Martyres, nouos hospites, velut ad sacram ancoram, visum est confugere: quorum ex sacris ossibus puluis de iusculo cùm in semianimis os instillatus esset, mox receptis sensibus, iudicio, ac voce, stupente adstantium corona, Collegij nostri Rectorem, proximè nitentem genibus, cœpit affari. Ab eo igitur iussa postulare opem Beati Florentij eiusque comitis, vt ipse Rector, cæterique adsistentium pro ea tum postulabant, eorum sæpius appellato nomine confestim habere cæpit meliùs, postridieque diuturna insomnia liberatur, suaui eam complectente sopore. Cùm primùm ad aram Martyrum Sacerdos pro eius salute facere

instituit

instituit : inualescentibus exinde in momenta viribus, donec planè consanesceret.

IN annum quoque insequentem iidem Sancti beneficia sua in elientes ciues propagarunt, conclamato Curioni restituta valetudine, ac mulieri emortuam prolem effundere solitæ, felici deinceps partu impetrato. Duodecim annorum puellę ad gressum nixumque crura & pedes prorsus erant inutiles : cuius vterque parens, inter alia, nouemdialis precationis ad Beatorũ capsas voto se obstrinxere, quas preces quo die instituere filia niti suis plantis, altero progredi cœpit, tertio, ac semper deinceps, pedibus cruribusque valentissimis vsa est.

CAMERACENSE COLLEGIVM, *atque Namurcense.*

SOCIIS Cameracensibus cum ex ciuili, tum ex agresti opera, rusticanam plebem, numeroso agmine, frequenter in vrbe accipientibus, peramplos vtroque anno fructus rediit, quòd adducti sunt plerique vti hæresis exuuias, numquam repetituri, ponerent, hisque multò plures Christiani hominis officium, quod vel ignorarent, vel negligerent, vsu magis, quàm nomine profiterentur. Ciui cuidam decimum tertium iam diem obstructi renes seu calculo, seu alio vitio, post diros cruciatus, sæuissimæ mortis necessitatem attulerant, vt Medici decernerent duodecima pòst

hora eum superstitem non futurum. Ad vim mali tam importunam exigendam, quiddam reliquiarum Beati Patris nostri admotum tandem est, postque horam vnam, patefactis renum cauis, dolor sedatus est; & erupit geminus calculus mediocris modi, cuius emissione collocata deinceps in tuto sanitas videretur.

QVO vno argumento ad seditionẽ maximè concitari poterat Namurcensis ciuitas, eo vsi sunt aduersùm nos calumniatores, vt tantò acerbiorẽ nobis conflarent inuidiam. Vnum mensem vrbe iam aberat Collegij Rector, opportunè aduersariorum consilio, ad captandam ex absentia huiusmodi ansam calumniæ, quibus inde liberum fuit asserere, ipsum Bruxellis versari, suis artibus exprimentem à Principe ius amplissimum tributi Namurcensibus imponendi, ad magnificam Collegij nostri fabricam absoluendam. Simile vero commentum fiebat ex eo, quòd citaretur testis nescio quis, cuius in manus incurrisset illius tributariæ facultatis obsignatum diploma, in ipso Principis tabulario: atque Bruxellensis cuiusdam accederet auctoritas, quam super ea re scriptis ad Namurcẽsem familiarem litteris consignasset. Genere autem tributi, quod iactaretur, Namurcenses hoc omnium maximè offendebantur, quo scilicet indicendo, eorum vna libertas consultò peti, affligique videbatur. Belgicarum ciuitatum sola Namurcensis hoc iure vtitur, proprio sibi præcipuoque, vt ciuium quilibet vniuersæ familiæ ceruisiam domi de suo coquat, eiusque nomine genus vectiga

vectigalis nullum Principi dependat: qua videlicet prærogatiua libertatis Namurcenſes gaudent mirificè glorianturque, vt acerbiùs iis poſſit accidere nihil, quàm ſi ea parte quis vel minimum læſerit. Principio quidem in plebeiorum modò circulis iſte rumor iactabatur: qui, poſteà quàm inualuerat vehementiùs, primariis quoque ciuibus noſtra pridem cauſa cupientibus, occaſionem ſermonum præbuit, & cuiuſdam abalienationis materiam ſubminiſtrauit. Vt tamen nulla eſſe poteſt ad veritatis imitandam ſpeciem callidè adumbratæ calumniæ vis tanta, vt eam tempus non aliquando diſcutiat: ita huic, ignotis diſſeminatæ in vulgus nunciis, non fuit diuturna fides, quòd eius proferendæ in medium principes, nullo ſcilicet teſtimonio freti, criminationum ſuarum auctoritatem ſtudiosè defugerent. Prætor igitur, & populi optimates quique, omnibus veſtigiis harum accuſationum originem perſecuti, vbi nihil omnino compererant, plebem eſſe iuſſerunt ſine ſollicitudine: Patribus enim nihil vmquam rei eius in mentem veniſſe: quorum virorum teſtimonio cùm plebs acquieuiſſet, illa criminationis procella momento diſſipata eſt. Concionum in vrbe, ac in agris, ſed Catecheſeon in primis fructus toto priore anno longè vberrimi conſtiterũt. Poſterioris verò anni & plures expeditiones, & momenti maioris fuere, oppidanæ vicanæque, plebis ingenti gaudio, compendio neutiquam minore; vt pleriſque locis magiſtratus publicè noſtris ſuum aduentum & operam ampliſſimis ver-

bis gratularetur. Honestissimo loco natus adolescens amplissimum patrimonium, luxu & ganea, paucis mensibus, concoxerat, cui repentina penuria grauius acuebat amissarum opum desideriũ, & ardentiorem quærendarum sitim, vt ea cupiditate accensus ad magorum subsidia decurreret. Ab iis in tenebricosissimæ siluæ abdita detrusus, Plutoni ærariæ rei potentissimo sistitur, cuius hortatu facilè adducitur, vt Numen velit exsecrari, sed Beatam Virginem minimè omnium, tametsi nisi eam detestatus, venire non poterat ad omnium fortunarum felicitatem; quam Dæmon iis conditionibus deferebat. In tam facinoroso homine, ac vix expiabilis sceleris reo, deprehendit tamen Numinis benignitas, quod placeret: Matris Dei habitam esse ab impuro adolescente rationem, quæ vel ipsius Dei non esset habita: hocque argumento exorari se passa est infinita bonitas, vt resipiscenti condonaret maiestatis noxam, & eumdem ad pristinas rei familiaris copias eueheret.

DIONANTENSE COLLEGIVM.

CIVITATIS huius in Cælites egregia pietas, impensumque aduersùm nos studium, tametsi prodiderat se anteà luculentissimis sæpenumerò argumentis: quoniam tamen per hosce dies negotiũ eiusmodi obtigit, in quo quantũ vellent possentque seu Cælitum, seu nostra causa, quã facillimè esset ostensura: vbi primũ à nobis est eius rei facta significatio, & magistratus, & ciues vniuersi propensissimis animis, quod cuperemus ample

amplexi sunt, & prolixiùs etiam perfecerunt, quàm ausi essemus vel postulare, vel cupere. Templo nostro idoneis Tutelaribus instruendo ad nos Roma summittebantur Beatæ Polychroniæ Virginis Martyris, & Sociæ ipsius, veneranda corpora, iamque haud procul Dionanto abesant: quibus triumphantium honore in vrbem, ædemque nostram, inducendis, Dionantensis populus, quidquid ipsi opum, animi, virium, industriæque potuit suppetere, non magnificè modò, sed regificè quoque, ac summa quidam alacritate contribuit. Cuiusmodi liberalitate munificentissima vti nostram Familiam sibi deuinxit in perpetuum, ita speramus Sacrarum Virginum ciuitati suæ demeritos eam esse beneuolentiam, quæ tutissimum ipsi præsidium, æternamque sit conciliatura felicitatem.

Elector Ferdinandus, anno altero, cùm vnum modò diem esset futurus Dionanti, eumque grauibus operosum negotiis, asseruit tamen nobis ab se negari non posse, quò minùs principem ædificio nostro fundando lapidem poneret. Qui nostra causa nihil cuperent, eumque sibi occupare studerent, ambitioso agmine, supplicantium instar, prodituro præstolabantur ad fores arcis, si possent aliò auersuri: sed is neminem salutantium moratus, ad nos per mediam rogantium aciem citus & rectà cõtẽdit. Vbi adfuit, perhumaniter singulis porrecta manu, ita est prolocutus: Multorũ se precibus, ac ferè manib. distinere conãtibus, aduolasse tamẽ, quò se animi voluntas cupidissimũ impellereț:

pelleret: moxque, posito galero & chirothecis, inscriptum suo nomine lapidē imis fundamentis, operi bene precatus, collocauit.

HEDINENSE, AC ARIENSE Collegia.

HEDINVM oppidum est, situ, aggeribus, militari præsidio, munitissimum, in Atrebatum, septemtrionalisque Franciæ, seu Picardiæ, finibus, nostra memoria, id est, superioris sæculi anno quinquagesimo octauo & nono conditum, vno fermè lapide ab eo loco, vbi eiusdem nominis oppidum per eos dies deletum fuerat. Hedinum vetus, Teroannam Morinorum, & aliquot alias arces bene firmas, tormentis quassatas, vi ceperat, funditusque deleuerat Emmanuel Philibertus, Dux Allobrogum, cùm Caroli Quinti auspiciis, suo autem ductu, bellum in ea regione administraret: eodemque tempore, propulsandis hostibus Atrebatum ora, idoneo loco, amplum castellum, munitionibus validissimum, cùm exædificasset, Hedinumfert de veteris arcis nomine, suoque gentilitio symbolo, appellauit. Eò cæli solique bonitas, habitationisque tuta conditio, paucis mensibus, frequentissimos incolas conuocauit, vt pro modicis pomœrij finibus, in celeberrimum oppidum euaderet. Huius præsidij ciues ingenti Societatis desiderio tenebantur, sed in præsentia facultates eis non suppetebant, vnde nobis parare-

rent

rent & annonam perpetuam, & domicilium, fuit tamen eorum in petendo tam incensus ardor, tantaque importunitas, vt pro eis copiolis, quæ ipsis tùm essent ad manum, trium scholarum magistri, & Sacerdotes aliquot, concederentur sub sacri Paschæ sollemnia, quibus duæ præterea sunt adiunctæ proximis Remigialibus. Ex trecentis gymnasij auditoribus mox aliquot Sodalitia coaluere, ac rectam morum, pietatisque disciplinam, auidis hausere mentibus. Statis quidem habendis conciombus, ciuium præsidiariorumque militum animi ad Christianum officium incitati sunt vehementer: omnium tamen fuit vna sententia, & procerum oppidanorum in primis, familiarem Catechistæ institutionem cuicumque auditori cęteris omnibus præceptionibus esse longè salubriorem: ad eam itaque accurrunt toto ex oppido vniuersi ordines quàm cupidissimè, fatenturque plerique animi anxietatibus molestissimis ea se audiẽda esse absolutos. Pauculis excursionibus refrenata circumsidentium nos Hæreticorum audacia, & ad ius suum, munusque tuendum, egregiè animati Catholici, ac inter eos totis agris rusticani, quorũ numerosi greges in vrbem confluere cœperũt, Christiana munia religiosè ac frequẽter obituri. Nobilis matrona, in agro degens, propinquis nostrorũ freta subsidiis, Caluinianorum conuenticulum ausa est suis ædibus exigere, vbi olim suus vir Hæreticus sedem eis destinarat: ad quam ægrotam Sacerdos noster, procul ex pagana æde, Diuinam Hostiam, spectantibus, & frendentibus Hæ-

reticis, attulit. Militaribus autem manipulis apud nos Catechetica opera commodè nauari non potest, quòd eorum ferè assiduam præsentiam frequentes aggerum portarumque stationes exigunt: quamobrem festis diebus ad ipsos adimus centuriatim coactos ipsis in excubiis, & eo quidem cũ eorũ emolumẽto, quod se prodit posteà, cùm cateruatim ad Sacramenta participanda confluunt.

SECVNDO autem anno, vt par fuit, de ignorantiæ, vitiorumque compilatis castris copiosiores manubias tulimus. Et quidẽ triduo ante Cineralia, promulgatis moris nostri sacris Indulgentiis, præter Hedinenses oppidanos, præsidiumque vniuersum, exciuimus omnibus ex agris integros & frequentes pagos cum suis Curionibus, supplicantium instructa acie accurrentes, vt Sacerdotum, quod erat in vrbe, ac ex agro confluxerat, id tamen satis non fuerit, pro numero confitentium. Vrbanis Sacerdotibus prodigiosum videbatur, posse nostros tam diuturno molestoque labori audiendorum pœnitentium sufficere, quo per eos dies quererentur se fermè obrutos. Oenopolæ verò diram perniciem suis tabernis metuebant, si pergerent istos Sacrorum conuentus frequentiùs agere, quibus nec peregrinus nec ciuis suas cauponas vel aspectu dignaretur. Non piguit octogenarium Francum, cum vxore anu, excitatos fama Pontificiæ Indulgentiæ, itinere pænè diei vnius ad nos contendere tanto fruituros beneficio: quibus, ferò licèt aduentantibus, abunde tamen factum est satis, quam in rem & ipsi strenuè

viciſſim

viciſſim adlaborarunt. Studio perdiſcendæ Catecheſis, rationiſque de ipſa reddendæ apud nos, publicis in conuentibus, ardent ruſticani, vt denſis agminibus hoc nomine in vrbem adeant, rectáque in ſtadium ipſum huius concertationis egregiè comparati conuolent. De hoc grege vnus audierat, ex noſtris per Catechiſmi explicationem, de Cerei Agni dotibus, auditorumque memor, ſibi detraxit ex collo, quem pretium ſuæ induſtriæ acceperat, magnaque fide coniecit in latiſſimè ſparſum incendium, quo ampliſſima granaria frumento refertiſſima tantumnon abſumebantur, prævalido vento flammas eò impellente: idemque cùm feciſſet alius ruſticus, mox ſublimis elata vis flammarum ſeſe à proximis tectis auertit, ac tantiſper impetum ſuſtinuit, dum frumenta omnia exportarentur. Mulier annos pleroſque fœdam noxam in ſacra Confeſſione præterierat, rata eius labis memoriam, ſenſumque, diuturnitate ſilentij tandem obliteratum iri. Sed quò tempore procederet longiùs, hoc acerbiùs eius animum conſcientia laniabat: vt deſperatione ſanitatis decerneret Confeſſionis vſu penitùs abſtinere. In hac ſententia obfirmatæ, feſtoque die ſub auroram in lectica quieſcenti, adoleſcens adſtitit, qui laqueo in eius vlnas inferto, ſe inuitam pertracturum ad præſtolantes in publico matronas aſſereret, niſi ſponte ipſa ſequeretur: habitura nimirùm religioſas feminas ſuæ ſalutis duces. Ea vis fuit opportuni admonitoris, vt, qui ad manum fuit, vulgari amictu raptim aſſumto, ipſa prodiret, &, ducibus

cibus matronis noſtram ingreſſa ædem, veteres animi ruinas quàm digentiſſimè ſarciret. Patri Aegidio VVrincre, Inſulano, ætatis primo & triceſimo anno Hedini parentauimus, cùm eum maligna lues febris, occulta tabe viſcera depaſcentis, nono die confeciſſet. Ei religioſiſſimè apud nos traducti octo anni, cum apud domeſticos, tum apud externos caritatem omnium conciliarant, atque venerationem. Hoc ſe ſtudium tota in ciuitate prodidit, cùm renunciato eius pio deceſſu, iacturam noſtram ſibi communem querebantur officiosè, poſteáque ipſius funus frequentiſſimi cohoneſtabant.

ARIAM, in Atrebatenſis agri vrbem, Francię ad Auſtros finitimam, acciti ſumus ineunte huius ſæculi anno decimo tertio, atque in ternis modò ſcholis, exeunte Quadrageſima, docere inſtituimus. Nobiſcum inductæ ſunt in oppidum ſtatæ Dominicis diebus per totum annum conciones, quarum vſus anteà non fuerat, moxque inuitati ſumus ad ſacri Aduentus, maioriſque Ieiunij concionum ſollemne munus, & quidem ad nos confluente bene frequenti, honoratiſſimoque auditore. Hæreticum virus hauſerat mulier in Batauis multos annos verſata, vnde cùm reuerteretur, canis rabidi peſtifero morſu fauciata grauiter, ad Beati Huberti, proximè Ariam, adibat remedium ſuo malo petitura, vt eſt mos indigenarum huius prouinciaæ. Sed, Ariæ cùm eſſet, audiuit de Catholicis, nihil opis à Beato Huberto, cæteriſque Cælitibus, Hæreticos impetrare: quare mox venit in

nit in noſtram ædem, palam, & ex ſollemni formula, exſecratur hæreſin, ſacra Confeſſione accuratè animum expiat, quo perfuncta munere, illati vulneris diram luem diſcuſſam eſſe illico deprehendit.

TORNACENSE TIROCINIVM.

PATREM Tironis è Francia Tornacum nuper fuga elapſi, nobis tandem conciliauit aduerſa valetudo, cùm eius violentia ſe ad mortem appeti, non inanibus coniecturis, credidiſſet. Vnum iam annum, hocque ampliùs, Rothomagenſis, Pariſienſiſque Curiæ decretis nos vexauerat, ſed, ex ſuo ingenio, non ſatis grauiter; quare auctoritatem Reginæ per Aulicos proceres moliebatur, vt, ea ſuam in cauſam inflexa, citiùs validiúſque negotium conficeret. Cui machinæ in nos intendendæ impenſiùs defixo grauis morbus derepentè inſedit, cuius inopinata impreſſione territus animum planè ab ſuis conatibus, conſilioque, auocauit. Eum Rothomagi decumbentem noſter quidam viſere cupiit, eius filij olim præceptor, vt infenſiſſimum ſibi placaret, de cuius cupiditate vt inaudierat, id verò ſignificauit fore ſibi iucundiſſimum: adeuntique, manantibus vbertim lacrymis, ſuum factum excuſauit diligentiſſimè, cauſatus vim paterni animi aduersùm liberos, ſed in primis amicorum importuna cõſilia ſtudiaque, quibus ſe paſſus eſſet inconſideratiùs abripi. Vix ſe

domum

domum receperat noſter, poſt adhibita ægro idonea fomenta conſolationis, cùm ab eodem reuocatur, oraturque, vti ne grauetur vltimum, maximeque amicum officium morienti tribuere: ſe videlicet doceat Chriſtianæ vitæ rectam, ſalutaremque clauſulam, qua ſtudiosè adhibenda ſuperioris ætatis omnes negligentiæ ſuppleantur: maximè verò ſibi noxas à puero per Confeſſionem recognoſcenti aures beneuolè præbeat. Qua parte Chriſtiani hominis religiosè defunctus cùm eſſet, extremæ voluntatis tabulas deſcripſit, quarum princeps caput fuit, quo peteret ſepulturam ſibi concedi apud noſtram Rothomagenſem Probationis Domum: tam ſcilicet acerbiùs alienati paullò antè animi erat immutata ratio. Simõ du Foreſt Nouitius, editis per vtriuſque valetudinis, firmę, affectæque, religioſarum virtutum luculentis facinoribus, migrauit è viuis, quo die optauit magis, quàm quo aut medicus credidit, aut ipſe ſperare potuit. Sacris Magnæ Matris diebus inſignia diuinitus ei eciderant beneficia, & illud nominatim, quòd Salutatæ Virginis feſto venerat in Societatis Tirocinium, quo itidem die, ſi Superis videretur, cuperet dimitti è corporis ergaſtulo. Cùm igitur Sacramentis ſemel iterumque procuratus, vt affectis erat viribus, in momenta exſpectaretur eius obitus, orabat ſibi prorogari diem octauum, Virginis è cælo Salutationi ſacrum, vt eadem Dei Mater ineunti Cælitum choros dux fieret, quæ fuerat Societatem adeunti. Ratum fuit eius votum cælorum Reginæ ac Deo, nam eo ipſo die

so die tranquillissimè obiit, cùm eius vires ita medico probarentur, vt perstaturas in aliquot præterea dies crederet.

PATRIS Oliuerij Manaræi, viri planè magni, exeunte anno posteriore, funus mœrentes duximus, primo & nonagesimo anno quàm natus erat, sexagesimo quarto quàm Societati se addixerat, quæ ipsum ad Vota quattuor admiserat anno sui aduentus decimo: fractum autem ingentibus laboribus senem efferæ vires toto quadriennio lecticæ affixerunt, vnde suborta cruris gangrena languentem paucis diebus exstinxit. Quo de homine vbi plurima summaque dixeris, fateare tamen necesse est, imparem tuam dictionem eius æquandis meritis, quem Deus vnum ex Societatis Heroïbus esse voluerit: cui tamen vt videaris adscripsisse, quod omnium instar esse possit, elogium, satis erit asserere: qualem, quantumque inter Socios futurum Beatus Pater Noster præsagierit, talem eum, ac tantum ab eodem paucis pòst annis agnitum, probatumque. Videlicet is fuit omnino nostri conditor Ordinis, qui quos homines suo Instituto idoneos animo esset complexus, ac ipse reipsa exprimeret, vnus posset sua institutione conformare, sed exemplo in primis absolutos numeris omnibus fingere: cuiusmodi hunc, quo de agimus, figuratum expressumque sua ex officina emisit, aliis ad eamdem perfectæ disciplinæ normam expoliendis futurum olim cis Alpes archetypum. Ob quas igitur præcellentium virtutum dotes Beatus Pater eum posteris

steris magistrum discentibus, imitantibus exemplum præscribebat, ob easdem quoque Deo insigniter carus, summè familiaris, multarum magnarumque rerum, luculento Diuini erga se amoris argumento, factus erat conscius, vt, quod pertinet ad Socios, amicosve, priuatim aut publicè, nihil futurorum euentuum ipsum lateret, postquàm se orationi ea causa dederat: nullus eum casus perturbaret, quòd huiusmodi esse consilium Dei nouerat. Laureti cùm Sociorum Familiæ præesset, horæ quadrante ante prandium, Promus eum admonet, panes perexiguos quinque dumtaxat in penu sibi reliquos esse, quos sexaginta & quinque accubituris apponat: eam ob rem se non audere, nisi secus ipse iubeat, dato signo vocare Socios in cœnaculum: cui, domesticas angustias trepidè nuncianti, nihil aliud responsi dedit, quâ vt domesticæ partitionis horas ex more seruaret, de cætero nequaquam sollicitus. Suo igitur tempore, prodeunt omnes in triclinium, ignari penariæ tenuitatis, & mensam ineuntibus adfuerunt in singulorum quadris vnius modi panes integri, quos mortalium nemo in mensam intulisset, vt nullus dubitare potuerit, quin nota Rectoris virtus, summaque apud Deum gratia, hoc beneficij suę familiæ, consueta vi precum, momento impetrasset. Ex eodem Collegio emisit aliquando suum Oeconomum ad facienda cum creditoribus nomina, vestemque mutua pecunia procul emendam, Recinetensibus nundinis, cùm notissima scilicet omnibus nostra inopia omnem Oeconomo spem

fidei

fidei creditique apud homines copiosos adimeret. Eum tamen iubet Pater, certus Diuinæ Prouidentiæ, plenum spei administrare negotium eorum hominum, qui se totos Diuinæ curę permisissent: quo dicto non tam animauit Procuratorem, quàm perfecit, vt is quantum æris opus esset, ab obuio creditore mutuum facillimè obtineret. Vix autem Oeconomus vestiaria ex annona redierat, cùm Neapolitanus quidam, Societatis candidatus, inter obeundam peregrinationem Lauretanam, Patri Oliuerio, de Numine omnia bene speranti, aureas Hispanienses Duellas ferè trecentas in manum liberaliter coniicit, vnde creditori mutuum repræsentaretur, & domus angustiæ multiplices opportunissimè laxarentur. Fuit & illud, erga Patrem Eleutherium Pontanum, cùm in Tirocinio adhuc ageret, facinus hominis futurorum præscij, & apud Deum longè gratiosissimi, quòd imminentes ipsi acerbissimas animi molestias disertè prænunciauit, &, cùm eis obrutus, adigeretur ad desperationem, adhibito breuis, sed incensæ, precationis officio, in tricenos reliquæ vitæ annos, est ipsi promeritus à Deo quàm maximè liquidam mentis tranquillitatem. Cuius calamitatis non priùs se deprecatorem professus est, quàm grauissimè laborantem docuisset, per eiusmodi luctarum acerbitates, breuiore via perueniri, secundissimo Numine, ad illustrium virtutum ampliss ima compendia, quarum sublimi fastigio solerent procul abesse, qui huius dimicationis asperitate terrerentur. Animi videlicet sui Heroica illa

illa magnitudine, cuius esset, summa facere, maximaque pati, cæterorum animos, viresque metiebatur: aut certè quos minùs valentes cernebat, iis quacumque ratione poterat, ad excelsissima quæque pro Deo audenda, vires addebat, & alacritatem.

***

PROVIN

PROVINCIA POLONIA.

SOCIETAS, latissimis huius Prouinciæ cõprehensa finibus, in solẽ eduxit, vel in vmbra exercuit operas, anno priore quadragenas denas, posteriore plures illis quinas vicenas; quarum Sacerdotes priùs centeni septuageni terni; pòst centeni octogeni septeni; Sacris nondum initiati nunc centeni triceni septeni, nunc his plures septeni; Adiutores rei domesticæ primùm centeni, deinde supra hos quaterni; Nouenos singulis annis amisimus; tricenos anno altero, altero tricenos septenos accepimus; vniuersum porrò numerum perpetuis domiciliis quattuordecim, non perpetuis tribus distributum.

CRACOVIENSIS PROFESSORVM Domus.

STANISLAVS VVoiciechonich septimum annum suæ apud nos nauiter decursæ militiæ,

singulari exemplo diuturnæ patientiæ, religosissimaque morte terminauit. Tribus ab Ecclesiæ capite fœda secessione diuulsis; vni ac triginta dogmatis nouitate ab ipso Christo dissentientibus, eæ sunt intentatæ concionum, colloquiorumque machinæ, quibus victi, deinde volentes ad officium redirent. Horum vnus, septuagenarius ciuis, olim inter primos hæresis venenum in hac vrbe cupidiùs hauserat, quem, quò propiorem tumulo, eò sibi cura impensiore studebat asserere noui Euangelij artifex Acherontius, ipsiusque satellites Ministri: sed potentior veritas, dicentis Concionatoris ardenti sermone vibrata, obstinatæ mentis duritiam perrupit, fraudulenterque obnitentium Prædicantium calliditatem dissipauit. Non modò enim adductus est, vt, id ætatis, & prudentiæ vir, in tam aperta re fateretur se lapsum esse: sed vt, in principe quoque vrbis templo, frequentissima ciuium corona, suum errorem agnosceret, cumque indignatione detestaretur, vniuerso plaudente populo. Ad Slauos in fines Vngariæ traiecimus, accersitu Hommonensis Dynastæ, Georgij Drughettij, aduentitiam eius ditionem repurgaturi ab hæreseon funesto lolio, quod annis aliquot disseminandum curarat eius regionis Satrapa, cuius occasu res Catholicorum facta est longè melior, successoris pietate ac diligentia. Duo Patrum eo cùm venissent, hoc eis amplior campus, & operosior offerebatur, quòd nulli Sacerdotes operę adiutores, aut ex Cracouia, pestifero halitu afflata, aut ex vniuersa Vngaria,

bellis

bellis deflagrante, deduci poterant, quibus posteà Parochis populus vteretur. Id tamen feliciter effectum, vt nullius Hæretici Ministri vox toto eo tractu deinceps audiri posset, vno ex iis, iam septuagenario, ad bene sentientium partes transducto, cæteris silentio perpetuo, & Ministerij sui gestione, multatis. Plebs minimè mala, reuocatis sedulò, & cum splendore simul, ab longiore interuallo sacris cærimoniis, cùm in antiquæ pietatis possessionem vsumque denuo mitti se animaduerteret, exsiliebat videlicet gaudio, & grauem earum iacturam lacrymis itidem prosequebatur. Momentum verò habuit non leue, ad suscitandum in populo amorem & venerationem Catholici ritus tantò vehementiorem, funus matronæ frequenti ac religiosa pompa procuratum, habitaque insuper concio de Catholica sepultura, de prærogatiuis morientium in Ecclesia, deque infelici obitu à Fide aberrantium, cuius auditione plebs suum sibi reditum ad Catholica Sacra mirificè gratulata est. Intereà casus incidit, quo Hæreticorum ferocia, & in Catholicam plebeculã petulanter grassandi libido, validè contunderetur, erigerentur Catholicorum animi ad suum ius liberiùs fidentiusque persequendum. Ex Euangelicæ factionis primoribus vnus, vt potens opibus, sic insolentia, superbiaque facilè princeps, plebeium Catholicum, tenuis fortunæ hominem, verberibus mulcarat atrociter, suoque scelere ita gaudebat, vt eius noxæ citatus ad Capitales Quæstores reus, non modò crimen non inficiaretur,

sed gloriabundus etiam apud considentes iudices suum factum venditaret. Sed decreto consilij eius humeris liberaliter incussum fustuarium, ad ipsas Curiæ valuas, tam proiectam, ostentandæ iniuriæ ab se illatæ, compressit in homine contumaciſſimo alacritatem, &, opportunè inhibita eius gregalium petulantia, Catholicis multam libertatem, quietemque asseruit. Ruthenici diuortij Popas quinquagenos, (sunt eius gentis Sacerdotes) Ecclesiæ summo capiti volentes adiunximus, & suo Vladicæ, hoc est Episcopo, fecimus in posterum obsequentiores, cuius primum id documentum fuit, quod publicè operanti Sacris, in cætero canentium choro, ipsi quoque canentes adstiterunt. Iis porro, quòd, extra ædem sacram, nullo vestis, aut tonsuræ discrimine internoscebantur à reliquo plebis vulgo, persuasum est, vt Clericis idoneo amictu, tonsuque vterentur, qui eos secerneret à plebeiis, & ab quotidianis contumeliis, iniuriisque vindicaret: quo nomine honorificas immunitatum prærogatiuas ipsis optimus huius oræ Dynastes impertiit.

Secundus annus Schismaticos binos, quindenos Hæreticos salubriora sapere ac profiteri docuit. Sodalium quidam, captato leui offensionis erga nos argumento, decem & octo menses pio sociorum conuentu & exercitationibus abstinuit, intereáque, coactis variarum criminationum in Societatem vndequaque centonibus, & adhibita in calumniandi societatem studiumque maleuolorum manu, nobis maledicendi finem faciebat nullum.

lum : maledictorumque suos commentarios, adscripto nomine, idemtidem ad nos per contumeliam summittebat. Vna nostris visa est suæ conditionis, & hominis ingenio congruens respondendi ratio, nihil procaciſſimo conuiciatori respondere : sed, tacentibus non sibi conscis, Diuina non siluit vltio ; inopinatus enim morbus, grauisque, iniuriosum hominem deiicit, cui noxam pœnamque dissimulanti acerbior plaga mox ingruit, quæ vel nolentem adigeret fateri, suo sibi merito inflictam Numinis manum vindicem. Quāobrem Sacerdoti nostro, qui Sodalibus præsideret, aduocato, palam omnibus enunciat, quantum sibi mali, & quā grauibus, quamque frequentibus suis culpis accidisset : sibi enim, sæpenumero noua crimina in nos comminiscenti, admonitorem, vltoremque Deum perpetuò adstitisse, qui, tentata variis modis valetudine, à flagitio, quoties peccaret, voluisset abducere : se itaque qui vltro debuisset, Diuino iussu coactum, omni iam criminatione absistere.

CRACOVIENSE TIROCINIVM.

SECEDENDVM nobis fuit, vel cum familiaris rei non exiguo incommodo, vti vrbanam luem rusticana excursione declinaremus, vnde in agrestem multitudinem, Christiani officij maximè rudem, superstitionum præstigiis perniciosè implicatam, Hæreticorumque assidua consuetudine, ac fraude, in plerisque Fidei capitibus la-

bantem, deriuata sunt admodum opportuna subsidia. Multiplici tamen sollertia, nec dispari constantia, certandum fuit cum populo, vel sua sponte minùs docili, vel Ministrorum artibus à nobis abalienato, vt vltro gratisque salubris sermonis commoda inuehentibus se attentum præberet. Posteà verò quàm & Veterani & Tirones eam inurbanam rusticitatem multa patientia vicerant, & demulserant humanitate, non modò non captabant siluarum latebras, quod factitarant principio, sed aduenientibus Sociis in pagos & vicos suos officiosè prodibant obuiã, inque sacras ædes & priuatas domos deducebant amicissimè. Cecidit & illud perbellè, ad eiusmodi negotium tantò fructuosius promouendum, vt agrestium Satrapiarum Dominis, tametsi Hæreticis plerũque, parũ iniquis vteremur tota istiusmodi expeditione, qũibus procurationẽ nostrã vel tacitè prebãtibus, vel dissimulãtibus, paganos, eorum clientes, longè obsequentiores haberemus, &, in salutis causa, rei suæ multò meliùs gerentes. Non sit procliue scribendo persequi, quàm densas inscitiæ nebulas, quàm crassam, fœdamque superstitionum illuuiẽ detergendam præbuerit nobis rusticana multitudo, præter insitam ingenij duritiem, multos iam annos idoneis rerum sacrarum magistris destituta. Quod vsuvenire solet vbiuis gentium, pueritiam simulac Fidei rudimentis sedulò imbueramus, eadem, veluti magisterij vicaria subroganda, feliciter vsi sumus, ad parentum auorumque, ac cæteræ familiæ ignorantiam expugnandam: quòd tenella

nella ætas, quæ ſemel animo combiberat, ea puerili more domi, quodam genere intercalaris næniæ, ita interdiu noctuque canendo frequentabat, vt toties audita domeſticorum, etiam aliud agentium, memoriæ penitùs adhæreſcerent. Porrò, in multa', diuturnaque aduersùm Hæreticos opera, id dumtaxat in præſentia ſumus aſſecuti, vt Caluinianos duos à perfidia vindicaremus: cæterorũ animis ij ſtimuli ſunt ſæpenumero iniecti, vnde olim exſpectari poſſit veterum errorum pœnitudo.

POSTERIORE anno adoleſcens, Inſtituti noſtri cupidiſſimus, paternarum aurium duritiem inclementiamque ſæpenumerò expertus, quæ nullam eius rei mentionem planè admitterent, vbi parentis animus tempore obſequioque nihil manſuefiebat, eius miſſionem non moratus, parato ad conflictum animo, ſi res poſtularet, contendit in noſtrum Tirocinium. Eò haud ita multò pòſt venit pater, filium, quacumque ratione volentem aut nolentem abducturus: & reuera, vt filius venerat in eius conſpectum, valida iniecta manu, eum conatus eſt ſubducere: ſed obnitente, qui prehendebatur, conſilium alio conuertit. Multa primùm diſſeruit, noſtris audientibus, vt filio diſceſſionem perſuaderet, quem vt nihil commouebat, ſine arbitris ſibi compellandum cenſuit, ratus ſuas petitiones apud ſolitarium validiores futuras. Bona igitur Præſidum venia Tiro cum patre ſecedit, qua in ſolitudine, prolis amore impotens ſui homo, vbi nullum blanditiarum genus

cedebat ex sententia, descendit ad infima quæque ac parente indignissima, vt etiam ad nati pedes pronus & supplex aduolueretur, suam miseriam fœdis lacrymis, ac muliebri eiulatione contestatus, & omni humana infelicitate acerbiorem calamitatem, nisi filius ad commiserationis studium aliquod sibi pateretur animum emolliri. Vim paternæ caritatis in liberos ex potentissimo illo naturæ ductu ęstimabat quidem suis momentis adolescens, parentisque indignum factum excusabat eo nomine: quòd tamen eo facinore formidolosissimæ tegebantur insidiæ, obdurauit mentem eò magis, vt omnino ad postulata patris nihil inflecteretur; quod eius decretum vbi aduertit parens, à precibus ad inclementiam conuersus, desubitò gladium stringit, cōstantiam filij tetro parricidio multaturus, nisi è propinquo nostri Patres accurrissent. Postero die ad instaurandum certamen cùm rediisset homo iracundus, sui copiam, tam iniquis conditionibus vt faceret, Tiro iustum non censebat, nec æquum videbatur eius Præsidibus, vti ad id compelleretur imperio, qui suæ virtutis luculentum alioquin experimentum præbuisset: ille igitur cum bona pace dimissus abiit, cui meliorem mentem natus non cessat precibus, voluntariisque flagellis, è cælo postulare.

POS

POSNANIENSE COLLEGIVM.

RERVM caducarum graues iacturas cælestium opum tanto vberiore compendio, priore huius biennij parte, fenerauimus. Periit nobis, sibi sospes esse instituit, Pater Stanislaus Grodiicius, singulare Societatis ornamentum in tota Polonia, ex quo inter mortales agebat, anno septuagesimo & altero, inter Socios tertio & quadragesimo. Is Romæ Theologicis apud nos instituebatur, illiusque stadij attigerat calcem, adhuc incertus quod esset genus vitæ sortiturus, cùm Beato Kotstkæ, ipsius populari, felix obtigit obitus, cuius ipse funus officiosè piéque comitatus, seriò secum de reliquæ vitæ statu consilium iniit, subductisque rationibus omnibus, animum ad Societatem hanc, seque ipsum totum studiosè appulit, assumta iussu Præsidum Theologici Doctoris laurea. Tirocinij palæstram iis eximiarum virtutum gradibus decurrit, quæ illum ad opinionem proueherent multæ olim sanctitatis, quo nomine, Pater Claudius Aquauiua, eorumdem tum rudimentorum commilito, eum singulari beneuolentia est complexus, ac in magnis viris semper habuit. Eius autem reditus Roma in patriam incidit in calamitosissima Lithuaniæ tempora, cùm laxissimæ prouinciæ, ac Religionis olim florentis laudibus, Caluiniani, Lutheranique incendij funestissima labe, omnis ora miserè deflagraret. Vt nouarum rerum

da esse solet experientia, rudibus facilè imposuerant Hæretici, delinitis præsertim licentioris vitæ illecebra, quam Erebo missi, Epicurea ex disciplina, Euangelij specie, propinabant sycophantæ, vt numerosos confestim sectariorum greges ex Ecclesiæ castris abducerent. Vbi verò Patris Stanislai singularis eloquentia, eximia eruditio, & vtrisque clarior potentiorque vitæ probitas, pro auito Romanæ Ecclesiæ tuendo ritu, acre ex aduerso certamen concionum instituit, & Lithuanos popularis sui luculenta vehemensque aduertit denunciatio, quæ admonebat, ruere vniuersos in certissimum exitium, tùm quasi frenis iniectis, plurimorum est inhibita curiositas, cupiditasque noui ritus cognoscendi experiendique, atque ad Patrem audiendum repentina facta est animorum conuersio. Non difficile fuit homini apprimè docto conuellere fundamenta impiorum dogmatum, & ea dicendo scribendoque Lithuanis vt exsecranda, sic deridenda quoque proponere, quorum apertè reuincenda falsitate, ac exagitandis ineptiis, est feliciſſimè consecutus, vt Lithuaniæ gentis copiosas multitudines, sed illustrium in primis virorum bene amplas decurias, ad Catholicæ sententiæ studium reuocaret, ea popularium gratulatione, vt vulgò totius Lithuaniæ audiret Apostolus. Vilnensi nostræ Academiæ cóplures annos Theologicas quæstiones dum interpretatur, magno ingenij, eruditionisque præconio, quam concionibus non mediocriter stabiliuerat Catholicam Fidem, eamdem, luculentis

com

commentariis, pro re nata diuulgandis, magnopere affirmauit, & eius profitendæ, ac retinendæ cõstantiùs, alacritatẽ multis indigenis attulit. Octo eius exstant cõcionũ volumina, quibus ingeniosissimæ simul & religiosissimę se prodit mẽtis inusitata industria, pietas, eruditio, & erga suos caritas, in Christianorum morum asserenda disciplina, & integritate Fidei vindicanda, aduersùm Caluinianæ Lutheranæque vesaniæ perduelles. Nam qui se incomparabili sedulitate diuinis muneribus excipiendis compararet, proque modo capacissimi pectoris, affusam Diuinæ auræ copiã iugiter hauriret, non potuit non abundare omnium rerũ penu apparatissimo, quẽ, in Christi causa, pro veritate, ac popularium salute assiduè propugnantem, deceret. Qui Sacerdotalis prærogatiuæ inexplicabile beneficium, in participanda quotidie Sacrosancta Hostia, exque huius beneficij magnitudine, numquam satis diligenter expensum, Sacerdotis officium suis momentis æstimaret, interpretareturque, vbi religiosissimè Sacris fuerat operatus, homo negotiosissimus, numquam habendis agẽdisque gratiis loco excedebat, quin horã solidã in genua pronus explesset. Vnde cùm exsurgeret, merum pietatis ignem verbis animisque spirabat. Studium summæ demissionis in eo perpetuum licuit obseruari, ac in duobus quidem nominatim, quòd domi eius erat omnis ferè consuetudo cum Fratribus Adiutoribus, neque vmquam destitit multavi precũ & lacrymarum Præsides vrgere, vt ne ipse aliis præesset, aut præsidendi prouincia,

uincia, siquando esset iniuncta, liberaretur. Contumelias & iniurias, in Christi maximè tuenda causa, quàm auidè appeteret, exciperetque alacriter, vel vno documento, eoque singulari, procliue sit ostendere. Publica vrbis via ei transeunti Hæreticus puer, siue ab insito petulantiæ studio, siue ab odio Catholici ritus, & notæ virtutis in homine, os ei fœdissimè consputauit, sed tam æquo animo, placidoque vultu cõtumelioſum ludibrium accipienti, quàm tenellus pusio impressum à matre suauium. Non perinde tamen accidit ad oculos Catholicæ matronę tam indignum facinus, quæ sancta æstuans iracundia, pro sceleris grauitate vltum ibat importunam pueri procacitatem: quod dum exsequi contendit ardentiùs, seditionem in vicinia pæne concitat, accensis contra eam, adeoque ipsum ius, aduersarum partium studiis. Bonus verò Pater, cuius vnius agebatur causa, cum pia muliere supplex agit, vti honesto studio susceptam sui honoris defensionem, honestiore contrà Diuini ac sui etiam honoris ratione deponat: Nam si honoris causa huiusmodi ęstimanda sit, nihil sibi honorificentius, nihil suæ professioni congruentius posse obtingere, quàm vt Christi nomine contumeliis obruatur: qua sui animi testificatione, & mulierem admiratione virtutis defixit, & nascentem in plebe tumultum momento compescuit. His affectum sublimium rerum sensibus & studiis hominem, inque horas singulas ad maxima quæque decora se concitato cursu prouehentem, id excepit genus mortis, quod insigni

insigni sanctimonia transactum longioris ætatis curriculum præsagiret. In ipsis regni visceribus residentium Hibernorum militarium diuturnitas, sæuitiaque, barbaro quodam vexandi genere, non acerbissima dumtaxat, sed propemodum funesta & agris, & ipsis fuit vrbibus, quòd eorum tota ratio, castrensis moris commeatibus exigendis, hostili vastationi propior erat, quàm quæ meritò timeri debuisset ab indigena exercitu, tametsi petulantissimo. In tam aspera prædiorum villarumque populatione, cum rusticana plebs spoliaretur funditus, necesse quoque fuit nos, cum villicis nostris direptos, omnibus fundorum mercedibus destitui; cui calamitati & aliud infortunium accessit, vt frumentaria nobis annona, quanta erat domum coacta, in horreis inopinato incendio deflagraret. Miles porro, parum bene de nobis meritus in agris, nostram operam opemque exoptauit in vrbe, ac beneficam sensit, cùm minimè cogitaret. Enimuerò vrbana plebs, præter factas domi foriſque iacturas, quotidianis in vrbe vexata castrensis turbæ molestiis iniuriisque, vbi eam tædere cœpit tam diuturnæ nefariæque crudelitatis, signo dato concurrit ad arma, factoque impetu in palantes incautasque decurias, diram momento carnificinam vrbe tota excitauerat, cùm nos prodiimus, multosque militum certo exitio subtraximus, nec sine capitis nostri periculo. Fœdam profectò morum corruptelam inuexit militaris licentia, manipulis otio, ganeis, in vrbana copia, solutis: nostris tamen Scholis sua in hunc diem

sarta

sarta tectaque manſit diſciplina,& eluxit nonnullorum inſignis probitas, animique fortitudo in propulſanda proteruia. Præcellenti forma & pudore adoleſcens diuerterat ad honeſtum ciuem, cuius parum pudica coniux multos dies inuſitatis blanditiis inſidiata iuueni, vbi aduertit caſtum pectus non emolliri lenocinio, apertè importuneque ad ſocietatem ſtupri eum appellat. Ille procacitatem impuræ feminæ demiratus, nihil aliud, quàm modeſtè retulit, ſi quidem de amoribus agatur, vni Cælitum Reginæ ſuos amores ſe addixiſſe, cæteris feminarum abdixiſſe in perpetuum: quibus verbis Circem illam funeſtam ab ſe ablegauit, moxque in conclaue abditus, duram verberum grandinem ſuis incutit humeris, amoliendæ ab ſe procul damnati ſcorti flagitiique memoriæ, ac inde rectà in Collegium adit, ſuum periculum Confeſſario nunciaturus. Noui Euangelij futurus olim præco ſedulam apud nos operam litteris nauabat, quibus aduersùm magiſtros aliquando vteretur: atque, vt tectior eſſet perfidia, ſacrilego animo, quæ ſunt Catholici hominis officia omnia, in noſtra æde obibat, dum inter audiendam cohortationẽ, ad diſcipulos certo die habitã, Deus ita eius animum perculit, vt diuturnum flagitium exſecratus, mox ſeſe aperiret noſtro Sacerdoti, & germanum Catholicum deinceps ageret. Ex variarum Sectarum colluuie octogena capita in vnam, & eadem vbique ſentientem Eccleſiam coaluerunt. Beati Koſtkæ ſuos inter populares frequentia ſunt prodigia, & Poſnaniæ quidem

dem hoc anno septena obseruari contigit, de quibus illa maximè insignia, quòd Matronæ perpetua laboranti abortione felicitatem partus attulit, ternosque ægrotos insanabili morbo absoluit.

REI familiari nuper afflictæ grauiter, accessit insequente anno labes Florenorum quinquies millenûm, amico, indigenaque exercitu, hostilem in modum grassante totis agris: leuis tamen hæc plaga censeri possit præ ea, quàm inflixit & nobis, & maioris Poloniæ incolis, occasus Patris Ioannis Conarij, septuaginta & quattuor annorum senis, cuius quinquagenaria opera fructuosissimè vsa erat Societas, digni certè, qui æternùm viueret, si & eius merita spectarentur, & Polonicæ nobilitatis vniuersæ vota audirentur. Huius Collegij Rectorem vicenos, Gymnasij Præfectum plurimos annoa egerat, Concionatorẽ fere perpetuũ, quibus administrandis muneribus vniuersi Cleri, Nobilitatis, cæterorumque Ordinum, animos ita sibi deuinxerat, nihil vt apud eos esset toto regno carius, nihil gratiosius, honoratiusve; sed nominatim viri nobiles, ac mendici, honoris & amoris indice vocabulo, suum patrem, cætera nomenclatione tacita, vulgò appellabãt. Facilè nequeat iniri numerus pacificationum, quarum arbiter felicissimus fuit, & quidem grauissimis in rebus, primarios viros inter, & conuentus, periculosè dissidentes. Quidquid fermè Dynastarum ad Catholicos ex Hæreticis rediit, tota regione, id eius industriæ acceptum est ferendum: quam in recensionem veniunt & oppida ipsa quædam integra,

quæ

quę cum ſuis Satrapis Eccleſiæ reſtituit. Extremam porro vitæ clauſulam egit apud noſtrum Antiſtitem, qui eum ſibi à Confeſſionibus præfectum legerat, vbi cùm die quodam Sacris religioſiſſimè vt ſolebat, operatus, curru veheret, inter decurrendum Marianum roſarium, pæne ſine ſenſu animam exhalauit. Eius obitu indoluere vniuerſi Ordines acerbiùs quàm dici poteſt, ſed nobilitas omnium grauiſſimè, cuius illæ voces diu auditę ſunt: Luctuoſum hunc annum duris calamitatibus ſibi accidiſſe, ſed eius viri occaſu probis viris nihil potuiſſe cõtingere calamitoſius. Triginta ex lutulentis hæreſeon lacunis emerſerunt, quos inter nobilis virgo, vna pediſſequa conſcia, ementito veſtitu clam ad nos adiit, vt graue ſibi hæreſis ſpolium exueret.

CALISSIENSE COLLEGIVM.

VT vix indigenarum quemquam intactum hac vniuerſa regione reliquit militaris violentia, ſic neque huic Familiæ condonauit, tametſi longè mitiùs cum ea egit, quàm cum vllo Caliſſienſium ciuium. Regni rebus perquàm turbidis, huius Prouinciæ fluctuantem ſtatum conuulſura videbatur duorum ex Proceribus diuturna ſimultas, quæ in hoſtiles, apertaſque inimicitias eruperat, populariumque ſtudia in geminam pugnantium factionem diſtractum ibat. Eis reconciliandis primarij quique prouincialium in priuatis amicorum cœ-

tibus,

tibus, publiciſque totius gentis Comitiis, omnes induſtriæ, auctoritatiſque neruos ſæpenumero, ſed fruſtra intenderant: quibus pacificationis ſpem abiicientibus, huius Collegij Rector, Diuina ope fretus, negotium ab aliis deſperatum aggredi non eſt veritus, ſinguliſque ſeorſum conuentis, poſt diuturnas velitationes, demum perſuaſit, vt noſtra in æde mutuum in conſpectum venirent, vbi, principum virorum prudentia ſublatis diſſidij cauſis, tota plaudente ciuitate, ipſorum reconciliata eſt gratia. Reuerſo ab expeditione Moſchouitica Polono milite, atque hic in Hibernis aliquot menſium ſtipendia exſpectante, ne quid moleſtiæ ab eo diſcipulis noſtris, quocumque nomine, inferretur, Nobilitas, ex Comitiis miſſa ad cohortium Præfectos legatione, diligentiſſimè admonitum voluit, profeſſa, præ adoleſcentiæ inſtitutione, ſe reliquas ſuas iacturas facilè contemnere. Sebaſtiano Chodelienſi, vndecim annorum in Societate, hic annus extremus fuit, vnde fecit initium capiendæ mercedis, quam ei fortis fideliſque opera curandæ rei familiaris, in cælo pepererat.

Inſequente anno ex ſecunda Grammaticæ ſchola, cui præſidebat, in cælum euolauit Ioannes Schiidloroski, annorum modò quattuor in noſtri Ordinis militia, ſed pro ſtipendiorum paucitate, multiplices eximiarum virtutum palmas adeptus. Per octonûm menſium Hiberna militem aſſidua opera excoluimus, effecimuſque, vt illatas ruſtico iniurias vel pecunia compenſaret, vel cer-

tè ab se læsum esse doleret, cui non posset rependere: seruitiis autem plerisque iniecta est religio rapinæ herorum iussu contrahendæ, vt auderent iniusta imperia, in huiusmodi flagitiis, detrectare. Quinquaginta seu Hæretici, seu Schismatici ab sectariorum fœdo commercio penitùs abducti Catholicis se adiunxerunt.

LVBLINENSE COLLEGIVM.

SACRA Martyrũ trium ossa, Roma huc ad nos transmissa, magnificentissimæ pompæ perquàm læto triumpho per vrbem circumueximus, indeque honorificentissimo condidimus loculo, gestiente gaudiis vniuersa ciuitate Futuræ transuectionis nuncius vti erexerat Catholicorum animos exspectatione iucundissimi spectaculi, sic factionem sectariorum mœrore graui afflixit, vt publico decreto sibi aliquot dierum inediam indicerent, spectaculo eiusmodi auertendo, rati eam gratiam sibi concessum iri diuinitus, vt, turbidum per eos dies cælum, impensiùs turbaretur, & nos sæuæ tempestates sacrilegio, vt ipsi loquebantur, & impietate prohiberent. Sua illa insana spe, ac sceleratarum precum fiducia, tantisper sunt elusi, dum illuxit triumpho sacro dictus dies, qui ex turbidissimo repentè vertit in sereniſſimum, vt vix meminissemus pridem tam claram lucem huic vrbi affulsisse. Graui pœna sanxerant Hæretici, nequis sui ritus pompæ sacræ interesset, neu etiam

oculo

oculorũ curiositatem eò adiiceret: quamobrẽ Senatoria matrona peregrino habitu velata, ne proderetur, vt cupiditati faceret satis nostram in ędem penetrauit, cui cum omnia nostri ritus valdè probarentur, futuræ transitionis spem nobis fecit nõ modicam. Equestris Ordinis Hæreticus, audiente Catholica, non potuit linguam tenere, quin conuicia per iracundiam iactaret in Martyres, quẽ pia mulier admissæ noxæ subitò admonuit, adiecitque illam ipsi non futuram impunè, nec inania præsagiuit, morbus enim properè inuasit in conuiciatorem, qui haud immemor denunciatæ diuinæ vltionis à matrona, Patrem de nostris aduocauit, moxque abdicata hæresi, religionis in Cælites plenus, ad Catholicos transiit. Lublinensis ciuis coniux, desperatæ per eos dies valetudinis, ab supplici cõiuge, secundùm ægræ lectulum, Beatis Martyribus commendata, pòst paullò penitùs conualuit.

ALTERO anno asperi creditoris vexationum, atque inde ipsius vitæ, pertæsa mulier, crudele in semetipsam parricidium destinabat, eoque animo conclaue ingressa, præ multo mœrore se dedit in lacrymas, postque paullò, degrauante corpus tristitia, corruit in lectulum. Continuò ei adsistunt ad latus Erebo missæ, laruæ geminæ, Monachorum ornatu, quarum altera; Torqueris, inquit, alieni æris magnitudine, & acerbitate creditoris, sed tu mihi caue tua syngrapha, & hic meus Frater numeratæ pecuniæ, quoad satis sit, mox afferet, vnde nomina dissoluas. Inhorruit

miſera, & Tartarei graſſatoris agnouit inſidias quibus vt ſe expediret, porrecta ad frontem manu, impreſſura erat Crucis ſignum, & filium è propinquo inclamatura, niſi dexteram laruæ diſtinerent, & os occluderent. Filij nomen ei reuocat in memoriam Beatum Paullum, cui ſacer ille dies erat, & ad opem eius expoſcendam animos facit, quem vt magno enixa conatu tandem appellarat, vti fulmine afflatæ peſtes illæ, deſubitò aſſumta equina ſpecie inde auolant. Hic aduerſus caſus illius tantò funeſtioris mulierem admonuit, in quo verſaretur, cùm impatientia moleſtiæ ſuam necem meditabatur: quamobrem rectà noſtrũ ad Sacerdotem accurrit, eius ope, grauiter ſaucio animo factura medicinam. Viduæ non aderat vnde pupillos alerer, ad Arianos igitur tranſitionem cogitat, vt inde ſtipis aliquid corroget, egeſtatis ſuæ ſolatium; & eius rei gratia ſubitò contendit ad conciliabulum Arianę factionis. Ad fores iam peruenerat, & ingreſſum parabat, cùm occulta manu eſt incuſſa ipſi alapa tam validè, vt quatuor ipſos menſes in affecta mala liuor adhæreſceret: vt ei iam dubium eſſe non poſſet, quin, inuito atque vlciſcente Numine, grande ſcelus fuiſſet exorſa. Afflicto igitur animo, & inopiæ & grauis noxæ memoria, domum regreditur, perque viam obruente animum triſtitia, ſe humi abiicit, cuius calamitatem miſeratus Deus, ſeptenos nummos, ex officina recentiſſimos, ei iacenti apponit ad latus, quo beneficij genere diſceret, quò ſint anguſtiæ maiores, eò certiùs eſſe Diuina

ope

opé confidendum. Vndeuiginti variarum hęreſeon pedicis explicati, tanto ſanctioribus, ac lætioribus vinculis Chriſtianarum legum ſe volẽtes adſtrinxerunt. Septuagenario ruſtico ſemel dumtaxat per omnem vitã, & adoleſcentulo quidem obtigerat Confeſſionis piaculo animum curare, cui vicinũ in pagum accerſito accidit, audita vnius de noſtris concione, ad Confeſſionis ſtudium vehemẽter commoueri; ſed ne ſtimulanti Deo in præſentia obſequatur, à ſeipſo petit inducias, &, repugnante licèt conſcientia, etiam extorquet, domũque iter intendit. Ei vadenti adoleſcens peregrinus fit obuiam, manuque prehenſum percontatur, velitne iam noxas confiteri, vti ſenem decrepitum deceat, atque Chriſtianum: tum ille, Cælum, inquit, voluitur, diemque ducit de die, & ducet deinceps, vt mihi liceat facere, quod poſtulas: iam enim negotioſo non ſatis mihi licet. Contrà iuuenis, niſi exſequeris actutum, quod iubeo, ecce in lacunam hanc te præcipitem ago: erat autem prælta lacunæ foſſa, & liquatis ad ſummum plena niuibus. Periculi metu perculſus ſenex, Ieſu nomen inclamat, cui adoleſcens: Quin tu, ſtolide, ſacri nominis tutela ſtudioſiùs vteris in ſalute procuranda? quibus verbis à ruſtico Cõfeſſionis obeundæ promiſſum expreſſit, continuoque euanuit. Eo ex oculis ſublato, promiſſorum immemor vetulus domum abibat, cùm aliquantum progreſſo ſe iterum ſiſtit, ſubirato vultu, idẽ peregrinus, iniectaque in perfidum manu; Num inquit, mihi pergis, Deoque illudere? inter quæ

verba miserum in profundam cloacam, pæne ipso metu exanimem, proturbat. Illi tamen, Iesu nomen appellanti, manum porrigit, è fossa graviter perculsum eximit, iussumque confestim adire ad nos in vrbem, ab se dimittit, quo, adhibita coniuge comite, venit adeo territus, vt vix vel pedibus consisteret: cui maximè salutaris fuit illata vis ab homine ignoto ad vniuersam vitam seriæ Confessionis spongia detergendam. Vngaro, nobili viro, incesserat cupiditas cum Sacerdote nostro congrediendi, vt ei se probaret fortem peritumque suæ sectæ propugnatorem: cui noster condicit in crastinum, suas eo die causatus occupationes audiendis Confessionibus, monito interea si cuperet felicem exitum eius congressionis, vti vnius veritatis studio iniret certamen: quare, memor cultus Deiparæ Virgini à maioribus suis impensi, eam sibi agnoscendæ veritatis per preces magistram adsciscceret. Secundùm hæc verba digressus, codicem sibi mutuum sumit Hæreticus à Ministro, eiusque lectione ad dimicationem se comparare instituit, priùs tamen in abdito conclaui, vt iussus erat, Mariæ Matris opem in genua prouolutus expescit, inde assidens suam lectionem aggreditur. Sed ei, vix oculos in apertum volumen demittenti, augusti oris formosissima virgo adstitit, excussitque procul è manibus damnati argumenti codicem, intentatis minaciter pœnis, si pergeret porro legere: qui tamen siue audaciæ ostendendæ, siue ab impotentia mentis, librum humi colligit: quam ad contumaciam, excande

candescenti similis Virgo iterum, sed asperiùs, librum deiicit, additque seueræ expostulationis hęc verba: Hæccine promissorum fides, quibus te adstrinxisti, cùm inter precandum me consuleres? Tantum verborum locuta cum indignatione, lumen exstinxit, & abiit, vehementer emollita hominis contumacia, cui Numinis opem intentiùs appellanti, tota nox, insomnis fermè in eodem vestigio effluxit, vt qui sacro horrore defixus, pedem è conclaui efferre non auderet. Postera verò dies vix illuxerat, cùm accurrit ad nostrum, ad eiusque pedes abiectus, vbi paucis rem gestam perstrinxerat, accenso animo hæresim est exsecratus: quem si reliquis adiungas, vel domi, vel foris quadraginta omnino Hæretici aut Schismatici esse desierunt.

LEOPOLIENSE COLLEGIVM.

DECEM & septem annos meruerat in nostris castris Pater Petrus VVrede, Pruthenus, ferè duodequadragenarius, cùm eum febris ardentissima, in medio honestissimæ contentionis cursu, oppressit. Prussiæ laxissimi fines ipsius industriæ campus obtigerant affirmandis in auito ritu, & probitate morum Catholicis, Hæreticis à falsitate abducendis, quam prouinciam incenso animi ardore, multaque dexteritate, ac paribus vtrorũque commodis obibat. Præter quattuordecim ab Schismate, sex ab Hæretico cœtu abductos, Ha-

licienſis dioeceſis Rutheni omnes magno numero Popi vnum in conuentũ coacti, perſuaſi ſunt rationibus idoneis, vti deſciſcerent ab Schiſmatico Epiſcopo, concederentque in iuriſdictionem & Sacra conſentientis cum Eccleſię capite Antiſtitis, quod & reipſa fecerunt. Anno biennij huius altero, Andreæ Galczinski, optimo adoleſcenti, obitus accidit feliciſſimus, cùm exſpectationem concitaret ſingularis virtutis, & magnorum facinorũ in Societate, ſi diutiùs vita ſuppeteret: ſed iis meritis, quorum præſens eſſet copia, contento Deo viſum eſt eum maturiùs ad præmia euocare. Seceſſionem à Chriſti Vicario quinque & triginta nobis auctoribus damnauerunt, prauam in Fide ſententiam vndecim. Profecti de noſtris nonnulli cũ exercitu ad regni tutandos fines, aduersùm ingruentes Scythas, præter altam rei Chriſtianæ ignorationem, in milite deprehenderunt perpetuam rerum ſacrarum cum Schiſmaticis communionem, & cætera vitia, quæ huic confuſioni comitari ſolent, quibus abolendis haud mediocriter deſudandum fuit.

IAROSLAVIENSE COLLEGIVM.

SEXAGESIMVM alterumque natus annum Pater Staniſlaus Alandus, in Sociis quadrageſimum agens, Spiritalis Adiutor, niſi vicenariæ herniæ grauior ærumna vires affligeret, neque ſenectæ, neque aſſidui laboris vlla vi fractus, nobis

bis tandem deceſſit cùm eius induſtria eſſet maximè frugifera. Sicut ardentem animum attulerat Ruſſis ad vnum Eccleſiæ Caput adiungendis, ſic erat in eam rem Diuino munere ſingularem nactus induſtriam: vt hos non minùs quàm Catholicos, quà priuatis congreſſibus, quà concionibus publicis, maximopere commoueret. Inſitam ſibi naturæ ductu miſericordiam aduersùm infimę ſortis egentes homines, aſſiduo ſtudio ita proiexerat, vt in eis procurandis miraculo proxima ei quædam ſuccederent, dum ſua manu parata herbarum medicamenta ægrotis adhibet, vnde grauium ſæpe morborum vis omnis profligaretur. Eorum greges alebat ſua induſtria, qua beneficentiæ illecebra parabat ſibi animorum docilitatem, vt ſe doceri ſalubria paterentur, quod animi pabulũ vt eis inſtillaret, mirum erat, quàm tetri halitus loca quotidie ſubiret, quàm tabidis, quàm cadaueroſis, & vel ipſa ſpecie horrendis cum hominibus perpetuò conſueſceret. Prodigio ſimile fuit in homine, qui tam acerba iugiter pateretur, tantum ſuperfuiſſe virium, vt tam aſſiduam, tam difficilem ipſe morboſis operam nauaret, cui Deus, pro ea ſcilicet ferendorum cruciatuum alacritate, qua multum valuit, id prærogatiuæ loco tributum eſſe voluit, vt in ſæuiſſimis herniæ doloribus, quaſi vnus de Martyrum decuria, vitæ muneribus tandem defungeretur. Patri Ioanni Bucouio lõgè breuior fuit cum morte dimicatio, cui letalis febris biduum dumtaxat reliquum fecit, ad viam in cælum præmuniendam, diem neutiquam

breuem ei, qui se vndecim annis totis in Societate studiosissimè comparasset, sed valdè compendiariam tam diuturnis, tamque certis bonis in cælo perfruendis. Homini Valacho tam hebes ingeniũ obtigerat, tamque praua educatio, vt eius mentem nulla vel Numinis vel religionis subiret vmquam cogitatio; cùm tamen frequens iniret nostram ædem in Principis comitatu, concionibus audiendis, & obseruanda cum ciuium, tum iuuentutis nostræ multa erga res Diuinas veneratione, & assiduitate precum, cœpit non mediocriter commoueri, suique status deplorandam rationem agnoscere, ac eam denique cupere fortunatiorem. Heræ igitur suæ, Principi cum primis religiosæ, supplex accidit ad pedes, oratque vti hominis infeliciſſimi curam suscipere ne grauetur, tradatque alicui salutaribus documentis imbuendum. Nihil famulo poterat euenire opportunius, nihil dominæ optatius, quàm vthæc ad eiusmodi causæ patrocinium vocaretur, cuius voluntate mox nobis traditus est erudiendus admodum rudis Tiro, sed qui discendi cupiditate vinceret incredibilem naturæ tarditatem. Bis ad nos quotidie ventitabat ardenti disciplinæ studio, atque tametsi parum proficeret, mirabili constantia seipse ad condiscendum vrgebat: cumque singulis diebus, multa contentione, vix singula verba memoriæ commendaret, ingentem vim stupidissimo inferebat ingenio, vt fidei rudimenta in animum subirent. Ex tam supina mentis tarditate ansam illico arripuit Erebi latebra erumpens insidiator,

impor

importuniſſimi tædij in tenebricoſum pectus infundendi, ſi qua ſatietate duriſſimæ palæſtræ, hominem eius maximè inſolentem, ad eamque omnino minimè idoneum, à cura ſalubrium commentationum poſſet auocare. Sed contrà, quàm funeſtus interpellator cõiiceret, fecit ea oppugnatio Tironem noſtræ conſuetudinis diſciplinæque cupidiorem, quòd deprehenderet, intolerabiles illas deluſæ inquietæque mentis moleſtias tranquillari penitùs, ſimulatque ſe ad ędium noſtrarũ fores appulerat. Polonici Regni Senator quidam, inter eius Ordinis viros auctoritatis ſummæ, probitatis verò non diſparis, ex quo apud nos Diuina piè meditandi rationem hauſit, numquam illius formulæ codicem è ſinu dimittit, nulla vel occupationum multitudine, vel difficultate itinerum horariæ meditationis ſeceſſum patitur ſibi vmquam detrahi: quin ad quotidianum eiuſmodi penſum ſui comitatus honorarios ephebos idẽtidem cohortatur, frequenterque argumentum pię commentationis excipientibus ipſe ſuppeditat. Comitiali morbo abſolutus eſt annorum ſeptem puer, viri Nobilis filius, huiuſmodi affectu antè habitus grauiſſimè, vbi primùm eius pater, noſtra in æde, Beato Martyri Valentino ea cauſa ſupplicauit, ad eumque ſiſtendi pueri voto ſe obligauit: idéque Iaroſlauienſi puello trienni, & in eiuſdem vitij calamitate accidit. Penetratum eſt à noſtris in fines Vngariæ, ac in eo confinio prædonibus, montes latrociniis infeſtos habentibus, iniecta eſt mens melior, & latrocinandi eſt adhibita religio:

Hære

Hæreticis persuasum, vt extemplo decederent Ecclesiasticorum fundorum possessione, quos per vim annos multos occupauerant; coniugatis Sacerdotibus incestarum nuptiarum est illata verecundia, atque pœnitudo. Principis Ostrogianæ filia, natu minima, inanium curarum nuper æstu concitatior, ex quo nostra in scena Beati Crispi res gestas spectauit, eum sibi patronum legit, & perpetuum conformandæ vitæ archetypum, cuius vitam libello descriptam numquã ponit de manibus, & viuendi tenet institutum, quod omnes noti demirentur, probissimi quique mirificè prædicent. Martino Ploski, strenuo rei familiaris administro, vita plerisque in Collegiis religiosè trãsacta, ineunte anno posteriore, felicem occasum peperit, spemque melioris æui fruendi attulit. Grauioris noxæ vicenos annos rea mulier, &, quod vulgo creditum est, vindice Numine Comitialem affectum diutissimè passa, nostrorum cuiusdam frequenti hortatu permota vouit Beato Valentino, se ad eius nostro in templo aras supplicem adituram, & quidem precario viatico, quò vbi primùm aduentauit, detersam sibi sensit fœdi morbi molestiam, incolumísque in hunc diem perseuerat.

LVCEORIENSE COLLEGIVM.

ADAMO Bakonski, ætatis anno vicesimo sexto, è puluere Grammaticæ palæstræ ad perenne cælestis vitæ gloriæque stadium obtigit

feli

felicissima transitio, vbi septenarium æstiuorum in nostra militia expleuerat, summa disciplinæ obseruantia. Moschorum in Polonia numerosissimi versantur greges, post vastatam à Polono exercitu Moschouiam, quorum vix vllus Romanum agnoscit Pontificem, Græcanicis præterea erroribus inquinati sunt eorum plerique, frequentes tamen ad nos adeunt, & Sacramentorum sibi copiam fieri, vel nostro more, postulant ita, vt si suo merito repulsam ferant, velut affecti grauiore iniuria, offendantur. Euicimus tamen rationibus, & quoties etiã res tulit aperta & seria denunciatione religionis, qua prohiberemur, vt, ægre licèt, æquo tamen animo, suis excluſi postulatis, abscederent. Foris vicenos senos à Schismatis studio auocauimus: Principem Græcanici ritus, sua sponte in nos bene animatum, officiis ita demeruimus Societati, vt eius causa se nihil non cupere ostendat. Vocatu ipsius Christi Natalibus eum adiuimus, & in templo Græcanico per eos dies defuncti sumus omni munere Catholici ritus, stupentibus Popis, ac etiam rationem nostram collaudantibus, siue non aduerterent, siue dissimularent, se à Principe, præ Romanarum partium Sacerdotibus, esse neglectos. Præterquam quòd in Societatem hic est liberalissimus; quos ei caros esse nouit, in eos quoque beneficentiam confert amantissimè, quo nomine, nuper Contubernio egentium discipulorum aream percommodam emit, eidem annua vectigalia parat constituere.

Altero anno decessit Albertus Baltrouici, hoc est, decimo septimo quàm familiares operas fidelissimè

fortissimeque Societati dabat, cuius virtute Calis-sienſe Collegium bis olim conſeruatum eſt, cùm, peſtilenti tempeſtate dilapſis pene omnibus Sociis, ipſe animi plenus reſiduorum, qui diro afflatu exſtinguerentur, funera ſuis manibus procuraret, familiæque rem omnem ſartam & tectam cuſtodiret. Slauonicæ linguæ ſcholam excitauimus, in gratiam Ruſſianæ iuuentutis, gymnaſium noſtrum frequentantis, quòd illi genti hæc lingua fermè ſollemnis eſt in Sacrorum procuratione: cui noſtro inſtituto Ioſephus Ruſtki, Catholicorum Ruſſorum ritus Græcanici Archiepiſcopus, omnem ſuam opem detulit, deſtinata nobis in eam rem librorum copia, magnopere delectatus multiplici Slauonico carmine, quo eum noſtræ Scholæ ad nos viſentem conſalutarunt.

TVRONIENSE COLLEGIVM.

NIHIL ſibi reliqui faciunt Turonienſes Magiſtratus Hæretici, quo poſſint noſtris incómodare ſcholis, ac eò magis, quòd eas numero auctas vident, adiecta hoc anno Humanitate, diſcipuliſque quàm olim frequentiores. Nihil porrò ſua conſuetudine alienum tentauere proximis Comitiis, cùm, largitionibus & multo ambitu cóparata factione potentium virorum, eas publico Prouinciæ decreto diſſolutum iri, falſo tamen, crediderunt; vt minùs mirum ſit, quòd duos diſcipulorum noſtrorum bimeſtri captiuitate vexarunt

in car

in carcere, quasi vnum Hæretici ritus adolescentem, cui consuessent familiariter, ad nostras Posnauienses Scholas induxissent. In multa peruicacia indigenarum deerrantium in rectæ Fidei capitibus, ingenti compendio apponendum est, quod ab erroribus passi sint auocari se quattuordecim. Hæretica puella, in grauiore morbo, vnde posteà interiit, duas horas omnibus sensibus abalienata iacuit, vt animam exhalasse putaretur, quo ex sopore cùm ad se rediisset, vnum de nostris Sacerdotem, quo vteretur ad procurandam animi sanitatem, frequenter appellauit, cui properè accurrenti Hæreticorum manus fores obdidit, planeque prohibuit aditu: cùm ægra interim non desisteret adsistentem sectariorum turbam commonefacere sui periculi, ac vehementer hortari, vt dānato abstinerent fano suo, Sancti Ioannis ædem, id est nostram, studiosè inirent. Per visum sibi ostensos memorabat de suo conciliabulo numerosos greges, quos decliuis, & laxissima via, confertos ad horrendos flammarum cruciatus deuolueret, ac nomine designabat non paucos: Catholicorum verò exiguos manipulos angusta semita euehi sursum ad gloriam. Sed neque narranti est habita fides, neque obsecranti concessum, vt sibi adhiberent Sacerdotem; vt iis subsidiis destituta triduo vita defungeretur. De primoribus Hæreticorum sæpe deprehenduntur orantes in ædis nostræ angulis, quos Romani ritus cupidos prohibet metus Magistratuum, ne suo animo faciant satis. Extraneus Minister arentes multa siti fauces, & vacuum

cuum ventrem huc attulerat, qui vt hunc ingenti opsoniorum mole saburrauerat, illas verò frequentibus sextariis meraciùs perfuderat, impotens degrauantis saginæ, pronus decidit è fenestra, effusoque cerebro, substratum pauimentum cruentauit: cuius tamen occasum de Adscriptitiorũ Patrum decuria nescio quis laudauit pro concione: indignum forte, qui, nisi Heroum alicuius auspicata manu, occumberet, ac Liberi Patris maximè sopitus lagena.

POSTERIOR annus Rhetoricam, Germanicæque linguæ publicas exercitationes, Gymnasio nostro adiecit, vnde ipsi conciliauit è Nobilitate castellana multò frequentiores auditores, ideoque apud Hæreticos Magistratus tantò acriorem inuidiam, quam sollemnium Rogationum statis supplicationibus, manifestò præ se tulerunt, interposito edicto, ne quis publicè supplicaret, cui cùm neque nos, appetiti nominatim eo decreto, neque de Clero vllus obsequeretur, intercludendo supplicantibus itineri, vias passim catenis obtenderunt, ad quæ repagula ordinatos prodeuntes obuium armatorum agmen telis, & aduersariis infesta summa ædium, lapidibus nos prohibuere transitu. Ingentes factiosorum armatæ copiæ, quæ sibi Fœderatorum nomen adsciuere, tota pæne Polonia prædonum ritu grassantur, omnibus agris oppidisque infestissimę, dũ nescio quid legitimorũ stipendiorum, quibus se fraudatos aiunt, dependatur., quibus prædatoriis legionibus, vt hoc Regnum absolueretur, multum pridem, sed fustrà laboratum

laboratũ est. Cũ ad eiusmodi exercitũ, suis auctoratũ auspiciis, legationẽ adornaret Torunienſis Epiſcopus, ſuo comitatui vnum de noſtris adiunxit, quo apud illos graſſatores trimeſtri concionatore vſus quàm opportunè, corraſæ latrociniis pecuniæ vim magnam ex eis redegit, quæ in commune ſarciẽdis popularium iacturis redhiberetur. Eorum etiã pleroſque inceſſit cupiditas Sacramẽta participandi apud noſtros, ſed Sacrorum communio eis præcisè à nobis negata eſt, quoad legitimè dirimeretur perduellium ſcelerata factio, quę nefariè adſcito fœderis titulo, contra ius faſque coiuerat. Vndeuiginti ab inſania hæreſeon reſipuerunt, vnus à Mahometiſmo, quem puerum hunc ad Turcas abductum, & inter eos diu Mahometis ſacrificulum, pœnitudo flagitij tandem in auitam patriam, religionemque redintegrauit. Catholicarum partium mulier in lucem editum recèns infantem, ſpe lucelli cuiuſpiam, ab Hæretico luſtrari paſſa, eueſtigiò acerbis cruciatibus, qui octo dierum perpetuam inediam inſomniamque parerẽt, horrendis adiunctã vociferationibus, in quibus omnium Sacrorum expers interiret. Aſſumtæ in cælum Virgini ſacro die Hæreticus Catholici operam eruendæ argillæ conduxerat, quibus, ſub meridiem, ad os effoſſi ſpecus cibum ſumentibus, imminens vtriuſque capiti velut quidam fornix terreus, repentina ruina occupatos oppreſſit, mox exſtincto Hæretico, altero ſeminece, cui, poſt procuratam apud nos conſcientiam, nihil sãctius fuit, quã ex Catholici ritus formula actio-

nes omnes dirigere : mœrore intereà defixis grauiter Hæreticis , quòd infausto eo euentu diuinitus damnatam ipsorum fidem infidam vulgò iactaretur.

SENDOMIRIENSE COLLEGIVM.

TRIVM & sexaginta annorum valentissimus Athleta , Pater Gaspar Nahauis , vota quatuor professus , tricesimum primum iam emeritus stipendium in nostris castris , non nisi laboribus attritus arma posuit , & tumultuosiùs irrumpenti leto concessit. Trans Russiam in Scythis seu Tartaris natus , in Russorum fines populatum irruentibus eius gentilibus , cum patre puerulus venerat , cui tenera ætas , suáque innocentia saluti fuit, cùm Scythicus exercitus, præda onustus, intercluso sibi reditu ab Russis , internecione deletus est. Eo prælio feliciter defunctis Russis , cùm apud exercitus Prætorem miles capta de hostibus spolia profiteretur , captiuus quoque productus est puer , cuius eximia indole mirificè delectaris omnibus , qui aderant in Prætorio, eum sibi à milite , cuius esset captiuus , Imperator ipse depoposcit , & deinceps perbenignè apud se habuit. Prætor autem post annos aliquot aduersa tentatus valetudine accersitum ad se medicum excepit , atque semper habuit perhonorificè , quamdiu apud eum diuersatus est, eam venerationem demirante puero Scytha , eiusque causam ab domesticis curiosiùs

riosiùs sciscitante. Vt verò ex eorum sermonibus didicit, insignis eruditionis, & experientiæ singularis opinione tantam medico conciliatam esse gratiam, auctoritatemque apud viros principes, sensit generosi pectoris puer, paris celebritatis sibi conciliandæ stimulis, animum suum haud mediocriter commoueri. Opportunè itaque vsus heri perspecta erga se beneuolentia, rogare instit, vti erudiendum se litteris ad scholas amãdaret, quod ab homine facilè impetrauit, cui summa in puero modestia, morumque grauitas, vt magnopere probabatur, ita mirabilis cuiusdam virtutis antegredientia ætatem documenta præmonstrabat. Beneuolentissimi ergo heri liberalitate versatus est in Gymnasijs vsque eò, dum emensus Philosophiæ stadium, ad Theologicas disciplinas animum appelleret, quas vt Romæ apud nos cognosceret, eius instituto peroppottunè cecidit, vt per idem tempus è gente Kostka vir primarius liberis suis Romam studiorum causa deducendis, regendisque, moderatorem sibi quęreret, consuleret autem ea de re Gasparis Scythæ patronum, cui nihil visum est congruentius, quàm vt Gasparem, expertæ probitatis adolescentem, præficeret muneri. Per eam studiorum quietem seriò cogitare Gaspar instituit, quid se deinde futurum esset, nec dubium ipso etiam initio ei esse potuit, quin se Religiosæ militiæ deberet addicere, futurum sibi olim, aliisque non paucis fructuosum: cumque ad Dominicanos aliquãdiu propendisset, aliò se posteà vocari apertè sensit, ac se Ordini nostro ad-

iungendum dedit. Quo de suo instituto cùm antcà per litteras commonefeciſſet heros vtroſque, Comitem Tarnouium, patronum optimum, & Dynastam Koſtkam, cuius filiis tum præeſſet, ille nuncius mirificè ambos oblectauit, vt profiterentur, nihil ſibi iucundius, nihil etiam honorificentius potuiſſe contingere, quàm ſuis ſumtibus in eam ſpem educatum eſſe Gaſparem, vt in Societatis membrum coaleſceret, cuius deinde auſpiciis fieret vniuerſo Polonico imperio ſalutaris. Neque ipſos ſua feſellit opinio, Roma enim tranſmiſſus in Poloniam, eius pleraſque prouincias, & Podoliam, VVoliniam, ac Ruſſiam denique vniuerſam, tricenaria propemodum opera, ſic excoluit, vt, quidquid ferè Catholicorum iis regionibus nunc cenſetur, ſuum ad Eccleſiæ caſtra felicem regreſſum Patri Gaſpari, animo perquàm liberali, acceptum ferre ſoleant. Animum ſcilicet ad Societatem attulerat non niſi grandium facinorum cogitationibus plenum, cuius integritatem cùm in momẽta exaggeraret ſeueriſſima diſciplina, procliuius erat nihil, quàm vt eius omnes conatus Deus beneuolentiſſimè promoueret. Qui verò ſuæ ſalutis, in denſiſſima grauium diſcriminũ turba, rationem prorſus nullam duceret, vbi Diuini cultus prouehendi vel minima ſe aperiret occaſio, eum Numinis prouidentia peculiari quodam ſtudio ſibi tuendum ſumſerat. Apud gentiles ſuos Scythas grauiſſimè offenderat, diſceſſione facta in ritum alienum, ſtudioque plurium pertrahẽdorum ex popularibus ad eaſdem partes: quamobrem

obrem infensissimis animis frequētes periculosasque ipsi struxere insidias, designatis etiam acerbioribus suppliciis, quibus eum comprehensum diuexarent: sed miris eum rationibus ipsorum fraudi sæuitiæque Deus perpetuò eripuit. Quos non facilè poterat abducere ab adamatis pudendarum noxarum illecebris, inusitata iis aliquando adhibuit remedia, quorum vim fortasse inutilem, adeoque noxiā, si eis alius vteretur, malè tamē affectę mentes salutarem sibi experirentur, peculiari quadam aura propitij Numinis eius omnibus institutis obsecundante. Quod genus fuit illud mulieri aliquando intentatum æterni cruciatus experimētum, cùm in nobilem matronam incidisset, impuris adeò irretitam amoribus, vt, vsu peccandi animum obcæcante, paratas flagitiis in altera vita pœnas in fabulosis commentis, atque insomniis, haberet, eiusque opinionis obtentu omnes salubria monentium sermones eluderet. In eius colloquium cùm venisset Pater Gaspar, & contumacissimam experiretur, vel inuitam adegit, immisso digito flammam propinqui funalis tantisper probare, dum ardoris infestam vim non posset sustinere: cuius documenti exitus is fuit, vt non modò illa inuitanti Patri ad pœnitudinem mox obsequeretur, sed ex eo etiam momento fœdæ libidinis omni titillatione absolueretur. Acumē, & neruos eius disputantis Hæretici reformidabant summopere, ac Ministri quidem in primis, tametsi non quærebat id, vt vicisse videretur, sed vt victi veritatem agnoscerent & amplecterentur, quod

eius optatum frequenter cedebat ex sententia. Dux Ostrogiensis, ac idem Kiouiensis Palatinus, studio vexandarum Catholici nominis partium, ex Lipsiensi Academia subtilem Caluinianum, & argutandi peritum, amantemque, arcessiuerat, cuius fraudulenta loquacitate, tamquam ariete, Dux omnem Catholicæ arcis aggerem sibi disturbaturus triduo videretur. Duci familiariter notus erat Pater Gaspar, Patrem igitur Aulici nostrarum partium hortabantur, Ducem veniret salutatum, vt si qua se daret inde occasio congressus cum Ministello Sophista ineundi, eam ne pateretur elabi. Acceptus mensa Ducis Pater, cui argutulus Sycophanta etiam accumberet, idonea quæstione posita, disputationis aliàs cupidiorem, nunc tamen reluctantem, ad conferendas manus eum pertraxit, atque tametsi primùm acriter in tuenda Caluini causa velitantem, deinde tergiuersationibus se tegentem, obstructis captionum exceptionumque cuniculis omnibus, eum breui ad infantiam redegit. Caluinianis accidit luctuosa hæc dimicatio, sed Ministro in primis, qui suas de Catholicis victorias manubiasque gloriabundus soleret recensere: cui iam elingui aliud superabat nihil, quo suos gregales solaretur, quàm vt frigidè sponderet, paratiorem se instauraturum suis partibus glorioſa iucundaque prælia: sed diem ex die ducentibus Caluinianis, quo suum athletam denuò producerent, Catholicos eius spectaculi auidos afficiebant permoleste, donec liquidò cõstitit, nullam eis horam posse illucescere, quæ

con

contractam superiore pugna infamiam detergeret. Enimuerò validis lacertis vibrata veritatis fax, tametsi obluctanti, Hæretico pectori vim potentior intulerat, multaque radians luce penetrarat intima præcordia, vt vel inuito Sophistæ confessionẽ suæ infirmitatis exprimeret, quam tamen dissimulauit in præsentia. Satis quidpe suum ad institutum esse ratus, si clam conuento Patri se aperiret, apud eum ingenuè professus est, Catholici dogmatis solida fundamenta se agnoscere, ac venerari: quosdam tamen residuos sibi esse scrupulos, quos condicta die Patri proponeret euellendos, in nulla deinde futurus mora, quò minùs ad Romanum ritum rationes suas, seque ipsum totum apertè transduceret: neque plùs triduo expediendis dubitationibus consumto, hæresin interposita repudiatione procul ab se adspernatur. Inde Academiæ Vilnensi prolixè commendatus epistola Patris Gasparis, in Seminariumque Pontificium admissus, seriò ad superiores disciplinas adiecit animum, quibus excultus, luculento edito commentario, sectariorum falsitatem multa cum sua laude, ac voluptate Catholicorum refutauit. Sed pæne quotidiana fuerunt Patri Gaspari spolia decoráque huiusmodi præliorum; quibus aut hæresibus, aut moribus mortalium deprauatis, diras clades inueheret; sed eos triumphos, vt ne diuturniores Ecclesię Dei conciliaret, immodicis concussa laboribus senecta eum præpropero stratum occasu abstinuit.

ALTER quoque annus vnum de Familia de-

cerpſit, Matthiã Ianoroïci, gente Lituanum, quinquagenario grandiorem, cuius ætatis partem alteram ex æquo Societati fideliſſimè impenderat, perpetuis coquinariis operis, vnde ſe aliquando leuandis laboribus exemtum à Præſide, præ demiſſionis, & caritatis in Socios ſtudio, doluit magnopere, nec precib. vrgere deſtitit, ſua vt ei Sparta redderetur, cui ſtrenuè procurandæ immortuus tandem eſt, plenus meritis, celeberque inter ſuos Religioſiſſimi viri præconiis. Iudaiſmum deteſtandi exuendique cauſam habuit vnus inquietę mẽtis perpetuos angores, quibus derepẽte abſolutus eſt, cum ad Chriſtianos ſincero animo tranſiſſet: cuius tranſitioni acceſſere decem Hæretici, atque in his Iudæa, quæ olim Chriſtiana, cui Ariana hera deſertionem Fidei fraudulenter induxerat.

CAMENECENSE COLLEGIVM.

RVSSI quattuor & triginta in Romani Pontificis iuriſdictionem conceſſere, ac præter hos, Græcæ ſeceſſionis Macedo, & Armena mulier. Viri principes duo Hæretici, nobiſcum congrediendi finem non faciebant, conferendique de Fidei capitibus, quòd eis noſtræ ſententiæ ratio maximoperè arridebat, ſic tamen vt in luto hęrerent nihilominùs: ſed eorum alteri apud Moldauos legationem gerenti, Patris Scargæ per otiũ lectæ conciones hæreſin auellerunt ex animo: huius exemplum, & auctoritas, errores veteres damnantis

nantis, pertraxerunt sociũ quoque in rectè sentientiũ gregem. Quaternis Sociis in Vkraïna, regione latissima, perpetuò degentibus, ab omni pæne Christiano subsidio deserta ora, negotij multùm, exiguam in præsentia sui laboris messem, attulit, spem tamen fecit post diuturniorem culturam frugis vberrimæ. Quæcumque cogitari possunt in Christiano populo, præter ipsum nomen, ea omnia deerant istis hominibus, & eapropter supplenda, pro præsentibus copiis, fuerunt. Quòd autem nec Sacerdos vllus, nec conuentus habendi locus suppetebat, viginti totis oppidis, quæ, ab ineunte Quadragesima Octobrem ad mensem, noster Sacerdos semel iterumque decurrit, ædes amplæ cogendo cœtui; & ciuium religiosissimi, regendis sacris conuentibus, & piæ lectioni per festos dies habendæ, ab nostro destinati sunt. Data est insuper opera, vti Procerum sumtibus cuicuimodi octona sacella excitarẽtur ad tempus, ne plebs sacrarum ædium penuria omnem memoriã Christiani exueret, à quo iam erat iusto ampliùs aliena: quibus procurandis effectum est, vt sensim & Sacramentorum & Cærimoniarum vsus abolitus reuocaretur, & quidem apparatu, quàm fieri potuit splendidissimo, vt hic Diuinæ rei splendor in gente incultissima augustiorem venerationem concitaret. Vinnicæ, in eius oræ oppido primario, duo Socij sedem nunc habent perpetuam, vbi Catholicis sua est ædes, & ab assidua nostrorum cura Christiani ritus paullò splendidior species, quàm in regione reliqua: cui oppido cum iurisdictio

dictione imperioque, more ac nomẽclatione gentis, præest Capitaneus. Ad hoc munus euehi contigit hoc anno Ruthenici Schismatis virum primarium, cuius alienior mens ab nostro, & Catholico nomine, nec iniuria metuebatur: vnde tantò studiosiùs eum suæ causæ nostri demerendum arbitrati, capessentem & magistratus & vrbis possessionem adierunt honorificè salutatum. Nulla comitas, nulla beneuolentiæ maior significatio exspectari poterat, & quidem ab iam noto & familiari, ea humanitate vultus & sermonis, quã nostris salutantibus prætulit, quos non tam inuitauit, quã secum abstulit ad conuiuium, vbi eos inter proceres cohortis honorificentissimè habuit, atque iucundissimè. Super mensam omnes eius cum nostris sermones fuerunt ab animo beneuolentissimo, cum multa nostri Instituti commendatione, vnde id haberemus, vt in Catholicum ritum promouendum Sociorum industria vbiuis terrarum elaboraret quam strenuissimè: quam in rem ipse suam auctoritatẽ, operam, pecuniamque prolixissimè deferret, moxque aduocato rei familiaris Oeconomo nostris omnia de suo suppeditari affatim iuberet. Eodem porro tempore præstò cum muneribus ei adfuerunt sui Popi, quos nec sedere iussos, nec vlla omnino dignatione affectos, non sine contemtus nota quadam, breuissimo responso à se ablegauit, vt, ex illius in suos nostrosque præsenti studio, si rem æstimare liceat, non verendum sit, quin apud eũ Catholici quàm Ruthenici corporis longè causa sit potior. In Tartaros, Capham

ad vr

ad vrbem, vnum de nostris penetrasse, anno superiore scripsimus, cùm in Valachiensi clade à Scythis captus, & deinde abductus esset: cuius nunc assiduus labor confertur in Iacolidenses Catholicos excolendos tricesimo ab Capha milliari. Turcica sæuitia supra modum diuexatur ea omnis ora Scythica, Catholicorum plena, quorum durissimam seruitutem miseratus Deus, præsidij quiddam iis populis nuper excutiendo iugo videbatur subministrasse, cùm Pater inde ad nos litteras daret, quæ illum spes solabatur in ea rerum omnium vastitate, & futuræ aliquando vberioris messis viam, tametsi dubiam, aperiret.

ANDREAS Moraïkouici, grandi natu, sedulus administer familiarium munium, secundo anno ex hac mortali vita in aliam tanto meliorem, cum multa virtutis laude, translatus est. Omnis Podolia, cuius Prouinciæ vrbs est Camenecum, vbi degimus, magnopere vtitur nostrorum opera, non modò Camenecensis populus, cui, beneuolentissimo erga nos, omnis Sociorum labor, vt hac tota ora iucundus, ita fructuosus esse consueuit, quod & ipse Camenecensis Antistes, cum hinc ad Leopolienſem Pontificatum transiret, vltro & palam, cum honorifica nostrorum mentione professus est. Triduo toto ante Cineralia ciuitas vniuersa, & vrbi circumiecta oppida pagique, splendidissimo ædis nostræ apparatu exciti, perpetua oratione apud nos supplicarunt, Armenis etiam, & Russis cateruatim eò confluentibus, vt Podolica nobilitas suum ex ea frequẽtia, pietateque gaudium

dium profusis vbertim lacrymis palã testaretur. Ex Hæreticæ vastitatis deserto agro rediit ad Christũ manipulus capitum quindenûm, nec aberant Armeni ex eo numero, quod in hac regione sit prodigio quàm simillimum. Insani amoris œstro percita mulier magica vi sponsum procul agentem, properè sistendum, sibi pepigerat cum Saga, & iam Stygius emissarius pudicum iuuenem, & Marianæ disciplinæ studiosissimum incessebat: cuius vt acriores stimulos inpingi sensibus suis aduertit adolescens, ad nota Magnæ Matris subsidia illico animum adiecit, nec mora interceſſit, quin cælitus affusa aura Tartaream flammam obrueret. Irritæ oppugnationis acerbas pœnas sua cute dedit venefica Tyranno Acherontio, cui excandescenti videretur indignissimum, ab Mariano cliente opera tam facili, sua esse restincta incendia. Fatuæ autem amatrici sua libido impietasque permagno stetit, cui per eos dies Turcica manu captæ, biennioque vix toto vndecies venditæ, dominorum totidem contigit in dura seruitute immanitatem experiri: vnde tandem elapsa post lacessitos multis precibus ac votis Cælites, sacræ Confessionis adhibito malagmate vesanis illis ardoribus continentiæ salubres aquas denique infudit.

GEDANENSE COLLEGIVM.

QVONIAM hîc rerum potitur Hæreticus, & procul absumus ab Regia, tametsi nostram

noſtram in gratiam frequentia interceſſerint & à Principe reſcripta, & ab Comitiis Prouincialibus decreta, publicis Inſtituti noſtri functionibus prohibemur Gedanenſis Curiæ ſenatuſconſulto; operis tamen erga ciues priuatis, & publicis extra pomœrium non arcemur. De Gedanenſis plebis bene multos conſtat auctoritate Procerum, Magiſtratuumque metu teneri, quò minùs ſe dedoceri hæreſim patiantur: nam in anxiis ſuis rebus nos priuatim adit quàm libentiſſimè, conſiliis noſtrorum vtitur, & ad ſuos ægros non admittit modò, ſed euocat etiam, patiturque iis Catholicam Fidem perſuaderi, quòd noſtra remedia ſibi ſalutaria multo vſu comprobarit. Quantum porro eſt otij ab ciuili procuratione; tantumdem nobis negotij apud extraneos quotidie naſcitur, finitimis oppidis, vicis, Cœnobiis luſtrandis, vbi ex continenti cultura lætiſſimus fructus redit, & is quidem cum vberi fenore. Vtroque loco, & in vrbe, & foris, permulti abducti ab Hæreticorum conſortio, communioneque Sacrorum, ab hæreſeon labe cõplures repurgati, quorum primo anno numerus non redditur, altero autem vndetriceni recenſentur, in quibus fuere, qui ab ſuis paterentur acerbas vexationes aſſumti Romani dogmatis cauſa, inter alios æger adoleſcens lecto ædibuſque à vitrico exactus, hanc iniuriam ignominiamque, ſtudio initi cum Eccleſia fœderis, tulit patientiſſimè.

ANNO altero inter luſtrandam Diœceſim Gedanum venit Antiſtes, vbi Socios amplexus quàm aman

amantissimè, mirificè collaudauit eorum industriam excolendis omnibus agris Gedano circumiectis, sed indoluit vehementer silere nobis gymnasium & ædem sacram, Magistratus decretò tribus iam fermè annis occlusa: & quacumque potuit ratione Gedanensem Senatum ab eius decreti seueritate deducere, sed frustra, connisus est. Quę machina cũ ei non succederet, eò delapsus est commiseratione nostri, piorumque ciuium, vt templum nobis suo in suburbano excitaret, quò & ciues & oppidanorum vicanorumque propiores Sacrorum gratia ventitarent, dum se meliorum temporum aliqua ratio aperiret.

RAVENSIS AC PRÆMISLIENsis Sedes.

QVo anno primùm Rauæ Sedem fiximus, hoc eodem decessit huius Familiæ Præses, Pater Florianus Garlinski, vicenarius inter Socios, cùm vix tricesimum septimum ætatis explesset annum, longiore dignus vitæ cursu, nisi eum Deus cælo maturum euocaret. Huic homini, omnem in occasionem rectæ rei gerendæ intentissimo, dura tẽpestatis ratio amplissimũ argumentũ dedit multiplicis virtutis, interque cæteras eximiæ benignitatis in egenos exercendæ, cùm passim iacerent, vel in ipsis sterquiliniis plebeiorum fame morboque confecti greges, in quos rarissima exstarent beneficorum ciuium subsidia. Horum curam cum ipse si

ipsi sibi sumsisset Pater Florianus, cæteris Sociorum aliò delegatis, nihil omisit omnium officiorum, quibus egentium animis corporibusque meliùs fieret, submministrandis ex conquisita stipe, cibis, vestibus, tecto, ac lectica: sæpius etiam deiectis auribus ad semiuiua cadauera, putri stramento demersa, vt ne, inter bracchia humo tollentium, non procurati animam sponte fugientem exhalarent. Cui negotio studiosissimè instantem villatica paganaque Nobilitas, dum rei gerendæ gratia in vrbe versatur, frequenter obseruauit, eoque nomine ipsius virtutem suspexit, coluitque maximoperè: ciues etiam ipsius exemplo inducti consilium inierunt mendicitatis plebeiorum publico sumtu subleuandæ. In hoc pietatis stadio ardentiùs currentem bonum Patrem, ne qua pars ciuitatis operæ tam officioſę non particeps ipsi elaberetur, grauius affecta valetudo citiùs, quàm vellent ciues, putarentque, ad fruẽdam laborum coronam cælo inuexit. Præter paucos ab hæresi & schismate receptos, Statiui exercitus egregiè compressa est licentia omnis diurna nocturnaque, quà priuatis congressibus, quà concionibus nonnullis, eo argumento ad milites habitis, vt iam ipsi mirentur, quæ tandem ratio suam insolentiam adeò compescuerit.

PRÆMISLIENSIS Familia posteriore anno septenos dumtaxat ab Hæretica factione abiunxit, sed ampliores tanto Catholici nominis greges, quos, vel suum ingenium, vel assidua cum damnatæ opinionis hominibus commercia,

mercia, eò prouexerant, diuturnitate flagitiorum, vt corruptissimis Hæreticis essent peiores, diligentissimæ culturæ assiduitate ad bonitatem præsentis futuræque frugis denique compulerunt.

***

PROVIN

PROVINCIA LITVANIA.

LITVANORVM Sociorũ trecẽtena ſeptena capita primũ cenſa ſunt, illis deinde ampliùs quattuordena, Sedibus denis quaternis, in quibus Sacerdotes centum triginta tres, Magiſtri quadraginta, nonaginta Diſcipuli, Adiutores, Tironeſve reliqui, aucto ſuperiorum annorum numero acceſſione duorum ac viginti Nouitiorum, eodemque hoc diminuto denis ac ſeptenis huius biennij funeribus.

VARSAVIENSIS PROFESORVM Domus.

VICENIS quinis ſeu Hęreſin, ſeu Schiſma, tametſi altiſſimè defixũ, ex animo tandẽ auellimus, vnius quidem viri Nobilis annos decem totos obluctante contumacia, quam tandem expugnauit, ſuaſu noſtrorum ſtudioſè adhibita, veterum Pa-

trum, de Fidei capitibus mirè consentientium, multa & diligens lectio. In quorumdam flagitiosissimos numerosa iam serie annorum mores, cùm frustra detonuissent intētatæ Diuini iudicij comminationes, horrendùm fremens de cælo fulmen, quasi surdarum aurium duritia prouocatum, ita refractariorum pectora concussit; ædibus propemodùm labefactatis, vt imminenti ad vltionē Numini reluctandum diutiùs non putarent. Nostram erga se beneuolentiam, fidemque habent eo loco ciues, vt in summis suis commodis ducere soleant, paribusque studiis nobiscum certare contendant, vt nonnullis, animi quadam propensione in nos immoderatiùs elatis, suus amor exitio pēnè vertat, cùm, in subitis & periculosis valetudinis aduersæ casibus alios, quàm nostros, animorum suorum medicos sibi non patiuntur adhiberi.

VILNENSIS PROFESSA DOMVS, atque Probationis.

SINGVLARI planè veneratione celebratur, hac omni regione, Beatus Casimirus, cuius nomine insignem ædem molimur, sed, dum reliquæ partes assurgunt, in operto iam ante ac circum intimam Cellam sacro Vestiario, rem Diuinam facere occœpimus, incredibili certè ciuium, cæterorumque frequentia, vt quotquot ferè aliis in templis Diuina mysteria obiuerunt, vix vllo die Christianis officiis se defunctos putent, nisi nostra

in ædi

in ædicula quoque suas preces de integro instaurarint, ac eius lucis patronum sibi adoptarint Sanctũ Casimirũ. Huius rei gratia viam septuagesimi millium emensi duo senes, propemodùm octogenarij, quam defatigationem grauiore ex itinere contraxerant, eam sibi videbantur penitùs abstersisse post adhibitam ei Sancto piam venerationem, multò autem magis vbi se sacro Epulo refecerant, vt iam, valentissimorum instar adolescentium, alacribus animis ad longinquioris viæ spatia iteratò decurrenda se mox compararent. Tam certi opis impetrandæ procul venere nonnulli, vt votiuas secum adueherent tabellas: cùm essent vota in hac ipsa æde nuncupaturi, quo defunctis officio aliis subitò est restituta sanitas, aliis factum longè meliùs, vt integri beneficij lætum nuncium se accepisse neutiquam diffiderent. Anabaptistarum impietate prohibiti sunt pueri nonnulli, adhibendis salutaribus aquis aduersùs Hæreticam labem in tenerum pectus iam influentem: plerique item à cæteris damnatis dogmatibus, non sine multa contentione, auocati.

DECVRSO Probationis legitimo biennio Tironum vnus, Ioannes Bororesky, ægrotare ita cœpit, vt posteà numquam exsurgeret, quasi ad vnã condiscendam rectè moriendi rationem biennis piarum exercitationum ei concessa fuisset nominatim palæstra: & reuerà, toto ægrotationis tempore, omnis eius sermo, & actio fuit eiusmodi, vnde constaret, quæcumquè sors, aut longioris vitæ, aut præproperæ mortis, ipsi obtingeret, vtr

vtramvis partem esse perbene comparatum. Illustris familiæ adolescens, Societatis cupidissimus, in missione impetranda parentem difficillimum, ac diutissimè quidem expertus, eo ipso telo paternâ duritiam expugnauit, quod ad eius auertendum consilium intendebatur. Enimuerò parens, homo copiosus, nati animum suo ex sensu metiens, opimi patrimonij amittendi metu commoueri eum posse ratus, post diuturnam repulsam, graue sibi quidem esse affirmauit, ablegari ab se procul carissimum filium; quando tamen ipse vrgeat tam obstinatè, facturum abeundi, quò velit, copiam, sed non alia lege, quàm vt is apud Magistratum se abdicet spe omni hæreditatis in posterum. Itaque stipulãte patre bonorum patriorum in Iure cessionem, auctore stipulationis Prætore, filio contrà sibi restipulante liberalem manumissionem, & parente repromittente, concipitur legitimis verbis hæreditariæ abdicationis formula, scriptoque consignata in publicas tabulas refertur, quo, veluti commeatu domesticæ seruitutis iugo expeditus adolescens, & caducarum rerum omni absolutus cura, continuò in Tirocinij nostri stationem aduolauit, incredibili triumphans gaudio, tam longinquis ac incensis votis optatam ab se conditionem, tam nullo pretio sibi redemtam esse. Alteri adolescenti codex fortuitò apertus sententias aliquoties obiecerat, quibus ad Religiosum Statum inuitaretur, quæ sortes ne temere obtigisse viderentur, easdem sibi sæpe ac sæpius iterandas pu-
, iterantique frequentiùs eiusdem semper argumen-

gumenti acciderunt: quo velut cæleſti oraculo admonitus votum Religioſæ vitæ nuncupauit, ſed ſponſionem ſacram iuuenili leuitate poſteà neglexit. Huic liberalibus ipſis genialia ſtudia fidentiùs perſequenti repentinus periculoſuſque morbus incidit, atque inter decumbendum tetra ſpecies immanium monſtrorum oblata eſt, cuius vel aſpectu ipſo mirum quantum cruciaretur, vnde cùm declinaret lumina, grandioribus conſignata litteris vox huiuſmodi, VOTVM, ex conſpicua tabula illius oculis importuniùs obtrudebatur, cui comes aderat ſeuerus promiſſorum exactor, his grauiter intonans verbis: *Redde quod debes:* quod & ſe facturum ægrotus ſpopondit. Siue autem religio dilati, aut neglecti Voti, ſiue ſpectrorum horrenda facies, reſponſum ab ægro expreſſit, ſponſionemque fidei exſoluendæ; tametſi, adhibitis noſtris, iterato ſe deinde Voto adſtrinxerat, conualueratque poſt triduum, viſus eſt tamen rem minimè contemnendam haud magnopere curare. Ecce igitur tibi cælo irato immiſſus idem planè morbus, nec ita multò pòſt, quàm diſcuſſus erat, nec mitior, longè verò diuturnior, cuius vexatione ad officium reuocatus, inſtauratiua deuotione omnia ſua Deo arctiùs addixit, exemploque Beati Staniſlai perpetuam Caſtitatem vouit, vbi autem conſanuerat, animum ad Societatem, adeóque ſeipſum totum ſtudioſiſſimè appulit. Diſcipulorum cuidam inter Sodales Parthenios in menſtruorum Tutelarium ſortitione obtigit ſchedula eiuſmodi, cuius omnes partes ad Religioſum

stadium inuitabant, ac nominatim Beati Ignatij Loiolæi patrocinium, & indicta pro eius Societate oratio, quorum omnium audienda lectione cohorruit, moxque ad vberes lacrymas delapsus, cœpit cogitare apertiorem vocantis se Numinis videri voluntatem, quàm vt vlli tergiuersationi locus relinqueretur: quamobrem ex illo ipso momento adeundæ nostræ Societatis consilium iniuit. Quod institutum suum agitanti attentiùs periculosa incessit ægrotatio, quam tamẽ Beati Ignatius, Stanislausque, in subsidium ab ægro, Patribusque nostris vocati, adeò feliciter depulere, vt ab sanandi ratione miraculi species quædam non abesset, cuius sanationis exitus adolescenti fuit initium nostram ad Societatem appellendi.

VILNENSE COLLEGIVM.

VT ne in amplissimo apertoque vtilium laborum campo annuas operas integras darent tres Socij, morbus eorum, & ex morbo matura aliis, aliis immatura mors vetuit. Patri Iacobo Ienkievvikz, Lituano, sex & quinquaginta annorum inter mortales, apud Societatem tricenûm tetnûm operario bene gnauo, vna vis mortis eam palmam de manibus potuit extorquere, vt in hoc exercitu pilanorum aciem suo more non duceret. Eum multa illustriaque huius militiæ decora plurimos iam annos Sociis ac ciuibus valdè commẽdabant: duorum Aestiuorum incredibilis labor, indu-

industria, & in omnes populares caritas, procurandis lue contactis ægris, ciuitati vniuersæ non bene fructuosum modò, sed salutarem quoque fecerat: quibus in cladibus vt ne occumberet, Diuina factum est Prouidentia, quæ illius necessariam operam aliis prętereà mortalibus destinabat. Hermannus Balster, Belga, post decimum quintum annum sedulæ contentionis in administranda re familiari, postque illustria documenta omnis Religiosæ virtutis, cursum vitæ feliciter expleuit. Neque Georgio Piekielevvikz, Lituano, annorum viginti quattuor, quorum partem ex æquo tertiam discendo docendoque multa cum probitatis significatione posuerat, secus in exitu vitæ accidit, quã decursu toto contigerat, vt qui piè admodùm vixisset, cum singulari pietate occumberet. Repudiatis tandem dissentientium dogmatum alienissimis à ratione ambagibus, septuagena capita vná, & sibi constantem veræ Fidei normam amplexa. Sacrilego consilio adibat ad Confessarium vir quidam, suppressurus, quæ animum inquinarent maximè, cùm subitò linquentibus eum sensibus horas vicenas quaternas pro mortuo iacuit, horrendis interea visis cum mirificè vexantibus, quorum aspectu, quæ suarum partium in Confessione forent, est admonitus, vt redeunte deinde animo iudicioque mox sacram Confessionem summa fide institueret.

SEQVENTI anno de variarum Hæreseon lustris pręda fuére septuageni quini homines, ad Romani moris Sacra transducti. Ex agresti turba,

Christianæ legis ignorantissima, reuocati nõ pauci ab Idololatriæ insanis ritibus, quos stolida superstitio, rei familiaris tutandæ, augendæque cupiditas, Veneficorumque fraus, rudibus animis, ab Christiana disciplina destitutis, induxerat. Frequentis sacrilegij, inter sacram Confessionem admissi, mulier pœnas dabat atrocibus omnium mẽbrorũ tolerãdis doloribus, suũque scelus vniuersæ circũstanti viciniæ vltro euulgabat, ad quam cùm adisset noster, eãque ad legitimæ Cõfessionis inuitaret munus, illa fanaticæ similis, suppressa voce, exertã productiùs linguam, atra pice nigriorẽ, Sacerdoti pro responso fœdè ostentabat. Biduum, eoque ampliùs, insanienti assedit noster, monendique constantia & dexteritate, consecutus demũ est, vt dimidiatarum Confessionum integram seriem diligenter instauraret, cuius animo vt ea ratione factum est bene, corpori quoque firma valetudo rediit. Anus Festos dies seruilibus operis assueta violare, altera verò parte corporis capta inutilem pænè alteram sentiebat, vt ei dubium esse non posset, damnari, multarique in ea neglectæ Religionis flagitium: cui vt persuaserat noster, se iuberet asportari ad proximam Virginis Matris ædem, vbi Deum venerata, noxæ veniam postularet, nuncupatis eo loco votis, planè conualuit.

BRAVNS

BRAVNSBERGENSE COLLEgium.

PATRI Roberto Abocrombio, Scoto, octogenario, extrema vitæ clausula cupidè præstolanti, priore anno exeunte, obtigit. Eum olim Pater Laïnes Romam Tridento ad Tirocinium ablegarat, dignum eius temporis Magistrorum in Religiosa disciplina discipulum futurum. Prima Colonia de Romano nostro comuentu in Polonicum regnum deducta, sedes ei obtigit Braunsbergæ in Prussia, Pontificiæ iurisdictionis vrbe primaria, in rebus Fidei grauiter nutante, qua in Familia tres & viginti annos industriam suam, & fidem, administrandis nostris muniis, maximè verò Tironum contubernio, fructuosissimè commodauit. Cracouiæ nostrorum Tirocinio initia dedit feliciſſimè, ac iis institutionibus informauit Nouitios, vt eorum disciplinam iam tum suspiceret vniuersa ciuitas, noster deinde Ordo vtiliſſimam omnibus suis gerendis muneribus experiretur. Vndeviginti annos posteà versatus in Scotica Missione, præter diuturnum carcerem, infinitum sit recensere, quàm grauibus ærumnis vexatus, quantum salutaris frugis coegerit ex oppressis dira tyrannide Catholicis. Edicto Regio pronunciatum librarum decies mille præmium ei, cuius opera Pater Robertus comprehensus Regi sisteretur, plurimorum animos ad eius conquisitionem prouocauit: quæ tamen denunciatio, &

secutura comprehensionem supplicia, hominem non abstinuerunt, quò minùs toto regno sacris animorum venandorum expeditionibus incumberet. De Scotica Nobilitate, Ordinibusque cæteris, numerosos greges, vel in Fide vacillantes affirmauit, vel iá deprauatos abduxit ab Hæresi. Certis indiciis cùm aliquando eum deprehendisset Minister Hugonoticus, in ædibus ciuis cuiusdam, & inuentæ prædæ indicium palam fecisset, maximo tumultu eò accurrêre Fratereulorum venaticæ cohortes, quasi ad votiuam Romani Sacerdotis viscerationem, illo interea in carioſæ arcæ vacua per domesticam trepidationem abdito, cuius, seu non animaduersæ, seu sponte præteritæ, latebras nemo scrutatus est, cæteris ædium angulis omnibus perdiligenter exploratis. Ea porrò defunctum quàm laudabilissimè prouincia, ad tam arduos labores non suppetentibus deinceps viribus, Braunsberga eum recepit, clarumque rerum gestarum, & sanctimoniæ præconio in Cælitum choros, patronum sibi olim futurum, allegauit. Vicenis ternis, Hæreseos expresso veneno, salutarem sinceræ doctrinæ succum feliciter infudimus, vt eorum vni adolescenti, Lutheranis parentibus copiosis nato, nullæ suorum acerbitates, etiam trahenti animam, Romanæ Fidei studium, professionemque potuerint extorquere, aut vetare, quo minùs, Catholico more procuratus, piè defungeretur.

SECVNDVS annus pares prioris anni exuuias de Hæretica Hydra sibi decerpsit, tribus ac vicenis hominibus de Lerna illa traductis in amœnissimos hortos Matris Ecclesiæ.

PVLTOVIENSE COLLEGIVM.

QVOD Vilnensibus ciuibus triennio ante acciderat, vt sua vrbs tota funesto incendio deflagraret, nosque in communi calamitate priuatam experiremur, idem Pultouiensibus, ac nobis etiam obtigit hoc anno, vnius horæ nō diuturniore flamma vniuersa vrbis in cinerem redactis ædificiis. Tam repentinus incendiariæ cladis impetus præripuit nobis, vel diligentissimis, subtrahendi ex subitario ædium busto instrumenti domestici magna ex parte facultatem: quæ domus stragis ab medio Augusto ad ineuntem Nouembrem tenuit, cùm, reuocatis frequentissimis discipulis, Gymnasij sollemnia munera instaurauimus. Quod vt possemus, alioqui viribus nostris alienissimum, fecit propensissima in nos Antistitis Pultouiensis beneuolentia, effusaque liberalitas, assignatis Familiæ nostræ in quadriennium Seminarij sui vectigalibus, instauratoque hac causa ædificio: ad cumulum verò amoris & benignitatis, cùm inaudiit cogitare nos laxiores Collegij de integro statuendi sedes, vltro adiecit, si solido auro essent fundatæ ciuium ædes, perfecturum se tamen, vt opportuno nobis loco cederent: quamobrem liberè inspiceremus, referremusque ad se, quæ vrbis regio nostris vsibus esset maximè idonea. Vrbana hec nostra calamitas veterē, & cum ciuibus communē, rusticanæ rei labem excepit, qua nos pridē multare

cœpit

cœpit coniuratarum cohortiũ violétia, quarũ tota regione graſsãtium furore immanis infertur agris pagiſque vaſtitas; vt eis quà prece, quà pretio demitigandis, quæ prædiis noſtris villiciſque infeſtæ ſolent eſſe, omnes ferè Collegæ poſſint occupari.

POLOCIENSE COLLEGIVM.

TRES Polocia Socios hoc anno abſumſit, eorumque primum Patrem Gregoriũ Tolſcziik, quadraginta & ſex annorũ, viginti quinque apud nos Aeſtiuorum valentiſſimum militem, cui ſumma oris, omniſque actionis modeſtia venerationem, gratiamque bene multam conciliaret apud exteros, domeſticoſque in primis, quibus virtus eius intima; cum ea compoſitione conſentiens, eſſet perſpectior. Blaſio Iodovvicz, vndetricenario in Societate inter mortales duodeſexagenario, tãto exploratior probatiorque fuit Religioſę vitę ratio, quòd vna fermè in Familia laborioſiſſimè sẽper exercuit pensũ Oeconomicę procurationis, cũ pari pietatis ardore, vt eum immodicæ contentionis diuturnitas ad ſemeſtrem Paralyſin, extremamque vitæ metam adegerit, qui eadem ſeu patiendi ſeu agendi alacritate perpetuò vigeret. E Tironibus N. Kraïeroskij exceſſit, recèns è Rhetorico Gymnaſio, ſed paucorum menſium conſuetudine nobis cognitus iis virtutum eximiarum argumentis, quæ ſpem facerent inſignis ſuo tempore ſanctitatis. Ab Schiſmate nouem, tres ab Caluiniſmo recepti.

Foris

FORIS ab incursante Moscho, ab indigena milite domi grauiter turbatum est, altera parte biennij, atque hoc militari tumultu prohibiti sunt nostri plerumque suis muneribus fructuosè obeūdis. Octo Caluiniani poculi propinatum olim toxicum cum horrore despuêre, inter quos censeri quoque voluit Ministelli filia, & altera claro genere, grandique natu mulier, cui ab infantia diuinitus subiiciebantur stimuli ad veritatem Fidei capessendam, ea tamen contumaciùs obnitente, quoad grauiter affectæ valetudinis telum potentius eius duririam perfregit. Ruthenici Schismatis inanitatem edocti sexaginta, caput & interpretem Religionum eum agnouere, quem vnicum in terris Christus esse voluit.

NIESVISIENSE COLLEGIVM.

QVATTVOR ægrotis repentinam sanitatem ex diuturna ægrotatione peperit, magno cōsciorum omnium stupore, adhibitum sacræ Confessionis pharmacum. Veneficiorum vsu, inter agrestes homines longè familiarissimo, graui religione iniecta, prohibiti plus ducenteni homines, atque in his veneficij docendi magister ipse, exercendíque auctor, quem in genua nixum apud Sacerdotem, Confessionis gratia, Erebo allegatus interpellator inde abduxit, noster tamen deinde in priore instituto confirmatum Pœnitentiæ piaculo pristinis sceleribus absterſit. Græcanico ab

diuor

diuortio abstracti sexaginta Romani Pontificis iurisdictionem subiuere: concessere autem in Catholicorum castra sententiámque magno numero Hæretici, sed quod mirum sit pro insita obstinatione, quattuor Caluiniani eis se comites addidere. Religioso die cùm nescio quid operis faceret mulier, leuiter digitum conuulnerauit, quam plagam tanti esse non censuit, vt curationem poscceret; verumtamen cùm ad plagulam dexteræ Sacer Ignis accessisset, occupata mox tota scelerata manu, feminam impiam, stupentibus familiaribus & notis, triduo ipso enecauit.

VELOCIVS fuit, altera parte biennij, Diuinæ animaduersionis telum, acerbiúsque pro tempore, in virum Nobilem, Christiani negotij malè gerentem, iniquum prætereà omnis religiosi moris, pietatísque censorem. Is post pocula inuitatus in templum ab amico, illico excandscit, amicúmque ac sacram ipsam ædem, iubet ire in malam rem: dein cœpit tantum probrorum ore impurissimo effundere in res pias, vt audientium animi exhorrescerent. Salubris vindictæ calamitatem Deus non distulit, vnde hic aliíque Numen reuereri condiscerent suo periculo. Illa ipsa luce flagitiosi hominis caput inuadit tam acerbus dolor, vt eum de statu mentis pænè deiiceret: cuius doloris accessio longè etiam infestior, immane vlcus erumpit illico è maxilla, indéque momento proserpit in fauces, earumque intima sic obstruit, vt esculenti poculentíque nihil transmearet. Sensit præsentem vim Numinis, & reformidauit, homo

mo procacis linguæ, ingeniíque proterui, qui paullò antè, intempestiuæ libertatis æstu proiectus, cælum, superósque conuiciis lacesseret: extemplo vocat nostrum Sacerdotem, & altè concepti doloris luculenta testificatione, multorum annorum noxas per sacram Confessionem retegit, certus vitæ religiosiùs componendæ in posterum; neque Diuina Bonitas corporis supplicium vltra protulit, quàm vt animo rediret sanitas: nam subitò ab Confessionis obito munere omnis remisit ægroti dolor, postque paullò ipsum etiam apostema planè discussum est. Alteri cuidam oculos insederat ignotus morbus, & ex eo deinde orta cæcitas hominem, grauium culparum sibi conscium, sic luminibus orbauerat corporis, vt mentis aperiret lumina, vnde dispiceret, huiusmodi tenebris infligendis, repeti ab se pœnas criminum diuinitus. Eapropter init consilium ædis nostræ adeundæ, vnam verò leucam aberat, vt, accuratissima Confessione obeunda, Deum animo suo propitiet, quam inter deliberationem, necdum iter ingresso, quod cogitauerat, offusa est cælitus orbis ipsius oculis, non tantum animo, clarissima lux: quod tantum beneficium, vt eò illustriùs Deo sibique gratularetur, gaudio exsiliens, ad nos euestigiò properauit, fœdásque ac veteres sceleratæ mentis exuuias, multa cum pristinæ vitæ detestatione, posuit. Ducentos & duodetriginta sectarios Caluinianis Ministris, Ruthenicis Popis viginti & quattuor subtraximus.

RIGEN

QVA domi, quà foris de Caluini ac cæterorum loliaria segete frumentariæ spicæ decerptus est centenarius vrcenarius manipulus. Coniugum centena quadragena septena paria, ritu nullo, non legitimo sociata, ad sollemnes Ecclesię cęrimonias reuocata denuo, & ritè coaluerunt. Lutherano Catholicæ puellæ nuptias ambienti erat facile polliceri, copulatam sibi Romanis moribus & Sacris sponsam, in anita Fide profitendæ suæ spontis apud se futuram: sed facilius itidem fuit, datam fidem Deo, & affinibus, fallere, vt Luthero Caluinoque sua religio est in partes omnes versatilis, quà se aperiunt commoda. Recens nimirum ab eius pactionis dicto sacramento, auspice auctoreque Prędicāte, nuptiarum sollemnia celebrat, securus infortunij, quod imminebat negligenti fortasse in tuendo Catholico ritu coniugi suæ, quam, per idem fermè tempus, messoribus in agro adstantem, vehemens turbo sublimem abripuit dimidiatoque inde milliari exportatam in palustres lacunas abiecit semimortuam, vbi solidum triduum sensibus defecta iacuit. Eam paludis accolæ cũ extractã è cœno, velut è sepulcro, detulissent domũ, nosterque aduolasset curriculo, deprehendit viribus imbecillimam, maximeque perturbatam, cui vt persuaserat Sacramẽtorum vsum, & ei volenti adhibuerat, mox ei roboris quantum vmquam habuerat, & animi liqui-

da tran

da tranquillitas est restituta. Suadebat noster Sacerdos mulieri, vt suppleri pateretur in sua prole sollemnes Baptismi cærimonias, quibus eam Minister Hæreticus non affeciisset, perperam à matre adhibitus ad lustrandum infantem: quibus verbis offensa iræ impotens mulier, iactatis in Sacros ritus scommatis, ac maledictis in Sacerdotem, eum malam in crucem cum suis cærimoniis adscititiis abire iussit: nec triduo tardior insecuta est impietatis pœna, eodem puero, adhuc trimo, collabente in puteum, vnde non emersit.

Anno altero sex & quinquaginta Hæresin dedidicêre, lubentesque posuere. Ministro parente nata mulier, in acerbissimis puerperij doloribus, passa est ab nostro Sacerdote sibi virus Hæreticum detrahi, spe felicis partus, quem & confestim est consecuta: sed pactorum conuentorum posteà immemor, non modò ad veteres sordes rediit, sed coniugi, Catholica Sacra iam capessenti, propemodùm auctor fuit, vt ab præclarè cœptis desciscêret. Sed feminæ ingratæ, contumaci, ac impiæ sub illud tempus improuisa iuxta & acerba incessit ægrotatio, quæ refractariam ad extrema vitæ malorumque deduceret: quibus meritò conterrita eumdem Patrem exciuit, professa, sibi nunc certum esse ad Romanam Ecclesiam sincero animo redire, in eius sententia viuere perpetuò, ac emori, cui, triduo quàm noster Catholica Sacra fuerat impertitus, est reddita sanitas, quam vt Numini luculentiùs acceptam referret, proximo Palmarum die, publicè in æde sacra cum suo coniu-

ge, cæleſtis epuli menſæ accubuit. Magicorum maleficiorum comperti ciues quinque de ſuis nocturnis conuentibus horrenda prodidêre: ſed de eo, quem habere conſueſſent Rigæ, ipſo in Caluinianorum fano, quod olim ſacrum erat Beatæ Virgini, nunc impietate Hæretica exauguratum, enunciarunt eius generis non pauca, vt tam familiari, frequentique communione templi ſacrorúque, ſecum ab Veneficorum vniuerſa tribu, eiuſque antiſtite Diabolo, tam ſtudiosè affectata, vehementer attonitos eos ſuæ conditionis maximoperè pœniteret, puderetque. Regium ſolum ſublimis inſidens, humana ſpecie, frequenti circumſiſtente epheborum corona, ſerico pulloque Regis regiorumque puerorum veſtitu, Erebi germanus ſęuum inibi exercebat imperium in deuota ſibi diro ſacramento capita, iuſſa quippe ſingulatim, & palam recenſere quot, quamque diras peſtes in corpora, familias, pecora, ſata, & reliquas fortunas quorumque mortalium intuliſſent. Referentibus autem ſingulis plura grauioraque de ſe facinora, quàm potuiſſent edere, nihilo tamen minùs erant de toto conciliabulo acerbiores Tyranni querimoniæ, quòd Liuoniæ leuiorem, quàm pro eius odio, intuliſſent vaſtitatem; quam ſi acriter exaggerare deinceps pergerent, apud Inferos pollicebatur delicias infinitis partibus cumulatiores iis, quas cælo affingere ſolent Chriſtiani. Interrogati porrò veneficiorum rei, quidni conuentus agerent in Catholicorum templis, reſpondebant eorum ſe ingreſſu prohiberi Diuinæ Hoſtiæ

poten

potentissima virtute ac, respectu aquæ lustricæ: quarum rerum cum ne vmbram quidem haberent Hugonoti, non arceri posse ipsorum fanis, sed ad ea potiùs allici multa similitudine ingenij, rituum, ac doctrinæ, qua vtriusque partis valdè conciliarentur animi. Hæc, aliaque huiusmodi, publicè à veneficis, & secundùm ipsum supplicium, Hugonotorum plurimis sui suæque sectæ pudorem, ac Caluinismi horrorem incussere, vt eo deinceps abstinerent.

DERPATENSE COLLEGIVM.

IN præteritarum cladium bustis, fermè adhuc fumantibus, septem de nostris, exigua manus, pro commissi agri vastitate, incolimus, multamque in eo ponimus operam, vt ciues exterique se ab nobis volentes patiantur iuuari. Toto certè hoc tractu diuturna Hæreticorum consuetudo ingenerauit in Catholica plebe incredibilem Diuini cultus, Christianæque disciplinæ contemtum, sed duritiam animi, cæcitatem, stuporemque incomparabilem, vt vix eam possit afficere cælestium præmiorum, aut æternorum suppliciorum cogitatio. Ea scilicet vis est prauæ consuetudinis, vt pessima quæque, longo tandem vsu, boni speciem quamdam induant, quæ assuetudine sui adeò fallat incautos, vt recti prauique seu confuso, seu sublato discrimine, faciendi de apertis rebus iudicijeis adimat facultatem. Præter insitam plebeiis

ſtuporem : Curionumque vel paucitatem, vel in rudium inſtituendis animis inertiam, quòd Caluinianis pronunciatis eiuſmodi pridem perſonarét omnium aures, quibus ſuaderentur, cuique mortalium ſuo in dogmate certæ ſalutis rationem eſſe conſtitutam : non fuit mirum in eam opiniorem rudes homines eſſe delapſos, vt promiſcuè Catholicum Hæreticumque ritum vſurpare ſe iure arbitrarentur. Huic rituum, ſacrorum confuſioni, ſeu rerum Diuinarum potiùs ſacrilegio abolendo, noſtri, & in vrbe, & extra vrbem, ſingulorum familias ſibi luſtrandas ſumſerunt, & reipſa luſtrarunt, vt diſſimilium rituum diſcretis vbicumque capitibus, ſui muneris quemlibet de familia ſeriò admonerent : Catholicorum nempe ſingulos, ne vlla ex cauſa in ſacris rebus, cum alieni dogmatis hominibus communione vel leuiſſima illigarentur : Patres verò familiæ Hæreticos ſui iuris eſſe paterentur quemlibet de ſuis Catholicum, in profitenda fide. Feliciter ceſſit plerumque noſtrorum hæc diligentia, vt herorum in famulos, patrum in liberos ſeueritas remitteretur, & eos deinde ſuis ſinerent viuere ritibus, perſuaſi Patrum noſtrorum ratione, qui dicerent, non vi, ſed perſuaſionibus, res Fidei eſſe tractandas. Antea certè ſeu filij ſeu famuli Hæreticorum, tametſi Romani ritus eſſent, ad Miniſtrum adigebantur nuptiarum iungendarum gratia : iam verò præcisè negant, ſe Paſtoris Hæretici vſuros opera, qua conſtantia euincunt, vt ſuæ coniuges, rituum noſtrorũ ſanctitate delinitæ, & adactæ occulta vi, ad eorum

rum professionem voluntariam transeant. Lutherana mulier libenter audiebat conciones nostrorum, cui magnopere arrisit, quod aliquando exceperat de colendo ieiunio, vt mox consilium caperet eius adhibendæ medicinæ ad sedandos alui cruciatus intolerabiles, quibus frequentissimè vexaretur: ea igitur causa vouet perpetuũ dierum Veneris ieiunium, quo nihil ad cibum esset additura præter panem, & frigidam, raphanum & salem, quo medicamento vsa, primo ipso die ventris illos immanes dolores penitùs exstinxit, ac deinceps ieiunij religionem colit diligentissimè.

Quantum malignæ cæcitatis, præfractæque obstinationis eorum pectoribus infundat Caluinismus, quos semel insederit, superiorum annorum, sed secundi huius experientia maximè didicimus. Oëstonum animi, quorum in finibus est Derpata, natura sunt ad pietatem propensissimi, sacrarum rerum indigenæ cupidi, ac reuerentes quàm maximè, vix vt cogitari possit, non tota modò Polonia, sed Europa etiam, religiosior populus Oëstonum gente vniuersa; quibus id accidit, quod sapiens quisque facilè coniiciat, vt naturali hac inductione mentis erga Diuinũ cultum occupati, quidquid religionis specie aliquando combiberint, in eo tenacissimè adhæresçant. Derpatensium ergo ciuium plerique Caluinismi tetris erroribus implicati, tametsi proximorũ annorum iis vexati calamitatibus, quas nemo, nisi sponte cæcutiens, dubitarit, Hæreticorum vlciscendis immanibus sacrilegiis è cælo inflictas, perstant tamen in Hæ-

resi, vana illa sanctioris adepti Euangelij opinione ipsos illudente, nostrosque labores in se colendis, ferè irritos in hunc diem esse sinunt. Quãobrem, ad rusticanæ plebis institutionem traductis operis, villas, agros, siluas obimus continenter, ingenti agrestis multitudinis ad solidam pietatem progressu. Nostris gregatim prodeunt obuiã, ac velut cælitus missos ad se nuncios, summa excipiunt veneratione, mox verò, antiqua gentis consuetudine, poscunt sibi Apostolos designari, hoc est, Tutelarem è Cælitibus aliquem, cuius se custodia septos velint, cuique honorem solent habere singularem, ac nominatim, pridie Natalis eius, domesticos accipiant cœna lautiore, ipsum autem Natalem colant sanctissimè. Secundùm hanc petitionem sunt & alia religiosarum rerum postulata, vt sacrorum Agnorum, & huiusmodi, quorũ apud eos est veneratio suprà quã credi potest: tum prolatis sale, aqua, & variis frugibus, poscunt in hæc omnia Sacerdotum ex Ecclesiæ ritu faustas precationes, quibus impetratis, nihil sibi, rebusve suis, funesti vel à mortalium quoquã, vel ipso ab Orco solent metuere. Ac eorũ quidem religiosę Fidei, Deo propitio, respondẽ teuentus felicissimi, vt quidquid morborũ, quidquid aduersorũ casuum ab Cacodæmone, ac Veneficis, ingruat, his amuletis instructi ab se nullo negotio amoliantur Sacerdotes omnes, & in iis nostros præsertim, vt aliquem Cælitum, pro ea muneris dignitate, qua norunt eos fungi, Christi obeunda vice in Sacrorum procuratione, reuerentur, & res quaslibet,

ipso

ipsorum contactu, Sacræ dignationis quiddam sortitas esse autumant. Fenum quidem, nostris Sacerdotibus apud se cubantibus substratum, studiosè à reliquo secernunt, &, æquis per singula capita portionibus, pecori suo sospitando diuidunt, quoniam, inquiunt, Sacerdos super id pabuli & quieuit, & orationes fudit. Erga Diuinam Hostiam Oëstones feruntur religione incredibili, qua vna illecebra reuocantur ab Hæresi, maximè vbi deprehenderint, in Hæreticorum frigida Cœna, præter profani panis buccellam, nihil subesse, aut subesse posse. Eiusmodi turundæ gustatu, quòd nemini vmquam mortalium ab ægrotatione factũ sit melius, Romani verò moris Eucharistia piè vsis, quòd suorum plerisque restitui quotidie amissam valetudinem obseruant, id verò argumenti habẽt instar omnium, cur dubitare neutiquã possint, stare ab suis partibus veritatem: Caluinianosque, ad edendum Diuinæ alicuius efficacitatis quidpiam ex suo arcano panariolo, audacter, & cum ludibrio, prouocent. Sanctos, cælo fruentes, Catholicorum omnes Curiæ, secundùm Deum, piè colunt, suique cultus vberes vsuras à Beatis solent accipere: quamobrem, qui sunt in potestate Hæreticorum Satraparum, studiosè ipsorum gratiam demerentur, vt iis lubentibus Beatorum sibi liceat Natales feriatos ducere. Eius autem ritus Dynastarum vnus, cum rusticani conuentus postulata in eo genere auersatus, veniam non daret Beato Laurentio festum diem religiosè traducendi, prætereaque cum stomacho subiungeret, fe-

riarum nihil deberi Laurentio, cuius dignitate sua dignitas esset vtique augustior sanctiorque. Sub idem verò tempus, intimis in horreis impij Satrapæ, ignis, occulto casu conceptus, paucis horis frumentariam eius annonam planè corrupit: vnde rustici didicere, quem Cælitum auertendis incendiis piè solerent appellare, Diuinæ ipsorum atque suæ iniuriæ vindicandæ, vltricibus flammis aduersùm barbaram impietatem iustissimè fuisse grassatum.

LOMZENSIS SEDES.

LIGNEO adhuc temporarioque sacello vtimur Lomzæ, dum opportunius ædificium Deo colendo, nobisque collocandis, apparatur, religione tamen floret nostra ædicula quàm maximè, vt quotidiana ferè votorum nuncupatione ac solutione celebretur à ciuibus. Quatruor matronæ nobiles, partus acerbissimis cruciatibus triduum vexatæ, concepto Eucharistiæ in ea ædicula sumendæ voto, mox omni dolore absolutæ peperere feliciter: totidem aliæ item primariæ fœminæ, in grauibus morbis, eodem vsæ remedio, pari euentu conualuerunt. Ciuitatis porrò vniuersæ tam propensum est in nos, & nostra omnia studium, vt sperare liceat, in tam bene affectos homines nostram operam vtilissimè collocatũ iri.

ALTER annus initium dedit Lomzensi Collegio, felicibus vtique auspiciis Premetensis nu-

per

per Abbatis, eiusdemque nunc Episcopi Camenecensis, cuius munificentia huic familiæ attributo prædio annuorum florenorum plus vicenûm millium, iusta nobis vectigalia in perpetuum sunt cõstituta. Ineunte Quadragesima tridui supplicationem instituentes nostro in sacello, admirationem concitauimus rei nouitate, nihilque prætereà primo die; altero autem vnus dumtaxat, sed è primaria nobilitate vir, se palam omnibus Diuinis imbuendum mysteriis obtulit, cuius auctoritas ad id valuit, vt paris conditionis homines aliena suis moribus & officio facturos se putarent, nisi Christiani facinoris locupletem auctorem imitarentur: tertia igitur die, principes viri frequentes apud nos Sacra obiuere. In plebeios quoque peruasit horum dierum religio, vbi rem perpenderant attentiùs, vt fuerit caupo, qui è taberna sua potantium greges exigeret, seuerè in hæc verba præfatus: Aliàs fortasse, sacris etiam diebus, apud me vobis fiat vini copia: nunc verò Lomzæ id sollemnium mysteriorum genus institutum est, quod nefas sit vestri moris potationibus inquinare. Religiosa autem Parasceues luce, & Parentis nostri Natalibus, ciuium bene longus ordo ex æde nostra prodiit in gemina vrbis templa, totóque itineris productiore tractu flagellis terga mulcauit.

ORSSENSIS ET PLOCENsis Sedes.

HARVM Sedium prior Hæretico gregi septenos de suis, Schismatico denos his plures abstulit. Matronæ Catholicæ stolidus in coniugem amor suaserat, vti cum eo secessionis fieret particeps, cùm secundùm hanc impietatem in eius oculos eiusmodi lippitudo inuolauit, vnde ipsa cęcitas fermè nasceretur: grauitas porrò tanta pedum, ac deinde imbecillitas secuta est, quæ statum gressumque inhiberet. Nihil alio admonitore fuit opus, vt imprudens femina intelligeret, se Diuina vltione sacrilegij ream peragi: cui calamitati ab se depellendæ, vouet reditum in Romanam Ecclesiam, eóque nomine adit nostram ædem, vbi, Sacramentis expiata, vtrique morbo amoliendo efficax accersiuit amuletum. Altero anno triceni vel ab Hæresi, vel ab Schismate nostris hortatoribus desciuere. Absente Duce, in geminam factionem discesserat exercitus, iam iamque concursuris tubarum tympanorumque cantus animos iramque acuebat, cùm è propinquo nostri aduolant, in medias irrumpunt acies, dereptisque tubis & tympanis è canentium manibus, ac interposita ea oratione, cuius copiam faceret tumultus, reconciliant gratiam pugnantium factionum. Constabat exercitus cohortibus Catholicis Hæreticisque promiscuè, æquè tamen vtrisque partibus gratissima opera nostrorum accidit, vt omnium

nium centuriarum suffragiis, ac Hæreticarum nominatim, postularentur de nostris Patribus, qui, fouendæ militari Christianæque disciplinæ, in castris essent assidui.

PLOCENSES nostrę operæ suâ prouinciâ gerũt eo minore molestia, lætiore ac vberiore fructu, quòd Hæreticum semen eo in agro raras stirpes egit, qua de paucitate nouem etiam reuellerunt, vt infirmæ iam factæ sint reliquarum fibræ. In excolendos igitur Catholicorum animos strenuè iucumbitur, & constat pretium operæ, in optimæ indolis populo, & Instituti nostri amantissimo, quorum piis studiis, vt ne faciamus satis, prohibemur Sociorum infrequentia.

KROZENSIS, SMOLENSCENSIS, ac Vendensis Sedes.

SAMOGITIAM vniuersam animo complexi, totum iam sexennium Krozis in assidua statione sumus, vnde, pro tenui copia operarum, excurrimus longè lateque, opportuniorem interea sedem explorantes, quam huius oræ Antistes nobis assignat Verniis, apud Aulam Pontificiam, alij locis aliis, pro suo quisque ingenio. Caluinismi laqueis tres ac triginta, Arianismi vnus sacrilegio expediti: Hæreticæ mulieri, ad nos simulato studio Confessionis adeunti, vt eius ritum in suorum conciliabulo posteà illuderet, Diuina benignitas animum derepentè sic immutauit, vt

praui

praui consilij noxiã complurium horarum vberrimis lacrymis, in ipsa æde, omnibus palã, expiaret. Infamis Idololatriæ altè adhuc impressa vestigia, in agresti, & ignorãtissima Christiani ritus, multitudine, locis aliquot aboleuimus, demirante primùm rudi plebe, receptum pridem suis in pagis Sacrorum morem à nobis tantopere condemnari, ac deinde, cùm errorem dedocta esset, sanioris disciplinæ ritum sibi nobisque vehementer gratulante. Fuit vbi, maiore vi fugatis agrestibus Sacrificulis, sacrilegiis inquinatissima esset ara funditus conuellenda, prohibendis anniuersariis cruentarum pecudum victimis, quibus se numerosæ Deorum decuriæ barbara plebs litare crederet, vbi laniati viuentis agni lacera membra concremasset. Viri nobiles quindecim à Caluini strophis vindicati, Catholicorum animum ritumque induêre.

SMOLENSCVM anno huius sæculi duodecimo sibi Regiis armis ereptum Moschi doluêre grauiter, biennio igitur pòst amissum recepturi, acerba obsidione nos vexauere, vt cùm ciuis militesque diuturna iam fame pressi commeatu vndique intercluderentur, deditionem denique cogitarent, vbi cibariorũ nulla spes ampliùs affulgebat. Quod in eiusmodi ciuiũ angustiis nostrarum erat partiũ nihil publicè vel priuatim est omissum. Ardentium verò precum machina, qua potentior nulla est, aduersùm calamitates vltimas, intentata est constantissimè, vt ea se victum Deus videri voluerit. Enimuerò res ciuilis militarisque ad desperationis extrema pænè redierat, cùm Regij

exerci

exercitus ſummus Prætor per medios hoſtium cuneos, deiectis ipſorum munitionibus, valida manu ad nos penetrauit, ampliſſimoque ciuitatem refecit commeatu. Per eas etiam obſidionis aſperitates, duodecim paſſi ſunt Hæreſim ſibi auelli ex animo, Schiſma autem viginti: ciues porrò vniuerſi, præſidiariique, ac in his clariſſimi quique, cum aliàs ſemper, tum præſertim ab egregiè nauata ipſis obſeſſis opera, nos amant, coluntque magnopere, ac in oculis ferunt.

VENDÆ inter Lotauos, populum mirè factum ad pietatis ſtudia, fructuoſiſſimè operam collocamus, longè fructuoſiùs poſituri, ſi plurium Sociorum adeſſet copia: frequenti tantùm doctore opus eſt, ingeniis ad diſciplinæ flexum cera mollioribus, quibus hoc ardentior ſit ad condiſcendum ſollicitudo, quòd decennì bellico tumultu ſe fraudatos pia inſtitutione, ingenti ſuo damno, agnoſcunt. Centeni & quinquageni, deterſis fœdis Hæreſeon maculis, eamdem religionum palæſtram cum cætero Catholicorum grege ingreſſi. Ter huius ſæculi anno decimo quarto, iſtius gentis aliquot hominum millia peregrè duximus ſupplicatum, quorum ea fuit toto itinere ad eximiam modeſtiam pietatemque compoſitio, vt caſtellanis, vicaniſque paſſim prodeuntibus, peramanterque excipientibus, ad idem ſacræ exercitationis ſtudium exemplo inflammatis gratiſſimi gaudij lacrymas eliceret. Fuere in triplici ea peregrinatione obeundorum Sacramen

cramentorum cupidissimi, tolerantissimique aduersarum tempestatum, vt siue in oppidis, siue in agris, sub dio cubuerint ternis quaternisque continuatis noctibus, & cælo interdum maximè pluuio. Cùm ad Beatæ Virginis precantium aciē ordinata issemus, omnis supplicantium ordo religionem animi sui erga Magnam Matrem, luculento documento declarauit, qui nefas sibi putauit sacram ædem subire, quin ipso genuū nisu, ardente in manibus cereo, ter eam, venerationis gratia, circumiuisset, vbi & concionem exciperet auidè, & Sacramentis sanctissimè defungeretur. Fatigationis penitùs expers genus hominum putares, obeundis huiusmodi cultus Diuini muneribus, quos longa & difficilis via, cantus, inedia, nocturnus diuturnusque imber, insomnia, non sic afficerent, vt non accuratè otioséque omnia pietatis officia obirent in templo, suum in oppidum regressi, priùs quàm curandi corporis, aut lustrandæ familiæ, vel cogitationem dumtaxat admitterent.

***

PROVIN

PROVINCIA FRANCIA.

FAMILIIS decem & octo, Sociorum capita sexcentena octona censuimus, hoc medio biennio; eodem exeunte, illis amplius vicena terna, vndeuiginti domiciliis: quorũ toto biennio interiere quattuordecim, centum & tres ad nos aliunde aduenére.

PARISIENSIS PROFESSA Domus.

INSIGNES Missiones duas prior annus peperit, quarum alteram Statiuis, vrbanisque castris contra ignorantiam impietatemque positis, campestribus excursionibus frequentem alteram administrauimus: vtramque affirmandæ Religioni ac disciplinæ Christianæ, Caluinismoque & corruptelæ morum infirmandis fructuosissimã. Duos Patrum Cardinalis Perronius lustrãdæ Senonẽsi diœcesi, cui iurisdictione Pontificia præest, destinauit,

qua obeunda trecentos pagos supra vrbem, Archiepiscopi sede illustrem, Euangelica semente conseuerunt, incolarum omnium singulari fructu gaudioque. Sacerdotum vnus, Lingonas euocatus, Caluinianæ perfidiæ arcem ipso statim initio cum inuasisset, deiecisserque, cætera omnia deinceps habuit longè procliuiora. Errorum fautorem doctoremque, Ministrum scilicet, disputatione aggressus, spectatibus primariis viris, ita exagitauit, abiecit, fregitque, tam luculentis probationibus Romanæ Fidei veritatem demonstrauit, vt ex assessorum corona vir nobilis exclamaret, ea doctrina, quam noster explicaret, nihil esse, nihil fingi posse liquidius, cuius ad tam apertam lucem hauriendam, si quo suo fato in Hæresim esset delapsus, videatur sibi necessariò fuisse accursurus. Illustri loco perpetrata falsitatis conuictio, Caluinismi hinc supinam fatuitatem, inde malignitatem incredibilem, longè lateque prodidit, & afflixit: Lingonensium quosdam, Hæresis clandestina labe contactos, occultæ pestis exitio absoluit: vacillantium in Fide animos confirmauit: ex cõtumaciss̃imæ peruicaciæ adolescentis animo Caluinianum toxicum, intimis conceptum visceribus, cũ priuato congressu doceri se non pateretur, tandem aliquando expressit. Alter quoque tetrum Hæreseos spolium excussit, quod ei adhuc puero inductũ fuerat, cuius probri damnique grauis accessio facta erat perpetua Stygij monstri per importunissimas illusiones vexatio, qua eius animo illata fax sinceri dogmatis eum derepentè vindicauit. Tre

uit. Tertius, pretio conductus Caluini discipulis sacramẽto dixerat, octauumque iam annum, atrociter eum torquente proditoris animi conscientia, diram seruitutem seruiebat, vnde assertus est in suauissimam tranquillitatem mentis, simulatque postliminio in Ecclesiam rediit. Is posteà, cùm prælato Crucis labaro, quod munus sibi ardentissimè depoposcerat, transvehenda publicè Sacrosancta Hostia, in prima magnificentissimæ pompæ acie, & Catholicum palam, & Catholici agminis vexilliferum cœpit agere; mirum quàm exhilarauit ciuium animos, quàm honorificis præconiis suo se facto cohonestauit. Septenos domi Concionatores habuimus, quorum dictione frequentissimus auditor fructuosissimè distineretur, totidem vrbis templis celeberrimis, per quadragenarium Ieiunium, Eucharisticasque ferias. Liberalium sollemni apud nos triduo, tametsi, ad cæteram eius temporis licentiam, accesserant Frãcicorum Principum, exquisito nouoque apparatu, equestres decursiones, saltationesque, delectum ciuitatis florem rebus Diuinis nostra in æde assiduissimum habuimus, etiam per ea interualla, quibus tympanorum cantu vndique nostra perstrepebant atria. Caluinianæ lepræ intimum vlcus exsecuimus primario viro, quem impotentia iracundię ad erroris magistros appulerat, præter quẽ, in aliis quinque parem animi labem abstersimus.

VIX interquieueramus annum totum superiorem, tantulum interuallum, à continẽtibus fœdisque priorum annorum tempestatibus, cùm bre-

uium Alcedoniorum pacem immanis sæuorum Aquilonum turbo nobis interpellauit. Pontificiæ auctoritatis defensionem, à Patre Soario Francię finibus procul editam, aduersùs Britannicum illum commentarium, Summo Pontifici omnia ferme sua iura detrahentem, maleuoli homines, compluribus accersitis exemplaribus, passim legendã dissemināraṇt, ac pæne inuitis obtrusērant, vnde in nos inuidiosè captarentur specioſæ ansæ maledicendi, nocendique. Ipsum codicis argumentum, in Francia, iis temporibus, eo maleuolorum numero, ingenio, ea arte, audacia, auctoritate, non potuit non multiplicem suppeditare cauillandi, carpendi, lædendique materiam. Primùm igitur argutuli alienæ commmentationis interpretes, ac, si Superis placet, strenui Regiæ maiestatis vindices, propugnatoresque publicæ tranquillitatis, palam iactare Iesuiticum ingeniũ odiosis, nouis, regno pernicioſis edendis in momenta singula commentariis natum esse; insanam hanc, pestiferamque pessimo publico scribendi pruriginem, inustis acerbioribus pœnis, esse in perpetuũ exscindendam. Vt autẽ eius criminationis inuidia latiùs funestiúsque serperet, inuento ad calumniam fraudulentiùs potẽriusque conflandam peridoneo, & ad ingenij sui rationem maximè appositō, vniuersa ex scriptione malitiosiùs decerpunt quosdam singulares locos, quibus suo ex corpore auulsis, quasi genuina membrorũ sede, adeoque anima ipsa, destitutis, ab maligno interprete affingi sententia quã odiosissima poterat.

Trun

Truncis istiusmodi capitibus ad arbitrium digestis, totaque Francia vulgatis ad colligendam consiliis suis existimationem summæ æquitatis, nobis verò tantò acerbiorem concitandâ maleuolentiâ, de Senatu quidam, pessimè in nos animati, pridemque publicis honoribus, & iurisdictionis fastigio in Societatis perniciem iniquissimè abutentes, de Soarij commentario atrocissimam relationem apud consilium Patrum instituunt, vrgentque vti de illius voluminis toto argumento, nominatimque de exscriptis ab se capitibus, consilij sententiæ rogentur. Eò igitur cùm ventum esset, vt Senatorius ordo singulatim interrogaretur, variatum quidem est sententiis, nullæ tamen dictæ nisi & in codicem, & in eius scriptorem, & in nos omnes, admodum seueræ, asperæque, vt varietate dicendi quæsita videretur nouitas, grauitasque acerbitatis. Biduum tenuit ea opinionum disquisitio, inusitata contentione animorum rem disceptantibus, pro suo quisque sensu, Patribus, aliis, vt nobis omni nostra functione interdiceretur; aliis, vt, quàm latè patet Senatus ditio, ea extruderemur: aliis tendentibus, vti commentarius, Carnificis manu discerptus, palam, ad imas Basilicæ scalas, infamibus flammis vstularetur; quam in sententiam denique discessit bene frequens Curia. Rege Reginaque Matre auctoribus Secretioris Consilij decretum intercesserat, ante habitam in Senatu rei huiusce relationem, quo decreto de hac causa referri à quoquam, cognoscique verabatur: sed dissimulata huius Interdicti

auctoritate, ſeuerum in nos pronunciatur Senatuſconſultũ, cui pronunciando in Iure palam quaterni de noſtris adſiſtere iuſſi, audireque de huius cauſæ argumento duriora Senatus monita. Ibi, de Præpoſiti Noſtri Generalis decreto aduersùs alienas in Tyrãnicidij materia diſputationes, præfatus eius Quæſtionis Præſes, ex conſilij ſententia edicit, quando illo decreto rectè atque ex ordine de tam odioſi argumenti commẽtariis exceptum eſt, vti eius omnia capita religiosè ſeruentur in poſterum, ac ipſius decreti ſanctio proximo ſemeſtri diligenter inſtauretur: caueant porrò noſtri, cuius diſputationis, peſſimo Regum Regnorúmque bono, inuentores ipſi fuerint, vt ne vſquam gentium, vllum iis conſciis veſtigium prodeat, ſi ſaluam in Gallia Societatem eſſe velint. Duriſſima omnia exſpectantibus, tametſi reipſa peracerbus, at ſuauis viſus eſt, multa indignatione in nos collectus, capitibúſque noſtris aſperè intentatus huius procellæ impetus, quòd omnes colonias noſtras in terrarum vltima non eiecit. Seipsã ſponte ſuppreſſerat odiorum acerbitas, cogendis ex mora viribus ingentioribus, quarum tota ſimul erumpens moles, funeſtiore ruina, proximis vniuerſæ Galliæ Comitiis, omnium Ordinum decreto, nos obrueret. Comparandis igitur Francorum omnium volũtatibus ad meditati facinoris ſecum ineundam ſocietatem, ad eius verò approbationem, cæterarum nationum animis, per emiſſarios diuulgant geminum commentarium; alterum Latinogallicum, vt exteris quoque venenum propinetur, quo docent

docent nostri Ordinis pridem corruisse omnem disciplinam, ad quam erigendam Clerici Laicique nominis Principes quosque cohortantur: alterum, qui eius disciplinæ restituendæ rarionem ex ipsorum ingenio explicet. His duobus coniurationis initæ Prodromis vadabantur omnium mortalium animos, & tacita veluti sponsione conflandi nobis exitij, quasi aliud agentes, implicabant. Hac prolusione feliciter exorsi diram, & nobis inauspicati exitus, tragœdiam, immanibus criminationum voluminibus aduersùm nos instructi, prodeunt in Gallicani conuentus theatrum illustrissimum, expromturi palam, & summo conatu in nos, quidquid complurium annorum implacabilis ipsorum maleuolentia, sceleratissima iniquitas, fraus exquisitissima, perfidia inaudita, sæuissima crudelitas, in calumniarum infinitũ aceruum potuit congerere. Qui hominum in nostrum caput coniurantium multitudinem, odium, artes, audaciam, potestatem, gratiamque haberet perspectam, nosset etiam ab eis tam ardentibus animis nostri peruertendi consilium esse initum, is haudquaquam posset ambigere, quin Societatis nomen in vniuersa Francia, paucis diebus, interiret. Ita scilicet mortales, humanis inducti argumentis, de nostra caussa existimarent, nisi eodem tempore propitij Numinis longè alia intercederent consilia, quibus periclitantis nostræ causæ omnis ratio derepentè conuersa, optimo loco poneretur. Enímuerò trium Gallici nominis Ordinum duo principes Ordines, Clerus atque Nobi-

litas in postulatorum suorum commentariolis, inter cætera capita, nominatim ac impensè ab Rege flagitabant, vti non modò restitueretur Claromontanum Societatis Collegium Lutetiæ, sed vniuerso planè Regno nobis liceret nouas ducere Sociorum colonias, omne genus nostrarum functionum liberè obituras: subiiciebant porro studiosissimas preces eo nomine, vti aduersùm infensissimas aduersariorum petitiones Regia benignitate nobis præstaretur incolumitas, eaque propter Rex humanissimus Societatem Franciæ finibus comprehensam, in tutelæ suæ portum sinumque interiorem acciperet. Tam illustribus consignata monumentis, eius vtriusque Ordinis adeò propensa in Socios voluntas, conjuratæ in nostrã perniciẽ factionis animos conatusque, tametsi virũ suarum fiducia, nostrique nominis odio, vehementer incensos, non repressit dũtaxat ab cogitato scelere, sed penitùs quoque in præsentia exstinxit: reputãtibus apud se nostris inimicis, post eã Nobilitatis & Cleri professionẽ, in quã instructã aduersariorum impares viribus & auctoritate incursuri essent, si porrò pergerent eo nos genere pugnæ lacessere. Decẽ & octo Caluiniani auctoramenti sacrilegũ ius detestati, ab insanę damnatęque militię signis ad Ecclesiæ vexilla transiere. Ad remum damnatis, triplici, ac bene numeroso grege, ter, nostra in æde, vinctis adhibita sunt Sacrorum subsidia, & deinde in atrio domus inducta vestis necessaria, & prandium copiosè appositum. Franciscus Motus, grandi natu, familiaris operæ nauus

admini

administer, ad tricenarij laboris, fideliter constanterque in Societatis negotio positi, præmia fruenda demigrauit.

PARISIENSE COLLEGIVM, & Pontisarensis Sedes.

ILLVSTRIS Marchionis piam coniugem viti aduersus quidam casus inauditus sic conturbauerat, vt, trium mensium prægnantem, tristis nuncius, animi corporisque grauiter ægram, mox lecto affligeret. Vehemens illa commotio immaturum fetum sollicitauit adeò, vt iamiam erupturus putaretur, sed, nequidquam allaborantibus contrà obstretrice ac medicis, abortionis cruciatus iacentem diuexabant atrociter, & loco suo aliquantulum dimotus infans in anguſtiis adhæreſcebat. Noster Sacerdos per eam trepidationem aduocatus, cùm periclitanti suggessisset Beati Parétis vulgò propitiam parturientibus opem, ipsa ei votum facit, subitóque fetus, medicamétis sua sede anteà depulsus, in eam spōte redit, paulloque pòst, paréte incolumi, ac doloris experte, suauiter efflu-xit ex vtero. Pontisaræ, septima à Parisiis leuca, Ioiusæi Cardinalis sumtibus anno altero constituta nobis est demum Sociorū perpetua Sedes, & Collegij Parisiensis Colonia, valdè lubentibus oppidanis, nostrorumque præsentiam & operam mirificè sibi gratulantibus.

FLEXIENSE COLLEGIVM.

NOVITATEM Caluiniani Euangelij mendacio & scelere nixam nostris admonitoribus agnouêre tres hoc anno, sex insequente, ab illiusque peste desciuêre. Cogitatas à filio nuptias se inconsulto inuitóque parens tam impatienter ferebat, vt natum fugientem insequeretur ad necem, iamque misero armatus imminebat, cùm æstuans iracundia in nostrum Sacerdotem incurrit, cui tam idonea verba iram lenienti, tam potentia contumaciam retundenti Deus subiecit, vt, suppresso primùm furore, composito deinde ad noxæ pœnitudinem animo, planè sibi restitueretur, sanguinem filij paullò antè sitiens, continuoque ad pedes nostri se demitteret, iussis ipsius obsecuturus. Impetratum est ab homine, vti quantum superiora vitæ meminisset, sacra Confessione admissorum omnium rationem ederet, quod ei consilium ad salutem profuit maximopere, vt cui triduo vltimus ætatis dies illuxit.

INSEQVENTE anno, Flexienses Scholas Rege Reginaque, cũ suo comitatu visendi causa ineũtibus, non commisêre nostri, quoad humana ratione prouideri potuit, vt excipiendis tam beneficis Principibus suo muneri viderentur defuisse. cecidit autem omnis noster apparatus eis adeò iucundus, vt cùm auribus, oculis, animisque multam ac variam hausissent voluptatem, Reginæ iudicium testimoniumque fuerit, quidquid artis, elegan

elegantię, dignitatis, magnificentięque in eo pompæ genere posset optari, cumulatissimè accuratum fuisse à nostris, vt nihil à quoquam meritò desideraretur. Vestibulum, atriumque Collegij, propinquum arboretum, Conuictorum impluuium, & huiusmodi loca, amplioris structuræ accipiendæ capacia, suis quæque insignita spectaculis, argumento & ratione inter se aptis & connexis, commissam seriem varietatemque suauissimæ voluptatis intuentibus ostentabant: eò maximè collata industria, vt Rex & Regina, in Musarum sacrario, ab earum alumnis se, vt ipsorum Apollinem Pallademque, intelligerent excipi. Præter erectos in vestibulo fornices: structam in Gymnasij atrio porticum, Borboniæ, Mediceæque gentium scriptis, pictisque præconiis magnificè illustres: inibique sublimem, ac bicipitem Parnasum, Musarum choris frequentem: nemus conuentu Siluestrium Deorum nobile: præter hæc, inquam, aliaque infinita oculorum auriumque iucundissima lenocinia, & eruditę mentis singularia oblectamenta, in primis afficere audientium animos septemdecim lectissimi oratores, linguis totidē Regi exponentes capita suæ legationis: &, secundùm hæc, progredientibus oblatus inusitata proceritate, augustissimóque ornatu visendus Obeliscus. Huius molis ingenioſa conformatio lumina & mentes intuentium admiratione artificij magnitudinisque continuò defixit, quòd, interrogata, occulto ex ore diserta responsa funderet; tacita verò, pænè spirantis picturæ quodam sermone lo-

queretur. Atque hæc quidem fuit, per matutinum otium, labyrinthei velut Circi vaga quædam decursio: pomeridianis autem horis sedentariam spectationem præbuit theatrum, incredibili adstantium voluptate, argumenti dignitatem, industriam poëtæ, actorum venustatẽ, mirifico plausu celebrantium. Patri Iacobo Furnerio hic annus feliciter fatalis ad religiosissimum obitum fuit, eum sortito vitæ finem, quem summa, perpetuaque alacritas in exsequendis Instituti sui muneribus polliceri videbatur. Raphaël des Mœurs dignum item præmium pia morte tulit eius operæ, quam decimum quartum mensem in Tirocinio, multa cum approbatione, nauauerat.

MVSIPONTANVM COLlegium.

SOLLEMNE suum tenuêre nostri, anno vtroque Pontamussij, altero Meris, pueritiæ vrbanæ, furburbanæque, sedulò instituendæ, ad Sacrosanctæ Eucharistiæ primùm libanda mysteria, vt teneris mentibus de diuino epulo eæ religiones ingenerentur, quas nulla temporis longinquitas, vel morum corruptela possit abolere. Quingentorum impuberum ordinatissima, & linteata cohors Pontamussij, Metis haud multò infrequentior, processit in sacram ædem epulatura cum Cælitibus, religiosissimoque spectaculo mirabilem in omnibus ciuibus motum pietatis concitauit. Vicini

cini oppidi rem omnem ita conturbauerant principum ciuium duo, funestis simultatibus diuisa in factiones duas infestissimas ciuitate, vt quoniam aduersę partes in aduersas perpetuis insidiis eruptionibusque grassabantur, latronum præsidium eo pomœrio verius, quam iure sociatorum oppidanorum conuentus claudi putaretur. Eam verò pacis & amicitiæ inter partium duces reconciliandæ felicitatem Deus Sacerdoti nostro impertitam esse voluit, vt vtrosque ad templi valuas perductos, stupente ac exsultante ciuitate vniuersa, inter se amicissimis congredientes verbis animisque committeret, iteratisque amplexibus firmata concordia, eosdem adhiberet suæ quemque partis cũ aduersa factione pacificatores, quorum opera in multam animorum consensionem reuocatis oppidanis omnibus, publicæ asserendæ in posterum tranquillitati, religiosè obeundis Sacramentis, pax Numinis postulata est, ac secundùm Sacra in communes epulas passim discessum est, ingentibus perpetuandæ beneuolentiæ studiis. Inibi claro genere matrona Hæretica, imo contumaciss. mæ pertinaciæ telo nostrorum congressum retundebat, quos vt inauspicati aduentus nuncios auersabatur maximoperè, vt, cùm proximè redituros ad se arbitraretur, Metas propèrè, simul abducta familia, se auferret. Acerbissimè ferebat tantum honoris haberi ab Catholicis Virgini Matri, cui vt venerationem detraheret, quantum poterat, ipso Diuini Conceptus, Mariæ nunciati, Festo die, lanei linteiue operis nescio quid acu pingere pe-

tulan

tulanter occœpit, quasi contribulium suorum insigni quodam operæpretio litatura manibus; at ecce, obstinati sacrilegij vindex stupor maleficio suo contumaciùs instantis animum membraque occupat desubitò, & vi tanta, vt voce ac sensibus momento suppressis, ore turpiter fluente, pænè dimotis sua sede oculis, furenti similem, in eodem vestigio, exstingueret.

MVSSIPONTEM curriculò aduolauit, anno posteriore, supremæ Parisiensis Curiæ causidicus, impensèque rogauit, vti secundò allegeretur in Marianum Sodalitium, vnde sua graui culpa pridem exciderat, suique huius postulati rationem hanc afferebat. Per affectam grauissimè valetudinem, vnde nullus sibi esset respectus ad vitam, cùm, exsoluendæ omni noxa conscientiæ, admissa toto æuo attentiùs excuteret, animo succurrit neglectæ desertæque Virginis piaculũ, cuius ex memoria tam acerbus hæsit in mente aculeus, vt eũ deinceps nullus assiduarum precum ardor, nulla Confessionis iteratæ vis, nullum damnatæ desertionis odium, ex intimo pectore auelleret. Quouis sæuissimæ necis cruciatu illa mentis carnificina crudelior, hoc miserum torquebat atrociùs, quòd & erat assiduissima, &, alioqui iamiam morituri, perpetuando supplicio, animam videbatur distinere. Post adhibita nequidquam insanabili dolorum acerbitati quæcumque alia fomenta, tandem perditè afflicto venit in mentem vouere Magnæ Matri reditum in eius Parthenium gymnasium, qua sponsione vbi se deuinxerat, continuò

agnouit

agnouit æger ex remissione doloris vim morbi suppressam esse diuinitus, idque liquidiùs, quòd sæuus ille angor animi simul omnis absterſus est. Vt igitur ei virium tantum est redditum, vt sedere posset in equo, citus ad nos accurrit, amissumque sua culpa ius Sodalitij, precariò sibi postulauit restitui, eis legibus, quas in officij sui negligentes iure nosset esse sancitas. Non potuit videri sua petitione meritò excludendus, cui Præses ipsa, Materque sacri conuentus, manifesto prodigio eius repetendi auctor fuisse proderetur: quare, admissus ad formulam sollemni ritu pronunciandam, eo sensu pietatis, suaui lætitia conditæ, legendo eam decurrit, qui etiam in audientes refunderetur. Alteri, eiusdem cœtus desertori, mox vltrices flagitij tedas tam diras assiduasque admouit conscié-tia, vt, non die, non nocte, vsquam mente acquiesceret: circũsideri se ratus perpetuò Stygiorũ monstrorum infestissimis globis, ab eisque in barathrum suppliciorum abripi, quoad rediit ad legitimum Sodalis officium, Magnæque Matri supplex aduolutus, eam sibi placauit.

VIRODVNENSE COLLEGIVM.

VENEFICII damnatos quinque, ac eodem absumendos rogo, ad supplicium felicissimo euentu deduximus, vt si abesset flagitiosæ vitæ infamia, præ religiosa ipsorum morte optabilior nulla possit existimari. Eorum vni sagarum

veriùs

veriùs inuidia, quàm ſuum ſcelus, perniciem attulit, ſed, quam iure poſſet, innocentiam nullam accuſationi prætexuit, ratus ſibi conducibilius fore, imprudentiæ ſuæ noxam vel ipſo interitu expiari. Paſcenti gregem in ſolitudine Acherontius Fenerator improuiſò adſtitit purpuratus, compluriúmque aureorum gratuitam ſtipem ab ſe iubet accipere, beneficium haud iniucundum homini egentiſſimo, & aduersùm veteratoris inſidias ab ingenij tarditate imparato, cui nec venit in mentem fraudes ſuſpicari, cùm abſtruſos in ſinum adulterinos nummos pòſt paullò deprehendit eſſe mera aridorum foliorum ludibria. Ad irretitum primo illo congreſſu agreſtis indolis hominem redit poſt dies aliquot ſycophanta Stygius, iubétque ſibi comitem adeſſe aliquò properanti, abiicere verò procul ſacro ritu luſtrati panis buccellã, quã apud ſe haberet, cui non obſequenti multas ingerit plagas, viáque adacto ſacri panis amuletum excutere, ſubſequendi neceſſitatem tantò liberiùs imprimit, eumque in propinqui montis latebras, magicum ad conciliabulum, abripuit. Ibi acceptus liberaliter ab epulantium, deinde ſaltantium frequenti cœtu, poſteà inuitabatur ad horrendi moris ſacrificia, quorum fœditatem animo auerſatus, IESV ac MARIÆ nomen appellat, quibus enunciatis, quaſi flantibus Aquilonibus, inſtar frumentariæ glumæ omnis ille ſacrificantium diffla-tus eſt globus, horroríſque pleniſſimus paſtor ad gregem è colle degreſſus eſt. Deteſtatus eſt homo idiota hunc ignauiæ imprudentiæque ſuæ lapſum

tantope

tantopere, vt cùm se veneficarum odio proditum eius maleficij quæsitoribus inaudisset, ideóque capessiuisset fugam, ipse vltro ex fuga se reuocaret, sponte luiturus, quod se commeruisse arbitraretur, impia stoliditate, supplicium, vt & posteà luit, inaudita tranquillitate animi, singularíque significatione pietatis. Alterum, ab incunabulis mater inauguratum sacris magicis, feralis carminis cærimonia Orco desponderat, quem, longè post ea Tartarea initia, immanium maleficiorum compertum, formidolosorum spectrorum quotidianis terroribus à Pœnitentiæ instituto Cacodæmon auocare conatus est, cuius grauissimas impressiones cùm iugis orationis clypeo retudisset, ad extremum cælestis visi iucundissima specie recreatus, acerbissimorum cruciatuum incredibilem cupiditatem animo induit, quibus alacriter excipiendis, Christo pro virili paria rependit. In equuleum tolli sæpius expetiit, eoque nomine, comperta crimina infitiatus aliquando est, vt sui denuo torquendi necessitatem iudicibus afferret. Damnationis seueriſſimam formulã lętissima exceptam gratulatione, prouolutus in genua postulauit exaggerari eo pœnarum corollario, vt sibi circum fori vacua, lictoris manu sæuissima verbera tertiò priùs ingererentur, quàm rogi vltimum supplicium iniret: quod vbi non concedebatur, ipse suis humeris acerbissima flagella in carcere admouit. De illo reorum quinario vetula incubonem ex Erebo diutissimè, ac intolerandis quidem vexationibus, passa, tyrannidem eius ab se tandem

dem vexationibus, passa, tyrannidem eius ab se tandem solido anno prohibuit, cùm instituisset quotidie aliquantum lustralis aquæ ante opus manè haurire.

BITVRIGENSE COLLEGIVM.

SOCIORVM vnus à Præside suauiter officij sui monitus, cùm pòst paullò eamdem in noxam impegisset, ratus Cacodæmon eius animo ad defectionem impellendo patere sibi aditum, Patris Ministri effigie, ad varios affectus conciendos, fraudulenter composito vultu ac sermone, ipsi se sistit, & eum sermonem adhibet, vnde ille intelligat, omnia sibi naturæ gratiæque præsidia deesse, quæ ad Religiosum Institutum sint necessaria, paucósque sibi dies apud nos concessum iri. Miratur quidem, tam præcisè, tamque præter consuetudinem, ab vno Præsidum ea sibi denunciari: suo tamen merito arbitratus dura sibi verba ingeri, omnia tacitus & lubens accipit: eoque in primis nomine, quòd suam probari patientiam existimaret. Exiguum excesserat temporis, cùm idem redit, docet adesse à Prouinciali epistolam, quæ eum missum faceret ab Societate; vt amicus hortatur, ignominiosæ missioni præuertat honestam commeatus petitionem, huius anteoccupationis glorioſum futurum sibi & ingressum & exitum: intereà iubet eum deinceps administratione certi muneris abstinere, ad quod, lapsus memoria, cùm rediisset,

rediisset nihilominùs, & ille monitor ex eo cogeret, esse huic misero ad Religiosa officia ineptum penitùs ingenium, hac denunciatione perturbatus adolescens, quid secum agatur, Spiritalium rerum Præfectum admonet, & hic vicissim Patri Rectori significat. Præses Patrem Ministrum percontatus discit, nihil eorum ab se contigisse, quæ in illum Fratrem commissa essent, vt iam nemini dubium fieret, quin illis in præstigiis fraudulentæ laterent Stygij quadruplatoris insidiæ: quamobrem Socio toties iterata impressione perculso Rector animos facit, hortatur aduersùs tenebrionē, nihil nisi ex occulto molientem, strenuè audeat omnia, & si quidem in conspectum venerit, per summum despicatum, eius vultum liberaliter despuat. Hic tametsi egregiè animatus discessit, ad insidiatorē procul exigendum, nihilò tamen minùs ferè totus obriguit, vbi se ille vafer obtrusérat, vt aliud nihil, quàm stuporem sensuum, & animi caliginē præferret, dum insimulatur nimiæ facilitatis in re aperienda, quam vulgari vtile non esset. Debellatum esse postremo illo conflictu putauerat impius carnifex, vltimam ergo adhibet machinam, vt sua opinione fractum fusumque procul etiam Familia exterminet. Instauratiuis Votis dies prodicta erat, eoque omnium domesticorum se studia conuerterant, vnde ansam arripit Acherontius parricida nostri hominis peruertendi: dicit Pater Rector, inquit, tu vnus abis à conuentu Sociorum Vota iterantium: vide, quid consilij tibi capiendum putes: tui periclitandi hæc perquàm

idonea, postremaque captatur occasio: si sapies, cogitabis obsequij liberalis sacrificium Deo futurum iucundius reliquorum Sociorum consecratis per Votorum sollemne victimis. Compos hîc sui fuit noster, quia præsentis Numinis præsidium aderat: nihil itaque cunctatus, lustricæ aquæ vrceolum, quem Fors obtulit, validè impingit in os sacrilegi, seque hac vna petitione diro monstri congressu, & impugnationibus absoluit in perpetuum. Discipulorum quidam tetrum in flagitiũ ferebatur tanto impetu, & ita inueterauerat in eius animo sensuque peccandi libido, quæ in cæteram quoque adolescentiam contagione serperet, vt humano consilio reliqui nihil fieret, ad eam pestem eluendam. Itaque ad preces studiosè descenditur, quibus sollicitato dies aliquot Numine, adolescenti decumbenti per nocturnam vigiliam immanis monstri species offertur, & illa quidem tam truculento & horrendo aspectu, vt ea vel animaduersa miser, repentè defectus viribus animisque, fermè contabescceret. Vbi vero funesta bellua, dirùm fremens, horrificis vocibus atrocium minarum ferale carmen cœpit infringere, quorum illud vnum caput erat: Pergeret porro sceleratus in flagitiorum sentina volutari, breui adfuturam horam, quæ ambos ipsos æternorum suppliciorum societate coniũgeret: tùm hic dehiscentem terram sentire visus, inauditis terroribus æstuabat: neque aliud frenum nefario iuueni deinceps opus fuit, quo inhiberetur ab sceleris inueterata consuetudine. Parthenius Sodalis & alter,

eius

eius condiscipulus dum nescio quid Philosophicæ cõmentationis eorũ alij scribenti dictat alius, turbidiore iam cælo, intendentibus se deinde maioribus tenebris, aëre verò tumultuosiùs concrepante ab ingeminatis tonitribus, accurrunt spectaturi ad fenestras, vbi eos horrenda obiectæ regionis facies ad precationis officium inuitat, qua piè defuncti assurgunt, seque ad pensum reuocant. Vix vnum aut alterum versum scribendo promouerant, cùm euestigiò Parthenius cælo delapsa flamma totus circumfunditur, sed impunè, ac post eum ille alter puer, cuius globo circumuoluente se, sine vulneris vestigio exstinguitur. Creditum est, inopinanti licèt, haudi imparato tamen, infaustum letum obtigisse: nam eius ad fenestram spectantis audita eiusmodi vox erat: Prô, quàm formidolosus nunc terror incutitur mortiferę culpæ sibi conscijs! cuius sententiam hemistichio subsecutus Sodalis adiecerat: Quamque ad omnia fulmina pallent: secundùm quæ verba vterque Deo supplex procubuerat in genua. Parthenius certè ad collabentis socij extrema suspiria nihil antiquius habuit, quàm vt humi accidens declinati periculi beneficium religiosè agnosceret, seque sospitanti Patronæ tantò impensiùs perpetuum clientem denuò addiceret. Eiusdem Sodalitatis alumnus alius ad res Philosophicas percipiendas Bœotica quadam stupiditate suffusus, &, plumbeo velut ingenio, cùm penitùs hebesceret, votis Virgini Matri nuncupatis, huic duritiæ mentis amoliendæ, tantum posteà perspicacitatis nactus est, affuso

ipsi, Virginis opera, clarissimo lumine, vt de Philosophicis ænigmatis abstrusissima quęque liquidò peruideret.

Insequentis anni haudquaquam læta nobis, adeoque vniuersæ Franciæ, tempestas fuit, importuno leto præcellentissimi pace bellóque viri, Claudij de la Chastre, Galliæ Mareschalci, rebus gestis florentissimi, meritissimique Biturigensium & Aurelienſum Gubernatoris, cui, quamdiu stabit, Francia plurimum debebit nomine auitæ Fidei sanctè acriterque propugnatæ. Incensum eius in nos perpetuò fuit studium, vt non modò, propè sublatam in humeros suos Societatem reuexerit Biturigas, sed in omnes de nobis bene merendi occasiones iugiter excubarit, cuius liberalitate iam aliquot annos ducenteni aurei huic Familiæ numerabantur: cuius aucti benefactis, & auctoritate gratiaque, qua multũ valuit, cũ egregiè tecti, quoad vixit, fuerimus, haud abs re patrẽ appellauerimus. Ei viuenti frequens in ore ille sermo fuit, optare se id modò vnum de nobis, vti ne morienti vmquam deessemus, cuius officij haud illo cupidiore, quam nos essemus, cecidit euentus planè vtrisque ex sententia, vt is inter nostrorũ manus vita religiosissimè defungeretur. Terni Concionatores de nostra Familia fructuosissimas operas ciuibus dederunt, sed qui dixit in æde principe, præconium tulit omnium suffragiis, ante vicesimum annum tam claro plausu, tamque vberi fruge hic habitas non esse conciones.

NIVER

NIVERNENSE COLLEGIVM, & Augense.

NIVERNIS, vtroque anno, & in ipsa vrbe & foris, pestis intestinæ nauseam vomitũque ciẽtibus nostris, aliquot Caluinianũ toxicum eiecerunt. Accersito hinc Concionatore Aurelias, eruditissimæ honoratissimęque cõcionis ea perpetuò frequentia fuit, vt ineunti suggestum Sacerdoti sæpenumerò aditus præcluderetur: quo ex audiendi studio, & illud secutum est, vt ad perpetuandam adeò fructuosæ dictionis copiam, omnium ciuium animi accenderentur cupiditate Societatis suam in vrbem inducendæ, quod iam olim cogitauerant, nunc autem reuocatis ardentiùs primis eorum studiis, domicilium deinde nobis est apud eos constitutum. Mulieri, perpetua sterilitate medicorum pronunciatis damnatæ, certis eõditionibus factum Beato Parenti nostro votum, nono mense, quàm conceptum id fuerat, prolem feliciter impetrauit.

AVGENSIS ciuis, à pietatis commendatione nobilissimus, & fabrilis ferrariæ, horologiorũque in primis, scientissimus artifex, exarsit in studiũ expeditionis Canadicæ, vbi audiuit eò proficiscivnum de nostris, notum sibi Sacerdotem, cuius in comitatu vt decederet, ægrè licèt, ab sua coniuge impetrauit, vtilissimas scilicet operas Christianæ Coloniæ in peregrina ora nauaturus exi-

mio artificio, neque minùs vtiles ab insita probitate religioni daturus. Nauta Lemurum assiduis molestiis vexatus, sacri Agni plagulam, ab nostro acceptam, cùm sibi adhibuisset, importunis spectrorum intemperiis subitò exsolutus est: sed vbi verecundia Hæreticorum, apud quos degebat, potens amuletum excussérat, exarsere tantò acerbiùs in eum diurnæ nocturnæque Furiæ, atque ad veteres terrores, etiam verberum sæuitiam adiunxere, quibus se numquam exemit, quoad rediret ad sacræ ceræ præsidia.

ROTHOMAGENSE COLLEGIVM, & Rhedonense.

QVARTVM annum inter nos egerat Pater Antonius du Thot, Rothomagensis, cùm animam egit, in ipso ætatis flore, atque robore confirmatarum in eius mente multiplicium nobilissimarumque virtutum, quarum splendor vsu nobis exterisque iam cognitus, triste huius viri desiderium reliquit. Expugnata contumacia octo Caluinianorum, sed mulierculæ vnius inusitata peruicacia negotij plus peperit, quàm obstinatissimorum soleant multiplices decuriæ. Amplum patrimonium, ingenium, multam industriam, ac malitiam, caput denique ipsa suum deuouerat diuexandis quacumque ratione Catholicis, quo nomine coniugem sibi adsciuerat Typographum, & atrociſſimis in Ecclesiæ Romanæ, ac Iesuitarum

nomen,commentariis conquirendis,edendis, tota Gallia disseminandis,perpetuam acerbissimamque calumniam ingenti ardore factitabat. Eam multæ fraudes in vincula tandem compegerunt, vbi, seu quia iam decoxerat,seu quia laborabat causæ infamia,sui sectarij eam omni destituere subsidio,vt ea in solitudine, rerumque angustiis,sensim multū de veteri ferocitate remitteret, nec ea deinde pigeret aurē nostro accommodare, Catechismū in custodia explicanti,nisi cæterorū captiuorum conuiciis, vt sacrilega, eo cœtu excluderetur. Admittenti benignæ orationis solatia, & mentionem quoque de Fidei capitibus, studiosè sunt adhibita ea omnia, quæ viderentur personæ temporique idonea, sed irrito complurium dierum labore; posteà verò sua sponte professa est, certum decretumque sibi esse ad Catholicos transire, atque huius consilij sui ex eo ipso die testē habere cupere vniuersā vinctorum multitudinem, adeoque ipsam totam ciuitatem, cuius suæ denunciationis, & promissi formulam,scripto consignari mox postulauit, cui suum chirographum adscripsit,nostroque seruandū tradidit.Data sedulò opera, vt eximeretur vinculis, quibus absoluta,nihil non molientibus,quo iure, quaue iniuria Hæreticis, vt ne à suorum grege descisceret: publicè,summaque alacritate,apud Antistitis Vicarium, hæresin exsecrata est.

Altera parte huius biennij fluctibus Parisiensis tempestatis nos quoque non parum vexati sumus, vt in hanc Familiam infesta odia, maledictaque atrocia Ordinum omnium erumperent apertissi-

mè: fuere tamen de ciuibus viri principes, qui hoc studiosiùs, luculentiúsque publicè ac priuatim, beneuolentiam erga nos suam ostenderent, professi hanc nobiscum inuidiæ societatem sibi iucundam accidere, paratis fortunarum omnium, ipsiusque vitæ periculo pro Sociorum incolumitate certare. Horum singularis alacritas constantiaque in tuendo nostro iure, prætereáque manifestum in nos studium huius Prouinciæ Præsidis, & Sacrorum Adiutoris, ab Ioïusæo Cardinale summissi, nubem illam calumniarum maleuolentiæque paullatim discussam absterserunt.

RHEDONIBVS Patri Ioanni Dalbino aditum ad æternitatem aperuere Religiosæ disciplinæ studiosissima obseruantia, obitique multo Diuini cultus ardore labores nec pauci nec modici, quorum in stadio sibi ac ciuibus fructuosissimè versantem prior huius biennij annus ad præmia emisit. Maclouiensem diœcesim rogatu Antistitis duo Sacerdotes nostri vberrimo indigenarum cõpendio lustrauere, summaque Pontificis voluptate. Architectum Catholicum, pretio redemtum, Hæretici fano sibi exstruendo admouerant, reclamante Antistite, ac in operis redemtorem Ecclesiasticas stringente Censuras: quarũ seueritatẽ, reuerentiamque nihil moratus sacrilegus, fanum pænè ad fastigium perduxerat. Diu cum eo nostri operam luserant, sed non perinde cum eius operis, quæ, iniecta sibi religione impietatis admissæ, in sceleratum delubrum sic iracundia exarsere, vt maxima tecti parte, ac eo, quòd recentis structuræ fuit,

ræ fuit, deiecto, suam noxam detestantes, excederent ab opere: eius loci Dynasta, & toto Hæretico nomine, in tanta sui ritus contumelia, nequidquam frendentibus. Effectum denique vt damnatæ fabricæ præfectus, agnita grauissimæ offensionis toto eo tractu culpa, ipso in vestibulo ædis Pontificiæ, ex veteri Ecclesiæ ritu, publica defunctus pœna, illatam Catholico nomini infamiam abstergeret.

ALTER annus Patri Nicolao de Martigny prosperè fatalis fuit, cùm altero mense, quàm huc venerat, Rhetor in annum sequentem designatus, sanctè interiit, congruenter anteactæ vitæ, ab eximiarum virtutum ornamentis valdè illustri: cuius, supra cæterum decus, Religiosa humanitas ciuium animos ei iam magnopere conciliauerat. Quadragenûm horarum supplicatio, nostra in æde his primùm Liberalibus instituta, concursu omniũ omnino ciuitatis Ordinũ, celebritatis, religionisque habuit quã plurimũ, vt vicena millia hominũ apud nos cælesti mensæ accubuerint, silente per illud triduum, publicè priuatimque, omni bacchantium licentia.

MOLINENSE COLLEGIVM, atque Ambianense.

TRES ac sexaginta natum annos, Patrem Frãciscum Bonaldum, singularis moderationis, prudentiæ, pietatis, obsequiique virum, huius

sæculi decimus quartus annus è consortio nostro & è viuis sustulit: cuius funus, pro ea sanctimoniæ opinione, qua valuit apud omnes exteros, tota ciuitas est honorificentissimè comitata, eique priuatis sermonibus celebres dixit panegyricos, collaudanda, in complurium magnarumque virtutum nexu, eius animi demissione incredibili.

ANNO priore Ambianensibus scholis nata est Parthenia Sodalitas, eodemque illi exstinctus est totius Mariani chori flos delibatus, annorum duodecim, Peronensis puer, quem iam inde ab incunabulis Magna Mater sibi delegerat, inusitatæ cuiusdam sapientiæ, innocentiæque futurum pueris ac viris exemplum singulare. Eius indoles ad omnem religionem egregiè comparata, octauo ætatis anno, ardentissima cælestis epuli fame cœpit concitari, cuius vsu aliquamdiu prohibitus, vt æstimandæ tantæ rei minùs idoneus, vt tandem frueretur, rationibus haudquaquam puerilibus impetrauit. Vt autem inaudiit de nostrarum scholarum disciplina, incenso rerum diuinarum studio, quarum ibi fieret vberior copia, precibus expressit, vti ad nos mitteretur. Discipulorum nostrorum cœtum ingressus, quasi nouus, & insito splendens lumine Sol, inter minora sidera exortus, eueſtigiò cũctos in admirationẽ sui rapuit, beneuolentiámque: suauissima nempe ipsius erat consuetudo, mores compositissimi, sermo totidem pænè oraculis, quot conceptus verbis, erga res Diuinas ardor incomparabilis: quibus se absorbendũ summa sua voluptate magnam temporis partem dabat.

bat. Sed vel tã ſancti pueri præſentia indigni erãt mortales, vel Cælites non digni diuturna vtique eiuſdem abſentia, vt paucis menſibus ei propemodum viuenti ſuauiſſimè animus euelleretur è corpore, beatorum choris mox inuehendus. Symphoniæ Præfectus rupta in pectore vena multum inde cruoris vomuerat, liberaliore præterea ſanguinis miſſione iuſſu medicorum exhauſtus propemodũ viribus, certiſſimam mortem exſpectabat, vna ei reliqua ſpe in patrocinio Beati Parẽtis Noſtri, quẽ muſicis cãticis celebraret lubentiſſimè, ac piè coleret: qua in cogitatione cepit eum cupido reliquiarum ipſius, quibus allatis derepentè venæ ſolutio ſuppreſſa eſt, robur reſtitutum, ac deinde ſecuta ſanitas.

RHEMENSE AC CADOMENSE Collegia, & Caropolitana Sedes.

PERDITÆ valetudinis trienni continenter vexatus ærumna Pater Ioannes Du Bois, æquitatem animi, & alacritatem, ſerenitatemque vultus eam iugiter oſtendit, quæ altis radicibus affirmatæ virtutis argumenta præberet illuſtriſſima, vnde ſalutaris diſciplinæ documenta vniuerſi hauriremus, ac tantò cupidiùs, quòd, iis tranquillæ patientiæ calcandis ad extremum gradibus, aditum in cælum ſibi tandem aperuit. Sacerdotes duo, miſſu Antiſtitis Sueſſionenſis, partem non minimam eius diœceſis obiuere, vberrimo Catholi

tholicæ Religionis, disciplinęque Christianæ prouentu, abolita sacrorum rituum, proborumque morum corruptela, quam passim ignorantia vel negligentia officij vulgauerat.

Cadomensis agri solum, Caluiniano lolio multis locis obsitum, ipso runcando, pastinandoque negotiosissimas nostras habere solet operas, neque semper inani labore, quando, priore anno quadragenas binas, posteriore quinquagenas illius ingenij stirpes explantatas, feliciorique sulco immissas, generosi frumenti clara ingenuitate donauimus. Retegenda porro nouarum sectarum infamia, exponendoque Romani ritus genuino splendore, adiiciunt Hæreticorum simpliciſsimi oculos ad lucem veritatis quàm lubentisſimi, vt & ipsi pueri, vel inuitis, vel ignaris parentibus, vulgo Catholici nominis, & Sacrorum communionem ambiant.

CAROLOPOLITÆ Socij Sedanensibus sectariis, omnium tota Gallia peruicaciſsimis, plurimum per frequentes excursiones faceſſunt negotij, quòd non modò eorum fœdè laruatam doctrinam per aures indigenarum ignominiosè traducunt, sed fama sui nominis plurimos quoque de Caluini schola pelliciunt, trahuntque suas ad conciones, quibus, vt non interſint frequentes, nequeunt edictorum seueritate deterreri. Monacho ingenioso eruditoque, transitionem ad sectarios molieti, opportunè interuenere nostri, suaque opera tanto flagitio inhibitum in sacro Instituto confirmarunt. Vndecim annorum puerum Stygius

mango

mango sibi manciparat, fraude mulieris venefica, impressisque vnguibus sinistro eius humero, velut sui gregis pecudem, familiari consignauerat symbolo: sed exitialis mancipationis vinculo eum exsoluimus, adhibitis Sacramentis, Agnoque cereo.

NANCEIANA, ROTHOMAGENsis, Parisiensisque Probationis Domus.

VNo Tirone, Veterano vno, vtrisque suo in ordine clarissimis militibus, minuta est, priore anno, Nanceiana Familia. Nicolaus VVapy, annorum duodeuiginti, paucorum mensium Nouitius, vti ab incunabulis vixerat integerrimè, ita sanctissimè occubuit, Beati Aloïsij nostri proximè consecutus sacra vestigia, quem sibi olim sumserat omni contentione animi exprimendum: quibus studiis defixum eum complexus cælestium donorum copiosus imber, mirabilem exquisitæ cuiusque virtutis vberratem in eo suscitauit, promouit, perfecitque. Iam ante initum Tirocinium ea vitæ sanctimonia floruit, vt testatus sit Sacerdos, omnium eius arcanorum conscius, infusam ipsi per Baptismum lustrato integritatem animi, nullius mortiferæ labis accessione inquinatam, perseueraſſe purissimam vsque ad obitum: quam, inter quotidiana perfectæ vitæ incitamenta, exaggeratam in Tirocinio maximopere fuisse oportuit.

cuit. Patri Innocentio Piquet, septuagenario, dimidium fermè vitæ in Societate versato quàm religiosissimè, par ætatis exitus obtigit, quem sperari fas erat ex anteacti temporis glorioso curriculo. In Tirocinij Statiuis complures iam annos fructuosissima merebat stipendia sacri belli miles experientissimus, cuius assiduo exemplo ad omne genus armorũ, bellorumque salubriter informaretur, iuuẽtus, quæ rudimenta ibi ponebat. Ea senecta vir non sineret quemquã iuniorũ sibi aut alacritate, aut perseuerantia in vllo genere laboris præire, cui omnis profestus dies, ab aurora ad vesperam, in templo domi: festus verò in agris, rustica plebe instituenda transigeretur, summa virium contentione, in qua interdum validi adolescentes ei non responderent. Secũdo anno vnius quoque Tironis funere multati sumus, Anneti Aymardi scilicet, cui longinquæ febris diuturna molestia vt multam præbuit patiendi materiam, ita ille oblatam cupidè arripuit, eaque exercenda multarum ei comitum virtutũ illustria documenta continenter dedit.

ROTHOMAGENSI Domui videbatur grauiter incommodaturus vir potens opibus, dolore amissi, vt interpretabatur, filij, qui, postulata impensis diuturnisque à parente precibus nostri Ordinis ineundi copia, repulsamque passus immeritò, receptum apud nos sibi tandem parauerat. Irato in nos ac in filium animo venerat, iudicio, & vi etiam, eum repetiturus, si vel obstinatè retineremus, vel ipse patriæ auctoritatis rationem non habe

haberet : sed admissus liberalissimè ad nati congressum , eum sibi priùs sumsit suam in sententiã rationibus perducendum , quibus nisi vinceretur, aliorsùm oppugnationem conuerteret. Qua verò parte se instructiorem fore putauerat , ea fuit imbecillior : adolescentis enim defensio accusatione senis , vt potior iure , ita pondere argumentorum validior, aduersarium loco facilè deiecit:quam ad vim rationum cùm accederet dicentis summa venustas, &,in aperta causæ victoria,moderatio animi verborũque singularis, ratiocinatione ac vrbanitate filij parens victum se palam professus est, moxque ad illius consilia & vota paternæ auctoritatis suffragium adiunxit,& eodem tempore animum ad nostras rationes egregiè affectum , cuius in hunc diem argumenta existunt cum primis illustria. Rothomagensis Curiæ Senator , filiorum duobus ad Religiosum Institutum iam transgressis , duorum reliquorum altero Societatem appetenti missionem præcisè negauerat , postque adhibitas eo nomine frequentes Deo preces , recusaturus etiam erat in posterum : sed per nocturnam eius rei meditationem subortæ vberes lacrymæ, mentisque anxietas,permouere hominem , vt super eo negotio Diuinam mentem diligentiùs exquireret. Vbi ergo se lectulo eiecerat , religiosè anteà fusis precibus , rem Diuinæ Prouidentiæ, ductis ex Dauidis psalterio sortibus , permittere constituit:bis autem de filij missione sortienti exiit accommodatissimus ad causam psalmi versiculus , prior hic , Nonne Deo subiecta erit anima? iste

iſte poſterior, Beatus quem elegiſti, & aſſumſiſti: quo vtroque cęleſti oracului demum acquieſcens, aduocatum mox filium ſua manu libens emiſit. Poſtera verò luce eumdem adducit in noſtram Probationis Domum, vbi piè conteſtatus ducere ſe in ſummis ſuis bonis eā filij ad nos tranſitionē, eoque nomine religiosè Numen veneratus, natorum ſibi cariſſimum ei conſecrauit. Adoleſcentis acerbiſſimam herniam conquiſiti vndique præcellentes medici aliquot annos curauerant irrito conatu, cùm ægro ſubiit conſilium vouendæ Caſtitatis, & noſtri Ordinis amplectendi, quaſi poſita in eo certa ſpe ſanitatis; quam inter deliberationem ſolidum tamen biennium effluit, laxati porro ventris plaga in dies ingraueſcebat. Vrgente igitur malo acerbiùs, Beati Parentis noſtri opē expoſcere cœpit ardentiùs, eoque in ſtudio complures dies perſeuerare, voti ab ſe concepti inferre mentionem, quaſique ex ſponſu cum Beato agere, quod dum facit contentiùs, & pendentes è collo reliquias Beati reuerenter ſuauiatur, deſubitò perſanatum ſe animaduertit, qui, deinde factus Societatis compos, inter nos viuit valetque.

PARISIENSIVM Tironum ſpectata in triclinio ab Cardinale Ioïuſæo eximia modeſtia & ſobrietas multā ei admirationem cum pari voluptate peperit, vt inter ſuos deinde, quod iucundiſſimè ſpectauerat, ſummopere prædicaret: quæ tamen animi commotio, vt in tam pio Antiſtite minimè noua, ita ſingularis non fuit, pro ea, quam eadem morum oriſque compoſitio in militari viro

concitauit. Noſtro in horto fortè ambulabat vnus aliquis, bellica laude clarus, gratioſuſque apud Dynaſtas, & incurrit in Tironem, aliquid mandati operis exſequentem, cuius aſpectu, ore ac membris totis meram modeſtiam innocentiamque ſpirantis, mirificè captus, congreſſionem eius priuatumque colloquium illico cœpit, vt ſibi frugiferum, expetere vehementer, eoque quærit de ianitore, num eius Tironis conueniendi futura ſit copia. Poſtridie itaque redit, & ſæpius deinceps, eumque ſibi Chriſtianæ diſciplinæ doctorem adhibet, hauritque quàm auidiſſimè promta è Nouitij pectore de omni vitę ratione ſalubria documẽta: & cecidit quàm belliſſimè in militare pectus ea puerilis inſtitutio: eo enim magiſterio inductus bellator ad ſeriæ Confeſſionis ſtudium, compoſitionemque vitæ reliquæ, nunc, in mediis Aulicæ conſuetudinis fluctibus, pacatam piamque vitam viuit, magiſtrique ſui recolens idemtidem magna voluptate memoriam, cognomine grati animi perpetuo indice, ſolet eum ſuum appellare velut ſeruatorem. Ignatius Cottonus, annorum duodeuiginti adoleſcens, octo menſium continẽti, grauique vexatus morbo, Niuerni, quò venerat hauriendi mitioris cæli gratia, occubuit, Tiro multiplicium præcellentiumque virtutum clarus iam athleta, cui ſi euadere in virum liceret, expleturus videbatur eximię Religionis numeros, ita eũ natura expreſſerat, finxerat cultura paucorũ menſium ad Inſtituti noſtri maxima quæque decora.

PROVINCIA AQVITANIA.

SENIS Familiis, ducentenis ternis aut quaternis Sociis, ad operas emissis, hanc Prouinciam toto biennio coluimus, in culturæ partem venientibus pro virili duobus & octoginta Sacerdotibus, Magistris quadraginta, septuaginta Discipulis, Adiutoribus sexaginta, Tironibus cæteris, quorum tredecim priore anno, posteriore sex & viginti adscripti sunt, vtroque anno ex omnibus Sociis nouem decessere.

BVRDIGALENSE COLLEGIVM.

QVATERNIS huius domicilij funeribus initium dedit Franciscus des Barres, Senatoria familia natus Burdigalæ, in patientiæ schola diu exercitus, multa cum sua laude, nec dissimili meritorum prouentu, dum quotidiana & longa veluti morte illum phthisis conficit, donec penitùs ex

tùs exstinguat. Patri Ioanni Hauuræo & viuenti & morienti longè fuit acerbiùs inter diuturnos ingesque calculi cruciatus, quem, atrocissimorum dolorum alto veluti mersum pelago, aut tacitum perpetuò vidimus, aut in sacris Iesu & Marię nominibus leuiter ingemiscentẽ audiuimus. Tertius locus inter obeuntes obtigit Ignatio Torreto, adolescenti eximia spe rerum magnarum inclyto, sed quem Deo visum sit ad maiora fruenda euocari. Quarta sors Ioannem Barin, Adiutorem septuagenarium è viuis exemit, cùm in eo feruerent pietatis & laborum studia non secus quàm in florentis ætatis ardoribus. Lutetia huc euocatus ab Cardinale Sourdisio, concionum gratia, Pater Gonterius, principum virorum frequentissima perpetuò concione auditus est, cui, sollemne illud suum Hæreseos exagitandę obseruanti, accidit, vt Caluinianorum scriptorum imbelli manu peteretur, in quos ille stricto validiùs stylo luculentas plagas intulit, & intulêre alij, eius studiosissimi, eruditique viri, quibus iustam bilem mouerat Hæreticorum petulantia. His errorem suum obstinatè tuentibus, de eorum gregalibus omnino quinquaginta oblatam ab nostris lucem dispexêrẽ, neque causati sunt quidpiam, quò minùs perspectam in animum admitterent, Catholicum ritum publicè professi. Monachus, Superiorum grauibus Censuris adactus, Præsidis sui flagitia retexerat, cuius indicij mercedem deinde tulit ab domesticis vexationes acerbissimas, quarum grauitate in desperationem actus, Rupellam, in Hæreticorum ca-

stra transfugit, vbi annos decem totos stortatorem egit, congruentissimo Caluinianæ militiæ auctoramento. Adolescens Burdigalensis, decurso apud nos politioris litteraturæ stadio, ad compendiariæ Philosophiæ aliud quoddam Lyceum commigrauit, neque multum inde abiit temporis, quin gregales inter homicidio adfuerit, cuius noxę causa cùm ignominiosam multam commisisset, eaque iam irrogaretur, qui altos spiritus gereret, nouitate infamiæ factus sui mox impotens, in iudices, ipsumque Deum, ore spurco & impio, cœpit horrenda maledicta vomere. Huius impietatis vindicandæ retruditur in custodiam, consilioque iudicum reuocato ad dicendas sententias, impius adolescens infelici arbori addicitur strangulandus. Perierat miser, nisi funestiore sibi exitu pereundum sensisset: enimuerò ita fracta est comtumacis animi duritia, denunciata suspendij necessitate, vt totus in lacrymas & pœnitudinem solueretur, tamque piam obiret mortem, vt ea damnatio plurimi redimenda fuisse videretur.

ANNVS alter ex dissipatis Caluini mapalibus quadragenos homines in vnũ ac legitimum Christi conuentum redegit. Anus octogenaria, filiæ victa continuis precibus Sacerdotem nostrum accersiuit, Catholici dogmatis amplectendi gratia, nec amplius tres horas ab eo adepto superfuit. Ad demortuæ cadauer, sacra instructum cruce, mox aduolauit examen Caluinianorum, cui horrorem quidem incussit signum Crucifixi mortuæ impositum, non vetuit tamen, quin, veluti pro suo iure graf

re grassantes, corpus auferrent suo more humaturi. Homines scilicet ingeniosi occupabant, Caluinici ritus sepultura, sicut cadauer, ita veritatem rei gestæ obruere, vt ne crederetur ad Catholicos viua transisse, quæ mortua Caluinianum nacta esset tumulum. Noster igitur aduersariorum vi deiectus sua possessione, adit ad Cardinalem, eumdemque Burdigalensium Antistitem, eius auctoritate ius suum vindicaturus, qua factum est, vt, inuitis cedentibus Hæreticis, res sua rediret ad Catholicos. Patri Matthæo Morello, septuagenarium supergresso, mors videri non potuit immatura obrepsisse, seu eius ætatem spectanti, seu mores probissimos, cui semper comparato nihil improuisum, seni nihil præproperum accidit. Fratres duo adolescentes maximam sui exspectationē, in virtutis, ac litterarum stadio, concitauerant: sed visum Deo est, non exspectatis eorum maturis fructibus, crudos adhuc flores sibi legere.

AGINNENSE COLLEGIVM.

MVLIERI emorienti in diuturnissimis acerbissimisque partus doloribus, cùm eam obstetrices ac medici destituisset, desperatione remedij, & ea Sacramentis ad extremam luctam se comparasset, prosperitatem partus & valetudinis attulit Beatus Ignatius, cui per sacrum Votum ipsa prolem seque commendauerat, auctore Sacerdote nostro, vbi eam defecerant humana præsidia. Hę-

reticus cum vno de nostris secundo flumine vehebatur Aginnum versùs, & sumta forsitan occasione cauillandi ex Iesuitæ præsentia, in Pontificiam Sedem, adeoque in eius Principem Beatum Petrũ, cœpit aliquando atrocissima quæque dicere, neque destitit suo scelere, ab nostro semel iterumque amanter admonitus, contra, inde factus procacior, adiecit etiam acerbiora. Non terruêre sacrilegum intentatæ verborum minæ, offensi Numinis vltionem denunciantes, sed coërcuit ipsamet vltio, derepentè inflicta, quàm dissimulauit aliquamdiu miser, vt occultam, sed eum vis mali, vt se proderet, adegit. Acutissima pleuritide affectum pessimè latus tam grauiter ei condoluit, vt vrgente Dei vindice manu, impotens sui, ad nostri Sacerdotis opẽ, quẽ modò exhorruerat, supplex confugeret, inque ipsius sinum perlibẽter deuolutus suã salutem in eius beneuolẽtia collocaret. Hũc terrorem alius consecutus est casus, vnde colligeretur, funestiore plaga iram Dei fuisse grassaturam aduersùs impiam linguæ procacitatem, nisi ea priore supplicio compescereturr. Enimuerò cõmodùm vectores omnes exscenderant, cũ in oculis ipsorum, cælo aquisque placidissimis, quo vecti erant nauigium, pondere nullo degrauatum, sua sponte subsidit, nec posteà emersit. Condomij, quæ vrbs est Nouempopuloniæ, vir quidam, cæteroqui honestissimus, pridem cœperat de nobis sentire ac loqui quàm inuidiosissimè, omnemque in nos malè dicendi occasionem occupare: sed in nostrum Parentem odio erat singulari, cuius res

ius res gestas carpendi studio curiosè ac malignè lectitabat, quódque cõmentitium arbitraretur totum illud argumentum, famam hominis ignominiosissimè traduceret ad populum, & perpetua probrorum acerbitate laceraret. Huic nocte quadam suo in strato decumbenti, per somnum an vigiliã incertum est, multa coruscans luce Beatus Ignatius noster est oblatus, quẽ Angelorũ circumstans chorus religiosa veneratione acciperet; quod visum postquã tenuerat paullò ampliùs horę quadrãte, Beatus Ignatius suauiter coniectis in iacentẽ oculis, mox euanuit. Sed blandissimus ille oculorũ coniectus tanta vi penetrauit infensi antè hominis pectus intimum, vt cum impetu exsiliret è lectulo, perque ipsas tenebras arrepta è propinquo Beati Patris factorũ historia, vt inde venerationis exordia sumeret, appresso ad pectus codice, prouoluitur in genua, & ardentissimam Beato precationem adhibet, illi se impenso studio commendat deuouetque, nominatim verò postulat, vti sibi à Deo impetret propensiorem ad pietatis studia voluntatem. Patronum in ea causa nactus officiosissimum, accepit longè plura, quàm poposcerat, & cumulatiora singula, quàm esset ausus expetere: nam ab illo ipso momento erga genus omne religiosarum actionum cœpit mirabiliter affici, crescitque illius ardor in dies magis magisque, quo nomine sit in omnium popularium ore ac sermone, maximaquè celebritate famæ. Indidem quoque illi est importata rei familiaris tanta felicitas, vt subita quotidianaque fortunarum incrementa

ipse demiraretur, vnde largitionibus magnis in templa & egentes exercendis, cùm eumdem in fontem cumulatè refunderet, ex quo beneficia in ipsum manauerant, aperiebat sibi beneficiorum longè copiosiores alueos, vt numquam sinit Deus superari se cuiusquam liberalitate. Ex eo porro die, quo in gratiam rediit cum Parente nostro, Societatem sic animo est amplexus, sic deinde coluit, vt in oculis eam ferre dici possit: cuius tamen euenti annus iam tertius agitur, sed de quo nobis nunciatum est, anno dumtaxat huius sæculi decimo tertio, quo hæc scribimus. Altero anno ab Hæreticorum partibus octo desciuerunt.

PETROCORIENSE, AC LEMOVICENSE Collegia.

PETROCORÆ Caluiniana ex Hydra sex decidimus capita, & radicitus quidem, vt non eadem pullulatura denuo esse videantur, quorum in censionem venire minimè puduit claro genere ortum virum, cùm septuagesimum annum excederet, vt fateretur se tot annis ignorasse, quod eum noster docuerat, quam confessionem à plerisque Caluinianorum perarduum sit exprimere. Beati Patris Nostri effigie insignis ærea bulla, Gymnasij nostri alumno puero admota, periculosam febrem depulit, eiusque euentus felicitas præsentibus aliquot matronis earum bullarum vim commendauit maximopere, quarum eis fides suo bono fa

no facta est luculentior, cùm eis deinde adhibitis puerperiorum omnem aleam defugerunt.

LEMOVICI, alioque finitimo in loco, nouem Hæreseon vinculis exsoluendos se tradiderũt. Infelicitate partus compluribus iam annis laborantes aliquot matronæ, votis Beato Ignatio factis, eam ab se calamitatem in posterum amouerunt. Duabus ex scholis nostris eximiæ notæ adolescentes duodequinquaginta in vnum Recollectorum Ordinem non toto biennio commigrarunt. Rupefocaldij, diœcesis Inculismensis oppido, sacri Aduentus Ieiuniique Maioris diebus, celebres conciones habuimus, & Hæreticis auditoribus frequentes, quorum cupiditati vt fieret satis, medio sæpissimè foro de rebus Fidei controuersis verba fecimus, quòd eò ipsis erat aditus liberior opportuniorque. Aperuere nonnulli oculos pectusque illucescenti veritati, eamque admisere penitùs: plerisque illius dogmatis est iniecta grauis religio, cuius tandem didicerant, aut nulla esse prorsus, aut solo mendacio nixa fundamenta: quæ si pergamus concutere, haud dubium quin, eis prostratis, ad eorum ruinas deinceps nolint adhærescere.

PICTAVIENSE, AC SANTONENSE Collegia.

VNA Pictonum gens, de Franciæ Prouinciis, Caluinissimum antè complexa est, admiratione studio

ne ſtudioque nouitatis, quàm vllus ferme Francorum deprehenderet, quis eſſet Caluinus, quodque ipſius inſtitutum, quam peſtem tota ea regione aluerunt complurium annorum bella ciuilia, impensè adnitentibus Euangelij noui ſectatoribus, vt ne flagitiò parta poſſeſſione pellerentur. Ex quo autem Pictauium, in principem Prouinciæ vrbem, Sociorum ducta eſt Colonia, & ſtrenuè impugnari cœpta eſt Hæreſis, & concitari animus Catholicorum ad auitæ Religionis reuocandum tuendumque decus, cum in vrbe primaria, tum totis circa oppidis, redière probis vires ad inſtaurandam pietatem, improborum validè repreſſa eſt audacia, ſpes Hæreticorum minutæ ſunt non mediocriter. Facit porro nobis maiores animos, ad perſequendum opus inſtitutum, Pictauiēſis populi ſingularis alacritas, incenſumque ſtudium, Catholici ritus in antiquum ſplendorem reducendi: qua in palæſtra hoc libentiùs nos ſequitur & hortatores & duces, quòd manifeſtò deprehendit, ſe in hunc diem non mediocriter profeciſſe nobis auctoribus. Rediere ad Eccleſiæ Statiua ex volaticis & erronibus Caluini manipulis nobiles viri aliquot, & ex iis quibuſdam ea tranſitio profuit ad ſalutis æternæ commeatū, cùm, ſub ipſam Hæreſeos deteſtationem, vita defungerentur. Iulio menſe cùm in Pictonibus eſſent Rex, Regina mater, Regiſque ſoror, Hiſpanienſi deſponſa Principi, viſère ad nos ſumma ſignificatione beneuolentiæ, quorum honorificentiſſimum aduentum, quanta maxima curari potuit, pompa

celebra

celebrauimus. In multiplici ſplendidoque apparatu, cùm placerent omnia, toti Aulæ iucundiſſimum fuit theatrale ſpectaculum, in quo Pictonicæ Nobilitatis ſe maximè probauit induſtria. Paſtoritia munera in theatro ſibi oblata Rex partitus eſt inter Rhetoricæ alumnos, in Scena primarum partium actores, quos poſtridie accitos ad ſe, perhumaniter eſt percontatus de ſingulorum gradu & honoribus in ſchola, iterumque heſternæ Scenæ munus priuatim apud ſe obire voluit.

KALENDIS Ianuariis anni inſequentis Sacrorum primitias Deo dicauimus in recenti æde, quo die aperuimus aditum inuſitatę ciuiũ & peregrinorum frequentiæ, loci amplitudine, ac venuſtate ſacri apparatus, ad obeunda religionis munia inuitante. Gratulantur ſibi priuatis publiciſque ſermonibus ciues noſtram octo annorum fructuoſiſſimam operam, in Fidei morumque ſuſcitanda, promouenda integritate: cuius vtriuſque longè illuſtriores proceſſus ſibi pollicentur, nobis in eodem ſtadio alacriter perſiſtentibus.

SANTONENSES Socij præter habitas totoferè anno conciones, duobus locis celeberrimis, magno audientium concurſu plauſuque quadragenaria Liberalium ſupplicatione vniuerſam ciuitatem ad ſe aduocarunt, nominatim verò Cleri Curias, & Familias Cœnobitarum, cum ſui quæque corporis ordinata precantium acie prodeuntes. De Caluini obſtinatiſſima ſecta quaterni modò contumaciam ſibi deteri euellique paſſi ſunt, ſed primæ notæ homines, qui eo in genere complurium

plurium instar habendi sint, tantum momenti habet eorum auctoritas, ad alios eodem incitandos. Patri Iacobo Bordæo, vndequadragenario, Professo Votorum quattuor, Santonensis Familiæ omnium primo Rectori, extremus dies vitæ obtigit anno priore, cùm vnum & viginti annos fuisset in Societate, vbi cum cætera omnia munera, tum concionatorium multa cum celebritate, audientiumque fruge sustinuerat. Indoluêre ciues vniuersi nunciata ipsius periculosa ægrotatione, ac pro se quisque incubuêre in conquirenda difficili morbo remedia: & à plerisque incenso studio decursũ est, ad vota Deo nuncupanda pro eius salute: cuius deinde interitum luxerunt, vt hominis, qué ciuitati suæ ornamento emolumentoque summo esse intelligerent, ab multa experientia eius virtutis, & haud dubia opinione sanctitatis. Ei sepeliendo non erat locus apud nos idoneus, quare principis ædis sacrum Collegium eius sepulturam studiosè ambiuit, vbi ei funus honorificentissimè procuratum est ab omnibus ciuitatis Ordinibus, indicto per exsequiarum diem iustitio: insequentibus porro diebus parentauêre ipsi quoque vrbanæ suburbanæque complures ædes sacræ, ac splendido quidem apparatu. Hæreticis aliquot persuasimus veritatem, atque auctores fuimus, vt agnitam amplecterentur.

BENEA

BENEARNENSIS, CANTABRICA, & aliæ Missiones.

IN Benearnensium finibus Concionatores nostri duo versati sunt, alius Eloroni, Lascurræ alius, scilicet ante Nascentis & Resurgentis Christi sollemnia, nunc menstrua, nunc bimestri opera erudiendo populo negotiosissimi, vt ternæ in dies frequenter essent conciones. Simul exorta est Hæresis in Francia, simul Benearnensis ager totus hoc Tartareo lolio est consitus Nauarræ Reginæ imperio, manu que, vt cui glorioſum visum est, per immanes illius temporis nebulas, si Caluiniani dogmatis patronam, adeóque magistram ageret. Ab illa Fidei clade in hac vniuersa Prouincia, infrequentissimos religionum sinceros interpretes & doctores habuit vniuersus ille tractus, qui palam eloqui auderent: vnde coniici potest, quantum resideret ignorantiæ in iis Catholicorum reliquiis, quas sibi Deus in sæuo illo Hæresis principatu reseruarat: quam rerum Fidei altam inscitiam vt nostri detergerent, assiduo intentóque studio elaborandũ fuit. Vt Caluinismus recta est ad Atheismum via, ita necesse est in eo valere abundareque omnium flagitiorum colluuiem, qua gradatim scandatur ad impietatis sublime fastigium. Et reuerà deprehensum, vbicumque fixa sint Caluini vexilla, horrendis superstitionibus veneficiisque plebem esse addictissimã. In Boïatum, seu Baïonensium finibus, Diuini cultus

tus regnum quoddam Orcus sibi constituerat, inter barbari cuiusdam moris homines, quibus se fœdissima Capri figura adorandum præbebat, cuius sacrilegis cærimoniis abolendis haud leuiter tamen desudauimus. Ex vltima Cantabria venêre ad nos Catholici postulatum auxilia contra Tartareas laruas, quarum manibus eiicerentur suis cunis infantes, singulis fermè noctibus, & asportarentur ad tempus, quo genere intemperiarum infestissima est tota illa regio: aduersùm quas nostrorum admonitu, adhibiti Ecclesiæ ritu Exorcismi omnem deinceps Lemurum molestiam depulerunt. Eius oræ Ministellos datis litteris Burdigala ipsorum Archimagirus vetuerat congredi cum Iesuitis, non se tamen cohibere potuit vnus de tribulibus, suo iudicio & aliorum opinione, non imperitus, quin velitaris prolusionis quiddam cum Sacerdote nostro institueret, prolatis in medium centonibus aliquot de Rabbinica commentatione, quibus vt ex tempore satisfactum vidit, & plura his, Hebraico de fonte, atque abstrusiora sibi à nostro ingesta, mox cecinit receptui, nec posteà comparuit. Hanc suam temeritatem, in Fraterculorum sanctiore conciliabulo acerbè primùm increpitus, luit deinde irrogata multa trimestris abdicationis à suo munere. Cùm Eloroni, nostris diligenter satagentibus, ducenti ciuium Christi Natalibus Sacræ Mensæ accubuissent, instar prodigij tota vrbe habitum est, id vsurpari à tam multis: quod nemo meminisset eo tempore à quoquam factitatum: neque minor

admi

admiratio subiit animos, quòd quinto & quadragesimo pòst anno intermissum sollemne psalmorum canticum videbant reuocari, præmittique Noctis Sanctissimæ mysteriis. Dispexêre lucem veritatis Hæreticorum plerique, amplexi sunt pauci, cæterùm, vt perspectam non profiterentur, aliæ rationes alios tenuêre: hæc vna plurimos, quòd, potentiorum factione, nondum in ea Prouincia est facta optio vtriusvis dogmatis, sicut in reliqua Gallia: qui tamen Catholicè sentiunt, audent iam de constituenda ibi Societatis colonia mentionem interponere. Albæ Terræ nostris Caluinianam falsitatem dedocentibus, vndecim, Rupifocaldiæ tres, Romanæ Fidei veritatem in animos admisere.

ALTERO anno Eloroni certam Sedem nacti sunt tres nostri Sacerdotes, & Fratrum Discipulorum vnus, qui tamen numerus semestre modò tenuit, duobus posteà exclusis annonæ caritate. Inibi stamus egregiè, beneuolentissimo freti præsidio D. Arnaldi de Maytia, Eloronensis Episcopi, quo auctore ac duce Instituti nostri munia exercemus publicè, refragante licèt Palensi tota Caluiniana Curia, cuius seueris Interdictis veriti eramus aures præbere Confitentibus, sed auctoritatem suam contrà interponente Antistite, nec in illum, nec in nos quidquam ausi sunt eo nomine decernere. Ossaltensem vallem lustraturus Episcopus nostrum Sacerdotem sibi adiunxit socium, eiusque assidua opera vsus est, & quidem binis ferè quotidie habendis concionibus. Indicto publicè

tridui

tridui ieiunio, vti Deus vniuersæ Galliæ conuentus prosperaret, sollemnis postmodùm eo quoque nomine instituta est supplicatio, quam, præter religiosissimã Diuinæ Hostiæ circumuectionẽ, celeberrimam fecêre agmina Scholasticæ iuuentutis, omnisque Catholicæ pueritiæ, atque Collegia & Sodalitates opificum, vt suum ipsi numerum Catholici demirarentur, Hæreticique obstupescerent. Vix dici potest quantum alacritatis adiiciant Romani dogmatis populo restituta longo interuallo hæc argumenta religionis antiquæ, quibus instaurandis, iterum sibi videntur Ecclesiæ nasci, vt tantò fidentiùs ad spem veteris vindicandæ libertatis adspirent. Ea lustratione vallis vnius, præter puerorum magnos greges, plus centenis viris, ex iisque primariis aliquot, ac septuagenario Dynastæ, impertitum est Confirmationis Sacramentum. Illustris feminæ filio duodecim annorum, propemodum exspiranti, nostri Sacerdotis suasu adhibitus cum cautione Baptismus, cum mater ambigeret, eóne tinctus esset, repentinam attulit sanitatem. Puerum, iam triduo, aspectu, sermone, motu defectum, simul atque commendatus est Beatæ Virgini Saranzienſi, ea regione miraculis inclytæ, atque nostri hortatu nonnihil lustricæ aquæ ori eius instillatum est, repentè oculos aperuit, & fari cœpit incolumis. Vocatus Sacerdos noster ab vicini oppidi Parochis ad maleficorum pertinaciam antè debellandam, quàm legibus irrogatam necem obirent, eorum non paucos ab vltima pueritia noxis omnibus expiauit.

piauit. Ibi frequentissimę fuerunt, vt aliis pluribus locis, parentum apud nos querimoniæ, veneficarum violentia, cui non possent obsistere, rapi sibi de sinu per noctem suos pueros, & in Magicum Bacchanal auferri Orco initiandos: cui malo cùm aliàs remedium Exorcismos indixissent nostri Patres, & salutare illud esset permultis, non tamen omnibus, huius rei caussam à capite arcessentes, diligentiùs inuestigando tandem edocti sunt. Enimuerò comperiebant indigenarum sermonibus, fuisse de Clero, ac etiamnum esse, homines sacrilegos, impietati Magicæ, ac ipsi Erebo addictos, qui ex nefandæ coniurationis disciplina infantium Baptismum auidè aucuparentur, eoque impertiendo formulam conciperent, non Dei, sed Beelzebub appellatione interposita, vt iam tùm illam ætatulam Tartaro, quoad possent, inaugurarent. Inde fiebat, vt Sacramenti præsidio destituta plerisque locis pueritia, veneficiorum sæuitiæ tam obnoxia pateret, nec eam illorum vexatione eximerent Exorcismorum subsidia, in animos collata Diuina gratia vacuos. Vnum de pueris, quos ad nocturna Orgia impuræ Mænades consuescent rapere, Sacerdos noster sibi sumsit percontandum de nefariorum sacrorũ impio ritu, ex quo audiebat, pueris eò per vim illatis cereos Agnos, reliquaque amuleta priùs à sagis detrahi, quàm cœtum ineant, Cacodæmonis imperio, eademque iis egressis restitui: cuius conciliabuli præsidem Dæmonem, gentis vernaculo idiomate, *Iaunam Gorriam* soleant appellare, hoc est, Ru-

brum Dominum, quòd ea coloris ſpecie nocturnis ſacris colendum ſe clientibus præbeat. Non impunè tulit puer indicij facti noxiam, inſequentis noctis conuentu Præſidis decreto acceptus verberibus, quorum impreſſa ſcapulis veſtigia eidem Sacerdoti, qui ſe interrogauerat, poſtridie oſtendit. Porrò aduersùs nocturnos puerorum raptus, iuſſit noſter eos clam Baptiſmate muniri, adiecta conditione ipſius nondum fortaſſe adhibiti, vti diximus, eoque velut interiecto vallo, excluſæ ſunt veneficæ puerorum cubilibus, ſacrilegiſque conatibus prohibitæ. Eccleſiaſticum prædium, inædificatamque ipſi ædem vſurpauerat Hæreticus, cuius ædis parietes cùm in profanos vſus conuerteret, ſectores adhibuit quadrato lapidi ſuis rationibus conformando, quorum vni, fruſtra eluctanti iampridem in dolando ſaxo, è propinqui altaris ruinis vulpecula improuisò erumpens tantum terroris incuſſit, vt, ſilueſtribus feris alioqui aſſuetus homo, ex ea trepidatione, decubuerit periculoſiſſimè. Sementis Euangelicæ faciendæ gratia in Aſpenſem vallem deſcendit noſter Sacerdos, leucas ab Elorono quattuor, vbi ex vetuſtiſſimis membranis hauſit planè memorabilem hiſtoriam rei anno trecenteſimo duodequinquageſimo ſupra milleſimum geſtæ, quæ vehementer faciat ad euincendam & illuſtrandam Romanę Eccleſiæ aduersùm Hæreticos huius ætatis diuinitus conceſſam iuriſdictionem, efficacitate inſignem. Diuturnum de finibus paſcuorum interceſſerat certamen inter Aſpenſes & Lauedanenſes, finitimorum

oppido

oppidorum incolas, in quo isti viribus impares, cùm cedere cogerentur, fraude ac maleficio se instruunt aduersùm Aspenses, pecuniis scilicet redemto Beati Sauini Cœnobiarcha, magicis artibus homine infami formidolosissimoque, cuius præsentia freti prodeunt contrà aduersarios in prælium. Vbi venêre in conspectum vtræque acies armatæ, dirum illud Tartari mancipium, cum Stygiis membranis sambucũ arborẽ cõscendit, indeque tetri maleficij carmen ex codice in aduersos Aspenses immurmurat, qui ferali fascino derepentè sunt ita dementati, vt in risum soluerentur, moxque sua sponte in Lauedanensium manus inermi concederent. Abbas ille Sauinianus, sceleratæ fraudis architectus, ante concipiendum exitiale fascinum, ab Lauedanensibus Aspensium vitam salutemque stipulatione ac sacramento sibi diligenter pactus erat, & stipulanti iureiurando spoponderant Lauedanenses, sed captiuos domũ abductos coniugibus suis dedunt trucidandos, quarum immanitate omnes sunt iugulati, ratis interim ipsarum maritis, se religiosè fide sua exsolutos, quòd manus ipsi ab funesta cæde temperassent. Ecclesiastico autem Interdicto, & Anathemate irrogato in omnes impiæ fraudis, & barbaræ crudelitatis conscios, ratas habuit Numen inflictas meritissimò in scelestissima capita Ecclesiæ censuras, & pœnarum insuper durissimum corollarium nefariis adiecit, cum ad Pontificij iudicij auctoritatem vehementiùs apud mortales sanciendam, tum ad perfidam hominum illorum

barbariam iusto supplicio vindicandam. Nam ab inflicta percussoribus Pontificiæ sanctionis plaga, vniuersis Lauedanensium finibus, nulla mulier deinceps vterum tulit, cæterarum animantium nullius generis femina vel peperit, vel concepit, nihil omnium stirpe vel fibra nitentium aut folio tenuissimo, aut gemma etiam fruticauit, quoad septenni iam elapsa naturæ, cælesti imperio suppressæ, orbitate, cùm æterna sterilitas illi solo inusta videretur, vt ex se nihil penitus effunderet, Romam ad Pontificium tribunal damnatæ atrocitatis rei supplices adiuerunt. Acerbitatem quidem Censurarum supplicibus, cælestique plaga seuerè multatis, condonauit Pontifex Romanus, pecuniariæ tamen pœnæ perpetuitate Leuadanensibus admissi flagitij tristem memoriam, sensumque ignominiosum irrogauit, Aspensium siquidem internecione deletorum posteris eos iussit æternùm esse tributarios, quo tributi nomine viginti ac tres pagi etiamnum Aspensibus vectigales sunt, & annuam multam hodieque dependunt. Harum omnium rerum, illo ipso quo gerebantur tempore, perscripta publicè auctoritas in Aspensium tabulario diligenter asseruatur, vnde sibi exscriptum exsignatumque exemplum, oppidano magistratu auctore, noster Sacerdos curauit, quo in stabilienda Romani Episcopi iurisdictione, ac censurarum efficacia, vteretur aduersùs Hæreticos. Nostra porro ætate bis venit in disceptationem earũ tabularum fides, apud Palensem Curiam Hæreticam, rei gestæ admirabilitate stupentibus disceptatori

toribus, cuius integritas scripti quia & antiquitatis iure, & vniuersæ gentis testimonio egregiè se tuebatur, non sunt ausi Caluiniani iudices ei derogare, tametsi suo dogmati conuellendo firmissima inde argumenta petebãtur. Visum itaque est, perplexis super ea controuersia totius Senatus iudiciis, sacrosancto Ministrorum accersito Collegio, fatidicorum Patrum consulere Pythicam facultatem, & omnis oraculi consultissimam potentissimamque intelligentiam percontari, censerentne Pontificiis exsecrationibus in Lauedanenses tantum suppliciorum importari potuisse, quanta illæ commemorarent tabulæ. Ea quæstione posita, velut immisso dissidiorum fatali pomo, totum Synedrion mox abiit in maximè dissentanea iudicia: seu quod verius est, & hominum ingeniis congruentius, multum ibi rixarum fuit, nugarum plurimum, nihil disceptationis legitimæ, solidæ sententiæ nihil. Vnus tandem aliquis, maiorum gentium Pater, ac illius Delphici consilij fortasse princeps, vbi promissam barbam Socraticè demulserat, ita est effatus: Illum Pontificem, cuius sententiam in Lauedanenses tam acerba de cælo supplicia fuerint consecuta, quàm sint huius sæculi Pontifices, longè sanctiorem videri: atque hæc summa fuit responsorum ad illam consultationem. Porro non Aspensis modò vallis, sed omni circà regione, auidè nostri expetuntur, vel ad perpetuas, vel ad Quadragesimæ Aduentusque conciones: quò minùs autem valeat eis fieri satis, prohibet Palense Caluinianum totum Tribunal, cuius de-

creto noſtrorum numerus vno dumtaxat quaternario definitus eſt apud Benearnes vniuerſos, cum tamen plus ſexaginta Miniſtri Caluiniani ritus ibidem cenſeantur. Sed ea eſt conditio Catholici nominis in hac Prouincia, cuius vix quintam populi partem efficiunt Hæretici, ſunt tamen eo iure, vt rerum potiantur, & ea quidem iniquitate, vt excluſis vbique Romani dogmatis hominibus, Caluini ſectatores continuent ſibi perpetuos magiſtratus, vel iis in oppidis ac pagis, vbi duo treſve degant modò Caluini aſſeclæ in reliqua Catholicorum ciuium multitudine. Hac dominatus ineſcati dulcedine, quibus alioqui ſua ſecta erroris eſt ſuſpecta, noſtrumque dogma probatur, volentes hæſitant in luto, ne, Romano ritu aſſumto, ex ſua felicitate tranſeant in communem Catholicorum miſeriam. Frequentes tamen ſunt ex illorum caſtris in noſtra Religionis ſtudio commeatus, ſed quorum nequeat à nobis numerus cenſeri, quòd omnibus ibi Sacerdotibus facultas eſt Hæreticos admittendi ad iura Eccleſiæ. Caſcigothi apud Benearnes ſunt veterum Gothorum reliquiæ, regione, moribus, omni penitùs commercio diſcreti ab indigenarum corpore, quibus nefas videatur cum ea gente connubij ius communicare. Sub eorum olim principatu Benearnes duriſſimam ſeruiere ſeruitutem, quorum excutiendo iugo, quòd diuturnam fortemque operam publico nauarit Nobilitas, præmium olim, de Cleri & Monachorum ſacro patrimonio, tulit vniuerſa ferè, ac valdè opima prædia, iure primitiarum

rum dumtaxat Parochis ad tolerandam vitam relicto : neque illius possessionis nomine defugiunt hodie viri nobiles Abbatum appellationem. Quòd autem acerbæ illius dominationis Gothicæ memoria, petita ex vetustis monumẽtis, hæret adhuc in Benearnum animis, innato ipsis studio quodam asserendæ libertatis prouecti etiam longiùs, quàm par sit, qui ex eis nacti sunt publicæ rei gubernacula, obtento metu sui iuris amittendi, grassantur in alienum iusto impotentiùs acerbiusque. Nobis intereà in magna difficultate fungendi sollemnis nostri muneris, magno solatio esse consueuit Eloronensis Episcopi ac Cleri propensissima erga nos voluntas. Ipse quidem Antistes huiusmodi suæ beneuolentiæ ampliùs testificandæ, Beati nostri Parentis sacro Natali, nostro in sacello perpetrata re Diuina, impertitóque Confirmationis charactere, cum primoribus ciuium prandere apud nos priuatim & familiariter voluit.

Cantabriæ partem alteram, obuersam Septemtrionibus, Francicæ vtique ditionis, ab Hispaniensi Cantabria intercurrentibus discluſam Pyrenæis, anno huius sæculi decimo quarto lustrauimus, iteratis interdum vicenûm leucarum excursionibus. Et insito genti vitio, & rectæ institutionis diuturna penuria, horrendorum veneficiorum infamia laborat vniuersa hæc regio, etiam ad prodigiũ: cuius flagitij compertos damnatosque hominum numerosos ex ea Prouincia greges, Burdigalæ sæpenumerò flammis exustos meminimus. Sed lentius videbatur negotium, quàm pro illius

pestis latissimè patētis finibus & atrocitate, si Burdigalæ procul exercerentur huius maleficij quæstiones, eò pertractis exsecrandorum scelerum tam frequentibus reis; eam ob rem consilium captum est, adeò pernicioſæ fraudis indagandæ in ipsis eius cubilibus, & inibi opprimendę. Hoc fuerat nuper Henrici Quarti consilium, cuius missu eò profecti ex Burdigalensi Curia Præses vnus cum assessore Senatore, quattuor aut quinque mensium perpetuis in facinorosa illius gentis capita quæstionibus, immanem reorum stragem ediderunt, quibus penitùs exterminandis cùm nullæ cruces, nulla busta satis esse possent, molestissima aliquamdiu defuncti prouincia Burdigalam regressi sunt. Experientia scilicet didicere prudentes viri, tam latè fusum, diuturnoque tempore corroboratum magnopere incendium, non exstingui iudiciorum seueritate, sed occultari dumtaxat eius flammam ad tempus, intereaque ex ipsis latebris inualescere, ac grassari deinde violentiùs: eapropter eorum admonitu Regina Mater aliam viam tantæ cladis persanandæ instituendam sibi censuit, perque Patrem Cotonum iussit suo nomine moneri nostrū Aquitanicæ Prouinciæ Præsidem, vt eò Concionatores allegarentur, se verò sumtus in eas expeditiones præbituram. Ea re nunciata exarsit continuò plurimorum ardor in eiusmodi procurationis labores ambiendos, sed omnibus moram illius profectionis iniecit Cantabricæ linguæ inscientia, donec Patrum vnus Cantaber tandem repertus est in Tolosana Prouincia, vnde Burdigalam

galam euocatus, ad gentiles suos iuuandos missus est alteri Patri socius. Itaque, à Boïatum Episcopo impetrata legatione, Cantabriæ fines mox ingressi sunt, egregiè animati ad superandas operis difficultates, quod arduum fore præsagierant: non tamen orta est laborum materia, vnde ipsi principio exspectauerant: nam si se doctum, iuuatumque iri, sperarent indigenæ, vltro sua vulnera patefacturi accurrerent, vt postea exitus negotij docuit. Verùm nostris aduentantibus incessit omniũ animos grauis consternatio, quasi Capitalibus Duumviris ad se iterum adeuntibus, veneficiorum quæstiones, & damnatorum integrarentur incendia: vt non mediocriter Patribus fuerit laborandum in eiusmodi refellenda vulgi opinione; quæ postquàm rationibus, experientiaque vtilis operæ in aliquos collatæ, penitùs discussa est, tùm tota se regio in eorum sinum effudit studiosissimè, animique sui morbis curandis medicos vltro adhibuit. In ipso Prouinciæ aditu substiterunt Patres habendis cõcionibus ad oppidanos Sancti Ioannis de Luz, & Moralis Theologiæ prælectionibus ad ipsos Sacerdotes, vbi apertè inuecti sunt de loco superiore aduersùs omne genus commercij cum Cacodæmone, quod argumentum attingere anteà Concionatores omnino verebãtur: nostros tamen illius exagitati nequaquam pœnituit. Inde progressis longiùs ad interiora Cantabrię occurrebant passim hominum greges, qui nec interrogati, nec aliunde proditi, se vltro veneficiis addictos patefacerent, de se deque suis consortibus dictu au-

dituque tetra profiterentur. De Sacerdotibus autẽ exsecrandam illam factionem professis infanda narrabantur, vt illi nimirum, ore sacrilego, panegyricos honoris gratia dicèrent ipsorum præsidi Cacodæmoni, cui multæ venerationis inter concionandum titulos affingerent, atque vt tantò ampliùs gratificarentur, Diuinæ contrà maiestati, flagitiosè ludificando, acerbiùs derogarent, in terrima illa omnis impuritatis ganea, sacrosanctũ Missæ sacrificium ementirentur, ac loco cęlestis Hostiæ, nescio quid picei & atri orbiculi adorandum obtruderent. Adultis porrò ad grauiora perpetranda flagitia destinatis, pueritiæ, recèns Tartaro initiatæ, id muneris demandari ferebatur, velut sceleris tirocinium in eo posituræ, vt bufonum curent greges, ad rei veneficæ noxios vsus studiosè comparatos, vnde in ipso interdum conuentu in lebetibus ad ignem venena conflantur, ad pestem deinde inferendam satis, pecori, atque hominibus. Numerosæ puerorum cateruæ ab sexto ad decimum septimum ætatis annum ad nos confluebant, qui se tenellos, & doli nescios, quererentur abreptos à sagis in nocturna magorum Orgia, plagisque adactos ad Stygiorum sacrorum professionem, vnde nulla se arte aut vi deinceps potuerint eximere, in ea verò impietatis officina, tam acerbam seruitutem seruire, vt fando non posset explicari: magnopere itaque rogare, vt eius declinandæ subsidia sibi præberentur. Expromta cùm essent idonea in singulos sanandos remedia, proderat compluribus ad integram sanitatem

nitatem vna curatio, aliis eadem erat iteranda diligentiùs, ipsique sedulò admonendi, vt animum intenderent studiosè ad id, quod agebatur, qua cautione tandem fiebat, vt planè absoluerentur potestate Cacodæmonum. Atque siquando perbene curati sanatique fraude aut vi nefariis cœtibus implicarentur, ipsi sua sponte redibant ad Patres, nunciabantque quid sibi accidisset, quibus Pœnitentia lustratis, cæteróque instructis præsidio, deinceps omnia tranquilla à veneficorum vexatione fiebant. Præter puerilem ætatem, deuexæ senectutis non pauci, qui etiam quadragenariam aut quinquagenariã operã Orco scelestissimè nauassent, se nobis planè reficiendos renouandosque obtulere, atque in eorum numerum venit Magus, qui, cum multorum certa pernicie, inibi Magica vulgò profitebatur, cuius id documentum fuit abiudicatæ ab se artis, quòd suos commentarios nobis vstulandos tradidit. Posteà verò quàm plerique nostris bene vsi remediis incursatione Dæmonum, & sagarum maleficiis se immunes multis iam diebus senserant, & certa vtilitate passim vulgabatur curationis efficacitas, haud exspectato, qui nunciaretur, nostro ad se aduentu, quinis & senis procul leucis ad nos aduolabant Cantabri, & quidem concursu tanto, vt templo & cibo prohiberemur totos sæpe dies, ac nonagenos vno interdum die procuraremus, eo sanè, fauentibus Superis, euentu, vt, minùs senis mensibus, sexcentos indigenas, Tartareis sacris exauguratos, cum Christo & Ecclesia in gratiam poneremus. Vnum nobis

nobis dolebat maximè quòd duo cum essemus dumtaxat, vndequaque accersentibus nostram operam oppidanis paganisque, per primarios ciues, & ipsorum oppidorum Consules, plerisque non poteramus obsequi, etiam cùm cuperemus maximè. Certè adierunt ad nos permulti etiam ex Hispanicnsi Cantabria trans Pyrenen, adeoque ab inferiore Nauarra superioreque, inde vsque ab ipsa Pompeiopoli, qui se postularent absolui necessitate factitandi veneficij, quam tyrannica vis Erebi sibi vel maximè repugnantibus imponeret. Patres porrò temporis ac loci opportunitate vsi perlibenter, Beati parentis Nostri Natalem in ipso Loïolæo sacello agitarunt, quàm fieri potuit, celeberrimum, duobus totis diebus, vnde digressi habuerunt obuios ex incolis, qui ad ipsos Loïolam contenderent, diri maleficij ab se auerruncandi gratia, quorum studio vt fieret satis, ex equis exscendendum fuit, vt in ipso vestigio adhiberetur curatio. Inde per inferiorem Nauarram instituto regressu, fanaticorum ea regione, canino more latrantium, magnus est oblatus numerus, quibus ad valetudinem acciderũt salubria in eos collata per nostros amuleta. Inter cæteram verò turbam, vndeuiginti annorum puella, nuper inaugurata nefandis Orci Bacchanalibus, eorum Decuriæ est exemta, quæ indicaret omnibus Stygiam sodalitatem ineuntibus, per ipsa initiorum sollemnia, medicati liquoris quidpiam siniſtri oculi albo ita infundi, vt inde pes bufonis figuretur, quæ sit germana tessera, & velut syngrapha capitis

tis Tartaro sacrati. Eam verò maculam ipsa in se de speculo vt sæpe obseruasset, ita tùm in puella nondum sanata nobis coram ostendebat: illud insuper vsu aiebat se deprehendisse, oculo inustam labem in eis omnibus sensim obliterari, quos Patres persanassent, in cæteris iugiter perseuerare. Porrò iter agentibus, toto eo tractu Nauarræo, pagorum oppidorumque seu Parochi seu viri principes studiosè occursabãt, qui facturos nosuis medicinam supplices ad se inuitarent. Sanctus Pellaïus, seu Palladius, Nauarrę nostrę primariũ est oppidũ, vbi Supremus considet eius ditionis Senatus Hęreticus, Catholici quoque habitant nõ pauci, ad quos habitę sunt nõnullę cõciones, & catechismus explicatus, responsum de multis grauibusque rebus, ad Fidem vel mores spectantibus, & cum illius iurisdictionis Procancellario Caluiniano, erudito alioquin viro, de controuersis Fidei capitibus disputatum est: permultis autem venefica labe inquinatis, admota est medicina mentibus eorum salutaris. Seriò tandem actum est cum toto Senatu, vt quotcumque scelerato fœdere consortium cum Dæmone olim contraxissent, si vltro se ad curationem animi proderent, ab eis omnibus seueritatem iudiciorum abstinerent: hac scilicet ratione longè plures, & multò efficaciùs salubriusque auocatum iri à flagitio, quàm acerbitate pœnarum irroganda: quam nostrorũ sententiam visus est Senatus comprobasse, ratamque habiturus posteà. Inde rectà Burdigalam, quò aduocabantur, properantibus prodibant vndique obuiam

uiam paganorum vicanorumque cum suis Parochis & Magïstratibus copiosi greges, salutem suis tribulibus collatam gratulantes, reliquis idem postulantes beneficium, quibus grauissimum accidebat, quòd Patres spem reditus faciebant nonnullam, præcisè verò denunciabant sibi, tametsi cupientibus, longioris procurationis otium non suppetere.

BVRDIGALENSE TIROCINIVM.

ADOLESCENS Pictauiensis ciuis, copiosæ viduæ filius, toto biennio nostris Præsidibus supplex, aditum sibi ad Instituti nostri communionem patefecerat, matre tùm agente Lutetiæ, cuius rei ea admonita, queritur apud Supremam Curiam raptum sibi à Iesuitis filium, sed id modò responsi aufert, vt suæ prolis vindicias ab Pictauiensi repetat Magistratu, cuius decretum mox interceſſit, vti liberali cauſſa puer vndecumque matris assereretur manu, erat autem in nostra Probationis Domo, Burdigalæ. Itaque venit eò parens, petit ab Senatu, liceat sibi bona ipsius venia, in eiusdem ditione, Pictauiensis Interdicti iure ac auctoritate agere, ex eoque suum sibi filium ab occupantibus Iesuitis vindicare: Curia, declinato petitionis argumento, eius libello rescribit, consulat sibi ex Forensi formula in Iure, vbi iam ipsa versetur. Ex hoc rescripto mulier cùm intelligeret, in ea cauſa non facilè superiorem se futuram Burdi-

galæ

galæ, Parisios regreditur, ab Summa Curia Senatusconsultum aufert, quo secundùm matrem vindiciæ filij pro libertate darentur, & is sisti iuberetur Pictauij, neque huic sententiæ intercedendum nostri putauerunt. Adolescens apud honestam familiam Pictauiensem, vt sequestram, deponitur, ex Senatus sententia, vnde illum sua mater alterius filij opera per vim abripit, multaque vexatione toto itinere fatigatum tridui via, in castellum vicenis ab Pictauio leucis, procul ablegat, ternis custodibus appositis, qui interdiu noctuque, domi ac foris, eius latera cingerent. Inde post octo dies Pictauium propiùs, in aliud prædium est abductus, quò parens, minore suo incommodo, cum comitatu esset vẽtura, vbi nihil eorum omissum est, quę idonea putarentur, ad euellendam ex adolescentis animo Religiosæ vitæ voluntatem: sed omnibus eam palæstram ingressis suus conatus cecidit irritus. Clandestinæ verò fugæ consilia cùm agitari sensisset, in omnem euentorum aleam mirè intenta, mulier sollertissima, sollicitæ custodiæ illam init rationem, qua videri possent obsepti omnes exitus adolescentis: qui vt aliquando maternas suspiciones minueret, segnioresque faceret excubitorum, vigilias, simulare cœpit remissiores in suo instituto impetus, paullóque licentiùs velle genio indulgere. Allatam ex Tirocinio tunicã tres iam hebdomadas non die nõ nocte posuerat, sed eam sibi tandem eximi passus est, antè stipulatus eam sibi redditum iri: deuictus quoque asperitate detraxit nonnihil, adhibitis etiam ad colloquium

loquiũ domeſticis libentiùs,quàm erat ſolitus: qua ludificatione incautis cùm imponeret,omnes præſtabat ſibi minùs iniquos,& in obſeruãdo negligẽtiores. Quà ſe demitteret, perfoderat anteà conclauis tabulatum, condicta cum fideli amico die; ſuper cœnã, cauſatus neſcio quid neceſſarij, bona diſcũbentiũ venia, deuertit in conclaue,vnde mox ſuſpenſo fune deuoluitur ad Sacerdotem infernè ſibi præſtolantem, quo duce in tutum & abditum perfugium cutriculò deuolat, vbi dies aliquot lateret, dum ſummiſſi à matre conquiſitores procul exceſſiſſent, poſt quas latebras, eiuſdem Sacerdotis ductu, itineri ſe commiſit,ſecundoque Numinis auſpicio in expetitum Tirocinij portum aliquando euaſit. Alter item Pictauij natus puer, triennium totum Diuinis motionibus continenter agebatur, quæ modò blandiùs oblectarent, modò pænè obruerent animum copia dulcedinis, vt pro vario ſuo ſtatu aut eis aſſentiretur, aut obtentu valetudinis, & tenuis corpuſculi,reuocaret aſſenſionem, donec explendi voti cauſa veniret ad Beatę Virginis Ardellanæ,vbi cælo miſſus ſolito validior inſtinctus adegit ferè renitentẽ ad virginitatis votum Magnæ Matri nuncupandum. Ex æde Virginis, vbi, voto exſolutus, arctiore aliò ſe obſtrinxerat, domum rediit valens & vegetus, qui aliàs imbecillus ſemper vixerat, & æger, quo ex die robur animi longè auctius ſibi quoque acceſſiſſe deprehendit; quare, paſſis velis ſpirantem de cælo auram copioſam cùm excepiſſet, ex procelloſo humanarum curarum oceano, directa breuique

uique nauigatione, in Societatis portum inuectus est. Duos menses transegerat in Tirocinio, cùm eum suus pater ex insidiis obseruatum in publico rapere, vique auferre conatus est, sed ea violentia Magistratus auctoritate prohibitus, se conuertit ad Principis Condæi gratiam demerendam, cuius litteris ad tres huius Prouinciæ potentissimos viros impetratis, ad Cardinalem scilicet, ad Aquitaniæ Rectorem, & primarium Senatus Præsidem, omnia tentauit, vti eorum vel gratia, vel viribus filius sibi redderetur. Roquelauræus, Regio nomine Prouinciæ Præses, sibi sumsit vt pueri voluntarium sequestrum ageret, à quo tamen cum triduo pòst recepimus, hortatu parentis rogatúque, quem filij alacris vtilisque constantia non placauerat modò, sed mira quoque voluptate afficerat, vt hoc nomine haberet multò cariorem. Ex Aulica nobilitate plerique, ac in his quidem Hugonotti nonnulli, puerum variè lacessiuerant, siue animi gratia, siue vt abducerent à consilio apud quos ille contrà seriò dicere ac agere omnia: magistri morum Fidcique grauem personam induere, singulos hortari, monere, docere, quæ Christiani, quæ Catholici essent muneris, commendare ipsis magnopere, vt in ea ætatula tantum prudentiæ animique omnes vehementer suspicerent. Quamobrem, cùm Tirocinij Rector Dynastæ Roquelauræi vocatu venisset ad suum reducendum Tironem, apud eum facetè quærebatur Nobilitas, cur suum sibi Doctorem adimeret, cuius magisterio multùm iam profecerant,

optimis deinceps informandi moribus, si eo præceptore diutiùs vterentur. Tertium Pictauiensem semestris & assidua cum vtroque parente, ac cæteris consanguineis, dimicatio, exprimendæ missionis gratia, hoc pluribus & illustrioribus palmis clarum ad nos victorem adduxit, quòd vti minùs hostiliter, ita magis periculosè, ac diutissimè quidem est impugnatus, & ab iis aduersariis, quibus repugnare pænè impium, quos profligare sacrilegum videretur. Virilis sexus erat parentibus vnicus, vtrique, ac suo quidem merito carissimus, quorum canitiem hoc faceret tristiorem miserioremque quòd æternum esset abfuturus, hocque acerbiùs videndi fruendique accenderetur cupiditas, perexigua tamen exspectatione solatij. Duplici genere prælij adolescens appetebatur validissimè, ac suis quidem armis non periculosè minùs, quam alienis, infestissimis sanequàm vtrisque; nimirum inter quotidianas obtestationes obsecrationesque pater effetis iam viribus tabescebat ploratu assiduo, mater, in acerbis filij abeuntis amplexibus, animo deficiebatur sensibusque, vt idemtidem mœrore fugientis animæ iure timeretur interitus: cùm filius intereà, vt suum dolorem premeret sollicitè, lacrymis tamen colliquefiebat. Fuit enimuerò excelsi cuiusdam, exaggeratique summa fortitudine pectoris, non superiorem modò, sed incruentũ quoque ac integrum ex tam formidolosa aciedi discedere. Alium, apud Petrocorios natum, parentis, cui erat vnicus, libellis interpellatus Senatus suo rescripto eduxit è Tironumfamilia, & ad se vocatum, in frequenti Patrum consessu, interrogauit Præses, cur

parentem desereret; vt Christum ait, vocantem sequar: sed quid speraret ex Religioso Instituto; crucem inquit ille: quid esset autem crux, an satis liquidò intelligeret; eò veni, retulit, vti præceptis vsuque condiscerem. Acumine, celeritate, ac breuitate responsorum cùm defixisset Patrum coronam, non potuit euincere Tiro, quin suo parenti addiceretur, solido semestri apud eum periclitandus. Qua decreti acerbitate consternatus, corruit in genua, & precibus ac lacrymis demitigare iudices vehementer insistit, ac lenioris in se arbitrij gratiam postulare; sed Patribus iudicij sui auctoritatem rigidè tuentibus, adolescens nihil impetrauit. Porro interfatus præses, & multiplicis æquitatis illi decreto prætenta specie, pueri querimoniis cumulatè sibi facere satis videbatur, cùm ita spondebat: haud illi abfuturam in patriis ædibus Diuinam opem, si quidem è cælo consilium illud iniectum esset: atqui spe cælestis auxilij nemini sunt, ait, sponte ac temerè incurrenda pericula, & grauia præsertim, in quibus circumspectissimi & fortissimi quique opprimuntur quotidie: vt si in eo peream, quò me præcipitem agitis, perituras non sim, nisi vestro grauissimo scelere: vno igitur fretus Deo puer patrem secutus ab eo ad Tirones socios sui reditus auctorem Deum habuit. Alteri cuidam, clari generis, sed Hæretico parente ortus cùm esset, ab incunabulis varij euentus obtigere, quibus deinde cognitum est, eum cultui Diuino, tantò antè, data opera comparari. Ei nato Catholica mater Baptismum Romano,

pater Hugonottico ritu destinabat,eóq; nomine famulum miserat,qui Ministrum accerseret,sed equũ aliàs maximè mansuetũ ac docilem, famulus nulla vi aut arte potuerat in viã inducere,sed ingenti pauore plenus redierat,heris suis euentum rei nunciaturus. Puer interim propinquæ mortis aperta præferebat argumenta, quem mater Deo antè deuouerat, si posset euincere, vt Catholicis imbueretur cærimoniis:quare vehemẽter instat apud virum, vt ab Sacerdote lustrari eum patiatur,quãdo Ministri non sit copia: cui cùm victus precibus coniux annuisset, eumdem famulum eodem equo properare iubet ad Parochum:cuius equi numquam facilior, promtior, fideliorq; fuerat opera, quàm tum fuit, quo celeriter aduecto Sacerdote,matri,religiosissimæ feminæ, Catholicis aquis expiato infante, cumulatissimi gaudij est allata materia. Bimus cũ adhuc esset puer insedit eius renes, calculus tã atrox, vt in momenta doloribus tantũnon exspiraret:cui calamitati amoliẽdæ, mater eum iteratò consecrat Numini,& eam dedicationẽ breui secuta est exitialis calculi sine infantis noxa,eiectio.Vtorum maternorum ignarus pater grandiorem factum filium iã initiaturus credebatur Caluinianis ritibus, eumque,sue tuendæ augendæque factioni,fortem olim pilanum,mente prædestinabat, sed interceſſit eius cogitationibus celerior occasus,quam putaret, qui adolescentis conditionem in libertatem asseruit. Inde missus in nostra Gymnasia, vbi primùm Societatem vidit,cœpit adamare,in quam posteà seriò adiecit animum,& seipsum studiosissimè contulit.

PRO

PROVINCIA LVGDVNENSIS.

EXeunte biennio suas operas profitebantur Socij quadringenti septuaginta sex, id est, plures sedecim, quàm priore parte biennij; quo toto in partem laborum adsciti quadrageni quaterni; octoni decessere; familiis quattuordecim meruêre Sacerdotes centum sexaginta; Magistri participes aut expertes Sacerdotij centum circiter; Discipuli ferme totidem; Adiutores, nunc pauciores jis decem, nunc decem plures: Tirones quinquaginta, vel iis paullò infrequentiores.

LVGDVNENSE COLLEGIVM.

IOannes Marquæus duobus iam annis Theologica merens stipendia, cum vicenarium ætatis triennio excessisset, maximo Sociorum mœrore occubuit. Placidissimum ingenium, & cum singulari actionis sermonisque lepore consuetudo suauissima, in quibus innocentia quam eximia

emicaret, huic adolescenti domesticorum exterorumque summam beneuolentiam conciliauerat vt nemo non eius commodo, incommodóve perinde afficeretur ac suo. Hic aduersus eum animus egregiè se prodidit in molesta ipsius ægrotatione, quam suo quisque redemtam vellet periculo, vnde illa precum existebat incensa vis, qua eius interitum omnes deprecabantur assiduè, si superis ita viceretur: sed septimo anno ab inita, & fortiter decursa virtutis palæstra, Cœlestium ille palmarum Designator coronam ei decreuerat. Morbi acerbitas in aliquo alio rerum diuinarum sensum, & vim animi ad illustria pietatis facinora oppressisset: sed in hoc visa est tanto magis acuere, incenderéque: vt scilicet præclaro vsu generosis mentibus insita virtutum semina nullis aduersis casibus se sinunt obrui, sed acrium flammarum instar coactæ se exerunt vehementiùs. Vt morbi graues molestiæ multiplicem iugemque ipsi sufficerent Religiosarum actionum materiam, aliunde tamen accersebat omnes earum ansas quàm diligentissimè, ne quod breue sentiebat superesse tempus ad obitum, sine fenore præteriret. Pueritiam omnem, &, ad id ætatis, flexum adolescentiæ lapsui maximè obnoxium, tametsi sine labe transegerat: concipiendæ tamen sensibus intimis pœnitudini, per frequentes gemitus, hoc carmen, ipse sibi occinebat identidem: *Heu fallax adolescentia, quàm præposterè sum vsus annis tuis, & viribus!* Humanis momentis si rem æstimares, lectissimo adolescenti multa inerant

rant, quibus longioris æui cupiditate tangi posse videretur, nec immeritò: ab eius tamen animo nihil visum est alienius; vt contrà suauiter simul & auidè sublatis in cælum oculis, cogitatione vitæ melioris, quasi iam prægustatæ, totus inardesceret, quas inter incensas sanctè concitati animi adspirationes placidissimè occubuit. Virginum cœnobio, ex duplici labe, propinqua imminere videbatur ruina, quòd votiuæ paupertatis integritas iam pænè obsoleuerat, & solutior in pletisque labebatur. Vtrique incommodo est salubriter occursum expolitis, per Diuinorum sedulas commentationes, Virginum principibus, ipsaque inter primas Antistita; quibus factum est, vt instituti Religiosi memoria vsusque reuiuiscceret, vnáque de cœtu, paupertatis studio, referret in commune de suo peculio argenti facti, pretiosæque supellectilis bene magnum modum, stupentibus reliquis sororibus, laudantibus Ecclesiasticis Censuris decem & octo annos irretitus ad nos adiit, vt eis tandem expediretur vinculis, sed eorum fuit ea conditio, vt vsque ab Roma necessariò esset euocanda solutio; quo vt eo nomine missum erat, ille graui morbo decubuit, vnde non excitaretur postea: sed cuius animus in momenta euolaturus putaretur, supra naturæ vim, occultis illigatus nexibus hæsit in statione, quoad allati Pontificij diplomatis eum auctoritas, multa exemtum, honesta quoque missione corporis ergastulo mox absoluit. Hæreticorum ex Albo expuncti viginti duo, in iisque Sacerdotij

desertores tres, quorum vnus duodetriginta Sacerdotibus sacrilegæ defectionis auctorem se fuisse multo cum gemitu secum ipse querebatur.

Sequentis anni de Caluiniana præda manubiæ ad nos vberiores peruenere, duodequadraginta eius transfugis auspicatiore sacramento in nostro exercitu dicentibus, cuius transitionis nomen auctoritatemque non defugerunt Ministri filius, & alius inter suos nuper Diaconus. Adolescens, aliàs Discipulus noster, & Marianus Sodalis, prohibitus assiduitate negotii statos Sodalitii non obibat conuentus, animo tamen studium erga Patronam fouebat, cuius ei copiosam mercedem Magna Mater repẽdit in tempore. Is enim cùm operis nescio quid curaret ardentiùs, maioris modi acum altè defixit in sinistro oculo, cuius plagam vt periclitati sunt medici, decernunt reuocandi luminis spem esse ablatam penitùs, in id vnum maturè conferendam artis industriam, vt oris deformitas abstergeretur, cæteram omnem operam planè inanem fore. Per eas angustias humanæ artis opisque, adolescens summo conatu mentem erigit ad extraordinaria subsidia è cælo accersenda, Magnæque Matri supplicat ardentissimè, interpositis triplicium votorum velut obsidibus, vt clienti suo manum admoueat salutarem. Sub illam precationem chirurgos obtestatur, amoliendæ luminis orbitati curationẽ adhibeant sollertissimè, tantisperque sustineant petitum ab naturæ & artis experientia judicium, nam magnopere confidere se, ab Dei parente suffectum iri manibus ipsorum

inusitatam

inusitatam vim sanationis, eius ductum modò sequerentur, quæ remedia & operam esset prosperatura extra ordinem. Medicis ei tantopere roganti obsecutis, paucorum dierum curatione oculus aciem integram, speciemque recepit, tenui dumtaxat vulneris macula residente, quæ Diuinæ manus admotæ vestigium præferret, idemtidemque refricaret memoriam beneficentiæ. Amico accepti hospitio in agris Patres, cereis Agnis armauerant familiam aduersùm infestos Lemures, cæteraque pietatis institutione munierant. Ab eorum digressu, cubantibus in eodem lecto famulis duobus, obdito foribus pessulo, ante somnum ad lecti spondam, se obiicit proteruissimæ feminæ species, prælato dextera lumine, cuius splendore fit spectrum vtrique conspicuum. Alteri cubantium ex repētina trepidatione fertur animus ad sacri amuleti nuper accepti cogitationem, cuius ope fretus iubet laruam eloqui, atque sitne à Deo, an à dæmone, profiteri. Ab neutro missam se affirmanti, sed volaticum esse genium, nulli noxium, ille, fraudem iure suspicatus, manum bracchio iniicit, in oculos deinde inuolaturus, sed, inter eam prehensionem, simulacrum elabitur, & ad ostium regreditur. Ibi mox induit armati squamatique pumilionis effigiem, adunco naso, villosis manibus pedibusque, densioris flammæ circumfusam globo, quibus prēstigiis, vt vidit hominem nihil commoueri, pòst paullò in fumum euanuit. Triduo ab illa nocturna ludificatione, alterum ex iis famulis, qui, seu obliuione, seu contemtu, sacri amu-

leti nihil sibi petierat, vis quædam vehemens & occulta renitentem maximè, ac vociferantem, eodem de cubili, à capite detrahit, & asportat ad fenestram, aut deiectura præcipitem, aut longiùs in perniciem auectura. Magnitudo periculi excitat in misero Numinis memoriam, ac Beatæ Virginis, quorum precatus opem, huic votum concipit, eueſtigióque is funesto raptore absoluitur, & somno socius, qui ad id momenti mirè sopitus, eum tumultum non aduerterat. Dies deinde aliquot ingens hominem horror tenuit, & ad omnes domus fores infesta ei fuere dira simulacra, donec ad nos perductus anteactam ætatem vniuersam vna Confessione recognouit.

AVENIONENSE COLLEGIVM.

CAtholici nomen & speciem ementitus Minister dolo malo Auenione versabatur, quem sui demum sermones, tametsi callidissimè ad fallendum compositi, prodidere, ac compegère in vincula, vbi, auditis nostrorum ad vinctos crebris adhortationibus, sic affici tandem cœpit, vt colloquium vnius Sociorum ambiret, quocum sæpius congressus errorem dedoctus est, eaque ratione ab Hæresi & carcere absolutus. Tetrorum criminum reus vir quidam, multos iam annos Deo illudebat, dicis tantùm gratia vsurpato Confessionis officio, dissimulatis in eo videlicet teterrimis immanium flagitiorum vlceribus: cui Deus, leuiore

leuiore inurenda plaga, horrendi tandem sacrilegii salubrem religionem inussit. Sacrosanctis Paschæ diebus ore animoque impurissimo ad Cælestes dapes se appulerat, reclamante, vt semper scelerum infandorum conscientia, cùm, demisso in stomachum Diuino ferculo, ei derepente pectus intumescit, viscera exitiali torrentur ardore, vt lymphato similis, omnibus concuteretur artubus, inauspicatum nescio quid dentibus infringens, ac mox linquentibus animo & viribus, collabefieret nisi exceptum amici domum inter manus asportarent. Post aliquantum temporis sui compos factus, liquidò intellexit, reum se Maiestatis Diuinæ vadari, ob scelestissimè irrogatas Numini diuturnas immanesque contumelias: quo nomine, quem vnum conscium haberet teterrimarum fraudium, Deo tacitus se adstringit vitæ melioris sponsione. Inde certum de Patribus nostris aduocat, cuius ad aures superioris æui noxias singulas, & horrenda sacrilegia, intimo doloris sensu exsecratur: neque mora intercedit, quin omni cruciatu eximatur. Ei miserè laboranti præsto aderat amicorum vnus intimæ necessitudinis, qui ad eum diem Catholici pectoris vmbram Caluinianæ fraudi obtendisset, cui æger cùm tam repentinæ acerbæque calamitatis rationem familiariter indicasset, is veritus, ac meritò quidem, vltionis Diuinæ iam intentatam fortasse capiti suo machinam, posito infami simulatæ religionis velo, germanum Catholicum sincera mente professus est. Ex adolescentium Sodalium decuria vnum

proiectæ

proiectæ libidinis muliercula, occupatum in strato, lacessebat ad communionem flagitii, cui ab se depellendæ setosum cilicium pectori prætentum cùm ostendisset, nec illa reprimeretur, hic ad validiora tela conuersus, promtum è puluinari flagellum acerrime cœpit nudatis incutere humeris, dum spectaculi horrore funestum prostibulum ab se procul abigeret. In senioribus Sodalibus cuipiam vel à natura, vel prauo ab vsu incesserat effrenatus ad omnem libidinem impetus, quo vrgente per obsceniſſima quæque diu fuerat volutatus, vnde veteres animi clades recogitanti acerba indignatio, & sui horror ingenerabatur. Efferuescente igitur vehementiùs hoc doloris æstu, prostratus in ardentes preces intentiùs ab Deo efflagitat, vt quoties impuræ cogitationis stimulus mẽtem lacesseret, de firmitate membrorũ, oculorumque acie, sibi quidpiam decerperetur. Iusto sui refrenandi studio concepta obsecratio iucunda Numini cecidit, & habuit exitum, qui optabatur: enimuerò cùm posteà vehemens libidinis titillatio corripuisset hominem, & is ad facinus accingeretur, repentina eius oculos cæcitas inuoluit, qua non eximeretur, quoad vesanus ille motus planè concidisset. Nemausi Arecomicorum decem Hęretici, obducto Catholici moris simulacro, in latebris deinde Caluinum pro numine reuerebantur multos iam annos, quibus adscititia persona detracta est, & Catholicorum germana inducta. In Hugonotis vndecim, ad Romanas leges adductis, post longam tergiuersationem, emicuit mulieris

lieris ægrotæ alacritas & animi fortitudo, in profitenda ratione assumti ab se Catholici dogmatis, Caluinici conciliabuli Patribus summis quibusque palam, atque inexspectatæ huius mutationis causas anxiè sciscitantibus. Quod serò tandem ausa est, id ei pridem erat decretum, nisi vanus quidam matris metus, feminæ Caluino addictissimæ, professione Catholici nominis auocaret: nunc verò quod sui consilij esset apertè enunciantem, rebantur, aut se ratos simulabant Caluiniani, à coniuge fuisse blanditiis metúve adductam ad eum sermonem, qui non esset ex ipsius animi sententia. Eius voluntatis haud dubiis conjecturis explorandæ gratia, eò accesserat Capitalium rerum Duumvir Nemausensis, præter Caluinianæ scholæ proceres, apud quos primùm questa est, cum multa sua iniuria, vocari ab Hugonottis in dubium, suone, an alieno ex sensu asseruisset, nuncium Caluino se remittere, quasi mulier id ætatis, conditionisque, ipso pænè in articulo subeundi iudicij Diuini, de re omnium maxima, videri voluisset in cuiusquam gratiam ambiguè locuta: deinde grauiter, & contenta voce, pronunciauit certum sibi esse in Catholici dogmatis sententia viuere, atque pro eo tuendo sanguinem profundere, si se Deus hoc beneficio dignaretur. Ab tam luculento edito suæ Fidei testimonio rerum caducarum mentionem non admisit, nec cogitationem; de coniuge ac liberis omnes sermones aliò auertit, vni Diuinarum rerum commentationi affixa penitùs, quo cælestia meditandi accenso studio ad decimum

mum producto diem, ipsa religiosissimè occubuit. Omnium qui ad hunc diem Caluiniani Euangelij præconium fecere in Gallia, intelligendi ac dicendi sine controuersia Princeps, Ieremias Ferricus, cuius vnius viribus Hugonotica sententia maximè tota Francia nitebatur, vt eorum partes magnoperè sua destitutione affligeret, si ad nostras traduceretur, ita, qui de Patribus cum eo congressi momentum illud habebant exploratum, cupidè adiecerant animum studiumque suum ad eius periclitandam, & eo concitandam voluntatem. Quod vt maiore fiducia molirentur, suadebat hominis liberale ingenium, & non modica eruditio, quæ duo si adhiberentur, summoto antegressarum opinionum præiudicio, ad dispiciendam veritatis lucem, abesse non poterat, quin vt ea ipsi copioso splendore affulgeret, is eam agnosceret, ingenuéque amplecteretur. Neque secus accidit, quàm illi ex hominis perspecta indole prudenter coniecerant, nam vbi secum agi deprehendit liberaliter & amicè, eò quoque non grauatè mentem appulit, quò inuitabatur, & quod suasus erat, semota omni peruicacia, cum otio, & animi quiete, vim rationũ à Caluinismo reuocantium accuratiùs expendit, neque illis cogentibus id quo de agebatur, suum assensum negauit. Exinde per aliorum negotiorum causam, Nemauso Lutetiam eunti redeuntique multiplex cum nostris eo de argumento, locis idoneis, sermo fuit, vt demum eius ad Catholicos transitio decerneretur. Eo certè animo studia sua conferebat in partes Romani dogmatis, vt explo-

dendi

dendi ſollemni exſecratione Caluiniſmi theatrum deligeret Nemauſum ipſam, vbi Hęreſis propagandæ, ardore incredibili, & ſumma dicendi gloria, permultos annos florentiſſimum nomen, inter perpetuos ſuorum plauſus, ſibi conciliauerat: fuere tamen amicorum graues ſententiæ, cur eo tempore, ac loco, ad tantam celebritatem res non adduceretur. Homo id ætatis, experientiæ, auctoritatis, eruditionis, conſilij, & grauitatis, cum ab veteri ſententia rituque poſt multam deliberationem, diſcederet, potuerat ſecum pertrahere in idem cõſilium quidquid eſt Caluinianorum in vniuerſa Gallia, ſi quidem res iuſta rationum trutina penderetur: ſed ea vulgo non ſunt Hugonotorum ingenia, quibns tam facilè receptum ab errore perſuadeas, quàm liquidò ipſos errare peruincas, adeò præfractè tuentur, quod ſemel animo combiberint, ne non ſatis acuti, & intelligentes in iudicando fuiſſe videantur. Tantum verò abfuit, vt Nemauſenſis populus ſanum & maximè prudens doctoris ſui reuereretur iudicium, cuius in verba velut in ſacra Pythici oraculi effata, pridie fuerat iuraturus; vt ſimnl ac obſcuris ſermonibus diſſipatum eſt, iam alia omnia eum de Fide ſenrire, cæco impetu rei omnium grauiſſimæ abſtruſiſſimæque diiudicandæ temerarium inſanumque ſibi vindicaret arbitrium: quia ſcilicet apud Caluinianos audacia & ferro potentioris partis eſt decernere, quid cætera pars in Fide ſequatur. Tota igitur Nemauſenſi vrbe plebeiorum cietur rumultus, animos clam facientibus Hugonotorum proceribus, &

paſſim

passim audiuntur acerbæ voces proditorem sinceri dogmatis Ferrierum ex mortalium numero exscindendum; ferro ac igne piandum scelus, quod impius in sacram Christi familiam conscinisset; occupandam priùs vesani capitis amentiam, quàm turpi labe suos nuper consortes inquinaret;& acerbitate supplicij obstruendum; cæteris de suo corpore, ad hoc genus impietatis exitum. Ferrierus, cui plus satis multo ex vsu notum esset suorum nuper tribulium ac collegarum ingenium, cùm inaudisset concitatos in se plebis animos, furentemque sua sponte procellam occultis maleuolorum flabris vehementiùs accendi, clam in potentis & Catholici viri ædes perfugij causa demigrauit, diro alioqui membrorum laniatu satiaturus truculentæ plebis, hostili sæuitia ferro & igne grassantis, immanitatem. Ferina rabie instincti homines vbi herum suis ædibus abesse audiunt, ipsas in ædes innoxias, & earum instrumentum acerbi odij tetrum virus exonerant, penuariam cellam, vel corrumpunt, vel cum supellectili eiiciunt per fenestras; heram ipsam, puerperio proximam ex lecto contumeliosè deturbant; geminam eius prolem, teneram adhuc,cum matre incendio communi domus ipsius destinant; inde malleolo & facibus in suburbanam eius villam,infestis omnia deleturi flammis, prouolant;quos nisi villicus supplex inhiberet precibus, eam labem suo futuram periculo denuncians, eodem tempore vrbana & rustica res omnis Ferriero deflagraret. Verumtamen ne sanctæ religionis æstus ipsos nequidquam

eò

eò prouexisset, proculcandis latè frugibus, petulanter defringendis vitibus, arborumque tum surculis tum ramis, non modicam consumunt operam, sui semper, ac veterum facinorum memores; vt qui ferro ac igne noui sui Euangelij sementem nuper fecerint, cæde ac incendio eiusdem auertenda carbunculatione grassentur. Is intererà, cuius vnius maximè petebatur iugulum, suam salutem Catholicorũ septus claustris, & præsidio vallatus, non sine trepidatione, tegebatur, sic animatus tamen, vt si maior vis inde se abigeret, vt incolumis non posset euadere, quacumque pateret exitus, in Patrum nostrorum eniteretur contubernium, vti eorum in oculis, & ad ipsorum, vt aiebat, pedes, pro Catholica Fide mactandum se, Deo victimam, consecrarer. Vbi verò furentis plebis nonnihil ardor deferbuerat, opera Catholicorum ciuium, veste mutata, Nemauso elapsus est, tutumque ac honorificum receptum habuit apud Belliquadrenses, ad Rhodani ripam, itidem in Aremicorum Volcarum finibus. Fratri tamen ipsius, clarissimo medico, non adeò feliciter aliquot inde diebus cessit alieno vestitu tentatus exitus, cui nempe, inter effugiendum agnito, intentata sicariorum manibus atrox lapidatio perniciem propemodum vltimam attulit, sed Deo propitio tandem inter diram saxorum procellam euasit. Ea defunctus clade Ferrierus, qua Christi Crucem, germanam vtique Catholicorum tesseram, per ipsa rudimenta Christianæ professionis sibi desponderat, operam cuestigiò contulit ad lucubrationem dignam eo verita-

tis ſtudio, quod per acerba illa initia prętuliſſet. Brevi ergo ex ipſius officina prodiit luculentus iuſti modi commentarius, quo facti ſui eam rationem reddit, quam neceſſe ſit probari ab ſapientiſſimo & æquiſſimo quoque arbitro, vbi etiam refutat fuſiſſimè ac validiſſimè certa quædam Caluiniani dogmatis pronunciata, quibus aſſerendis olim ſe intemperātius ipſe iactauerat. Maſſiliēſibus & concionaria in primis, & reliqua omnis opera diu, ac vtiliſſimè nauata eſt: neque minùs frugifera Rhodani vtriuſque ripæ accolis, Cauaribus & Volcis, per frequentiā oppida, & pagos non pauciores. In Monbrunenſi ora Caluinianus Miniſter, præſente eius loci Dynaſta, noſtrum auſus laceſſere, vbi ad ignominioſam infantiam paucis adactus erat, præmium temeritatis tulit Satrapæ indignationem, ſuique abdicationem miniſterii, noſter autem præter eruditionis elogium ab ipſo Dynaſta Hæretico, eiuſdem beneuolentiam, conuiuium, atque hoſpitium promeruit.

Parte altera biennii vni Diſcipulorū noſtrorum ad ſacrā mensā prouoluto, & ſegniùs rem gerenti, occurſabant frigidæ Caluinianorum cauillationes aduersùm Euchariſtiæ veritatem, quas nuper ex illis audiuerat, quarum inanitatem quòd maturè non reiecisſet, ipſæ ſe inſinuabant in eius animum, & fermè aſſenſionem iam exprimebant. Interim Sacerdos cum ſacroſancta Hoſtia ei iam adſtabat, eam porrecturus in ipſius os, ſed infelici labra & dentes tam obſtinatè occludebantur, vt is omni licèt conatu eniſus tātillum non diduceret, quo caſu

su impietatis suæ admonitus, in Deum, & in Eucharistiam, quàm potest religiosissimè, Fidem excitat, cinsque suo scelere nunc eo ipso loco violatæ supplex postulat veniam: neque fit mora, quin ei recludatur os, multáque mox religio erga illud Sacrum diuinitus infundatur. Adolescens grauioris flagitii reus pudore prohibebatur, quò minùs fœdo vlceri medicinam Confessione accerseret, iamque menses aliquot hoc pacto illi cesserant, cùm Stygio infestus hospite rusticus, omnis litteraturæ ignarus, ei seducto de via, & æqualium cœtu, commemorat occultum illud facinus, & aliquot expressum idiomatis acerbiùs exprobrat. Grauiter attonitus tam inexspectato euentu puer, hærere primùm ac pauere; dein culpam agnoscere, ac recipere pœnitentia expiaturum; sed quæcumque illum causa tam salubri consilio abstinuit, deinceps hærebat in luto, cùm ille idem seuerus monitor, in adolescentis conclaue insinuat, clam omnibus occupat solitarium, & increpitum asperrimè, Deo se auctore denunciare ait, diuturnæ contumaciæ iustissimam pœnam, durũ & propinquum ipsi è cælo imminere letum, exindéque apud Orcum æterna supplicia, nisi desubitò animum adiiceret ad conceptũ pridem scelus eluendũ. Puero vix vmquã alioquin ausuro expromere flagitii turpitudinẽ, necessaria fuerat intẽtata potentiùs à Deo machina, quæ se adigeret ad Christiani officium, quo religiosissimè defunctus est, posteà quàm ei tam præcisè fuit edita Diuinæ iussionis formula. Septenis Missionibus vicina oppida exculta sollemnibus

concionum diebus ante Christi Nascentis Resurgentisque ferias;interque cætera illius operæ compendia,octo Hęreticis fax veritatis illata est,quam & volentes adspexerunt, præsertim verò mulier octogenaria, in qua pridem Theologi non pauci tempus oleumque perdiderant. Inusitato prodigio vnus aliquis, immanium scelerum sibi conscius, inductus ad idoneam homine Christiano religionem,cùm participare Sacramenta vel inquinatissimo animo neutiquam vereretur. Ipso sacro Paschæ die ab cælesti Epulo domum redierat, & aduertit vxor ex illius femore cruorem defluere, quo spectaculo attonita exclamat, rata maritum ferro grauiter saucium,quod ille cùm negaret, sanguine tamen coxendix & crus manare pergerent, vterque mirari summopere, ac diligenter scrutari fluxionis originem, quam deprehendunt ad summa femoris,inter vestes, in concreti sanguinis grumo mediocris pomi magnitudine,vnde eminula quinque tubercula, totidem papillarum instar, cruento fluore manarent. Adhibiti medicorum experientissimi, ad eius liquoris periclitandam naturam, iurati asseuerarunt, illum sangninem ab humano neutiquam discrepare:quo miser ille ostento permotus, rationes cum animo suo, ex conscientiæ pridem reclamantis formula,diligenter sibi putandas sumsit. Apud Belliquadrenses Rhodani accolas, in Volcis,viceni,terni apud Salonos, in Salyis, Caluini lepram exuerunt.

TVRNO

TVRNONENSE COLLEGIVM.

VALENTIÆ Cauarum vnus de nostris, inter obeunda sollemnium conciorum munera, tricenos septenos Caluinianorum cum Romana Ecclesia & sentire & viuere docuit: denos alius alibi eodem volentes adduxit. Matrona nobili genere, nonagenaria, primùm nascentibus nouis Caluini mysteriis infans imbuta, Catholicum non modò institutum, sed nomen quoque, in primis verò Sacerdotum, oderat implacabiliter, vt ad eorum ipsam appellationem exhorresceret. Ad eam, haud procul Turnono, vnum de nostris Sacerdotibus euocant, ex itinere, viri nobiles, qui moribundæ aderant, cuius ad adspectum recreata mirificè, stupentibus omnibus, desubitò erũpit in ardentissima desideria Caluiniani dogmatis explodendi, neque vrgendi finem fecit, quoad noster, vix horæ quadrante quàm aduentarat, ei ex sollemni formula Caluinismum exsecranti, aures accommodaret. Se verò Dominici corporis summa incensam auiditate, non est passa in lectulo, tametsi grauissimè affectam, Diuinis mysterijs imbui, ne quid secus fieret, quàm ipsa dignum putaret reuerentia præsentis Numinis: iussit itaque se deportari ad familiare sacellum, vbi, velut proximè vita functuræ, sacri viatici nomine Diuina Hostia ei porrecta cùm esset, contra opinionem omnium, ex morbo incolumitatem impertiuit. Non diu superstes deinde fuit, sed, quod vitæ

conceſſum eſt reliquum, id ſanctiſſimè agnoſcendo inuſitato erga ſe Dei beneficio tranſegit. Idem Pater ad inopinantem Hæreticum, grandi etiam ætate ſenem & ægrotum, introductus ſuadendo tantum valuit, vt Hæreſin ei extorqueret, quem Numinis benignitas Sacramentis ritè procuratum ſanitate donauit, qua nũc fructuoſiſſimè vtitur redigendis ad Chriſti gregem tota vicinia Caluini errantibus aſſeclis. Feminæ primariæ, in laborioſiſſimi partus anguſtiis ad extrema deuolutæ, Sacerdos noſter accerſitus, opis ferendæ cauſa, tradidit in manus tenuem aſſulam ex Spõda B. Patris Ignatij, qua accepta derepente feliciſſimo functa eſt puerperio. Admotis eiuſdem Patris reliquiis, depulſo vitę haud dubio periculo, facillimè peperit coniux noſtri medici, cuius teſtimonio didicimus nullis humanis viribus matris incolumitatẽ in eo partu potuiſſe aſſeri. Hoc demum anno ab Sociis Turnonenſibus recepta ſunt oſſa Patris Iacobi Saleſij & Guillelmi Saltamuchij, ex ſua olim familia, quos prioris ſæculi annus nonageſimus tertius illuſtres Martyrij laurea cælo inuexit. Eorum reliquias Caluinianæ ſæuitiæ Albenacenſis Matrona religioſiſſima ſubtractas, diúque aſſeruatas domi occulta in latebra, deinde Patribus noſtris Auenionenſibus, clam admonitis, ſummiſerat, à quibus ſacrum depoſitum denique acceptum, ſacro loco abdidimus.

Secundo anno apud Gratianopolitas ſeducti de Caluini Schola diſcipuli ampliùs viginti, moxque Catholica inaugurati diſciplina, in quibus prin

principes matronæ duæ hoc laudis ampliùs tulêre, quòd, præter Mimistros, eas exagitarunt magnopere propinqui de Caluiniana decuria, sed non alio compendio, quàm sui dedecoris. Noster porro Delphinates pænè omnes exciuit Gratianopolin, vt eo nomine nouis præsidiis regiones vrbis firmarentur: concursum verò concitauit fama quadragenariæ orationis, cuius apparatus fuit magnificentissimus, & apparatui fructus haud absimilis. Processit supplicantium acies numerosissima ordinatissimaque, Christi patientis religiosè instructa symbolis; cuius multo maxima pars de nobilitate fuit virginum matronarumque, velata fronte, pedibus nudis, virorum retectis ad flagellorum ictus humeris; quo spectaculo nihil meminerant, quotquot interfuêre, ad incutiendam religionem se vidisse potentius; quæ confessio non Catholicorum modò erat, sed ipsius Lesdiguierij, quem curiositas visa est ad spectandum pellexisse, sed tenuisse deinde ipsa rei summa dignitas, res Catholicorum ex eo vno argumento maximè intereà stupentem. Is toto triênio concionatorem nostrum, Gratianopoli versantem, illustri semper & honoris & amoris loco habuit, & eius illa vox frequenter excepta est, beneuolentia & veneratione aduersùs eum Patrem nemini planè se nostrorum concedere. Nostrum Institutum ex eodem Sacerdote cognoscere voluit, cuius rationem cùm inde habuisset perspectam, ostendit illud sibi placere vehementer, & clarissimè pronunciauit, Societatem ab omnibus Francis, qui verè Franci es-

sent adamandam esse meritò, & vndequaque expetendam. Vt constaret autem quanti faceret Patris eruditionem, & rerum grauium tractandarum industriam, ei vni duodenos Caluinianos Gymnosophistas se obiecturum denunciauit, disceptaturos de igne purgante, & conuersione panis vinique in Christi corpus ac Sanguinem; sed aliæ res ex aliis hanc cõgressionem auerterunt. Eodem Patre arbitro diremtæ lites, quæ futuræ immortales videbantur, Episcopum inter & Clerum Grationopoliten: sopita item in Virginum cœnobio, duas in factiones distracto, funestissima discordia, cuius eò difficilior erat reconciliatio, quòd vtrique factioni aderant firma & manifesta principum virorum subsidia, & ex Senatu, & ex Clero, Antistibusque domesticis atque extraneis. Præsidem de suo corpore vtraque Virginum decuria sibi legerat, fautores verò sui cuilibet suffragabantur Antistitæ, quasi legitimæ: Pater tamen ex sacrorum Canonum formula demonstrauit, vtramque vitio creatam, ideóque magistratu abdicãdam. Quod vbi persuaserat, ardenter cohortatus est vniuersas singulasque ad gratiam reconciliandam, ac inde vnam sibi Præsidem communi suffragio legendam, quod vtrumque summa omnium consensione impetrauit, Virginibus deinde suum præ magnitudine gaudium non capientibus, cùm certatim aliæ ad aliarum exosculandos pedes prouoluerentur. Turnoni sex de Caluinianis copiis detracti manipulares, qui Catholicis in castris salubriora stipendia mererent, quorum vnus propediem

diem infulis ſacri miniſterij deſtinabatur. Turnonenſis olim ciuis, vndetriceſimum abhinc annum mortuus, tanto ex interuallo, villicæ ſpectandum ſe præbuit, qui eſſet multis probauit argumentis, & ad hæredem filium dedit mandata, vti ſuo nomine ſalis frumentique certum modum erogaret in egentes, & Sacra procuraret. Conſulti ea de re noſtri Patres, aliquid etiam copioſiùs, quàm poſtularat, ei tribuendum cenſent; quod & factum eſt magno defuncti ſolatio, qui exinde villicam admonuit ſatis ſuperque ſibi factum eſſe, iiſque adiutum præſidiis iam in cælum abire, futurum perpetuò memorem beneficij apud ſe in tempore collocati.

CAMBERIENSE COLLEGIVM.

BInis locis in vrbe, ternis extra vrbem Concionatores dedimus, per ſollemnes ante aduenié-tem & reſurgentem Chriſtum dies; ac in vrbe quidem Rectori huius Familiæ verba facienti vtraque iudiciorum rationumque Curia perpetuò cupidiſſiméque adfuit, pérque illud tempus eiuſdem Rectoris ſtudioſiſſima cura ingẽtis molis negotium quoddam feliciter perpetratum eſt, cuius ſecundo exitu, qui eius noſſent conditionem, vehementer obſtupeſcerent. In ſuniorum Sodalium cœtu detineri ſe Cauſidicus indignum ſua conditione credebat, ea propter habebat ſe negligentiùs in omnibus, & multa infrequentia nauſeam ſuam

ostentabat apertiùs. Ei ergo quiescenti oblatum est visum Magnæ Matris, in puerorum conuentu, eorum singulos amantissimè amplectentis,& nullo non blanditiarum genere singulare omnibus testificantis beneuolentiam, vno inter omnes præterito neglectoque Causidico, quem nec aspectu dignaretur, nisi vt, tristioris frontis incussa seueritate, hominis animum eo suæ indignationis percelleret admonitu; quod equidem satis ei fuit, vti suam culpam agnosceret, elueretque in posterum. Huius Sodalitij tanto impetu exarserat studium macerandi corporis, vt nisi maturè cohiberentur elatiùs iam prouecti, certam sibi pernicicm crearent, lecti, victus, cilicij, verberum asperitate assidua & immodica. Adolescens deprauatis moribus matri,religiosæ admodum feminæ, hoc nomine inuisus erat, quòd velut infensus Numini quotidianis sceleribus bonitatē ipsius irritaret; quamobrem pia mulier post diuturnam irritamque curationem refractario adhibitam, supplex Deum rogare insistit, vt perdito adolescenti eam corporis infligat vexationem, ex qua redeat saucio animo salus; neque multum abiit temporis, cùm voti compos facta est. Intempesta nocte redibat nebulo ex ganea, iamque transgressus erat limen domus, cùm exorto foris tumultu regredi ad rixantes gregales voluit, manu & precibus retinente ipsum matre, cuius auctoritatem nihil moratus,vi se ab ea excutit, & in publicum redit, ipsoque in egressu immane vulnus dorso excipit, cuius ictu inaudito pia parens exclamat: Quod animo tuo

felix

felix fauſtumque ſit, mihi ac tibi gratulor eam plagam incuſſam membris, vnde ad animi procurandam ſanitatem auſpicata ſint nobis futura exordia. Quattuor menſes ex vulnere decubuit, ex eoque poſteà interiit, ſed, optima ſatagente matre, perpetuis exercitationibus pietatis omne illud tẽpus ſanctiſſimè illi traductum eſt, vt vnum illud infortunium ei deeſſe videretur ad ſalutem eius aſſerendam, cuius religioſa mors ſpem bonæ matri iure fecit maximam. Anno quoque altero peregrè itum ab noſtris Concionatoribus, & opera omnibus locis poſita eſt fructuoſiſſimè. Alicubi de Chriſti patientis erga percuſſores ſuos clementia dixerat ardenter Sacerdos noſter, atque ad eam imitandam virtutem, Chriſtiani hominis propriam, vehementer cohortatus fuerat auditores, quorum de numero militiam nuper profeſſus, & in ea ductorem ordinum, ſenſit dictione huiuſmodi ſe affici magnopere. Huic diſcedenti è templo fit obuiam plebeius homo, cum primis ipſi pridem inuiſus, ex memoria illatæ ſibi olim ab eo grauis contumeliæ, quo peramanter appellato, quæ modò, inquit, ab Concionatore accepi de Ieſu benigniſſimi Seruatoris mei erga parricidas Iudæos indulgentia, prohibent meminiſſe tuæ aduersùm me quondam iniuriæ, quare iungẽdis dextris perpetuam reconciliemus gratiam. Procidit ille ad iſtius genua, duplicẽm ſuam profeſſus culpam, & quòd iniurius olim fuerat, & quòd per ſummam ignauiam in officio abolendæ ſuæ noxiæ aliena diligentia ſe paſſus eſſet præueniri, quo nomine tam

clementi

clementi viro ſtudioſiſſimam volũtatem, fidelemque operam deferebat in perpetuum.

DIVIONENSE COLLEGIVM.

GEneuenſis mulier, capite luitura ſupplicium, tametſi aliàs non admitteret vllam Catholicæ rei mentionem, denunciata pœnæ vltimæ neceſſitate, antiquius nihil habuit, quàm vt noſtris myſteriis vellet imbui, rata in Caluiniſmo moriẽtibus nullã eſſe ſpem ſalutis. Adoleſcens annorum viginti quattuor, patre natus Geneuenſi, copioſo, eodem propè tempore ad Catholicos etiam tranſgreſſus eſt. Narrabat hic Geneuæ recenſeri ampliùs mille ac ducentos ab Dæmonibus infeſſos,& veneficiorum inibi eſſe vſum frequentiſſimum: ſe verò quadrimum cœpiſſe vexari horrendis intemperiis, opera Stygij prædonis, ſuum corpus occupantis, cuius tyrannide paucis ab hinc diebus eſſet liberatus. Olim autem cùm iam factus eſſet grandior, & in dies ſæuior fieret ſuus ille hoſpes; vel miſeratione, vel cupiditate ductus gloriæ, Geneuenſium Miniſtrorum primarius ſibi ſumit infeſtum aduenam ex aliena poſſeſſione deturbandũ. Eo nomine ab ipſo vocantur ad cœnam puer, eius parentes, & propinquorum nonnulli, ſpectatores ac teſtes futuri eius facinoris, quod licèt in Luthero & Caluino, reconcinnati Euangelij auſpicatis principibus, nec fauſtum nec honeſtum habuiſſet exitum, nunc demum tantò ſanctioribus ac

efficæ

efficacioribus Miniſterij, quàm nuper, infulis, omni fauſtitate locupletandum eſſet. Mox à cœna, liberaliter curato corpore, collectis ad pugnam ingentibus vtique viribus & animis, ad Hugonottici ritus nouos Exorciſmos magno faſtu deſcenditur, eóque vultu ac voce, quibus & Tartari, & Cælorum etiam imperium concreditum putare facilè potueris, iubetur ſatelles Orci ex ſtatione decedere. Riſit primam iuſſionem Acherontius ludio, alterā procaciùs illuſit, cùm neſcio quid prætereà ingeminaretur ab Caluiniano Archimandrita, ne quid vmquam huius generis in ſe auderet vllus Miniſtellorum, ſibi prouidendum rarus ille veteratorius bellator, ab ludicro ad ſæuitiam derepentè conuerſus, inuolat in malè auſpicatum Exorciſten, & nequidquam obnitentibus domeſticis hoſpitibuſque, pugnorum & calcium duriſſima velut grandine contundit, auguſtúmque illud caput, nulla Caluinicæ inaugurationis reuerētia, immanibus conciſum plagis vndique cruentat, vt miſer, poſt eam cladem, quaſi taurus laniena elapſus, ſanie totus diffluēret. Sed hanc, licèt acerbam, tetrior ſecuta eſt procella; mox enim per ſaxeas ſcalas præceps deiectus, caluariam, & reliquum corpus alliſit quàm grauiſſimè, dilaniandus omnino ab ſæuiente Tartarea bellua, niſi, adhibito quàm maximo ab adſtantibus conatu, eius crudelitati ſubtractus eſſet. Ex tam infauſti certaminis alea Miniſter, ſuæ gentis Heroum maximè inclytus, quaſi auulſis Erebo cornibus, excuſſoque diademate, quæ vtraque ſuo adſtruxiſſet capiti, faſciatus, &

cornuta

cornuta fronte conspicuus, triduo pòst, in concionem prodiit. Parentibus natus erat adolescens ille perbene affectis in dogma Catholicum, à quo nec erat ipse alienus; sed illa tam imbellis Ministri manus aduersùs Stygium Canem, ac Ministri quidem, magni quondam Bezæ successoris, quo tamquam fenea larua, esset abusus, ad ludibrium Caluiniani apicis, qua iam exigua spe pridē erat, sanitatis & salutis apud eos Popos assequendæ, ipsi omnino eam præcidit. Consilium ergo init tacitus adsciscendæ Catholicæ Religionis, perque occasionem visendi ruris paterni, Geneuensibus claustris se eiicit, opportunéque in Capuccinos Patres incidit. Horum sermonibus magis etiam inflammatur ad studium Catholicarum partiū, quorum in propinquas ædes inuitatus cùm venisset, iis auctoribus Beatæ Virginis patrocinium, diuturnæ calamitati suæ depellendæ, adoptat, eoque ipso loco, ad patronæ imaginem prouolutus in genua, orat quàm ardentissime, spondetque transitionem in Romana Castra, si eius ope Dæmonum absoluatur tyrannide. Incensas fuisse preces, & pronas Virginis aures in vota sui clientis, documento id fuit, quòd ab ipso sponsionis momento infesta Tyranni vexatione liber penitùs in hunc diem viuit. Ex eo quoque audiebamus de Monacho, quem impuræ vitæ licentia ex Sequanis Geneuam appulerat; quò cùm aduentasset, Caluinianæ sanctitatis exordia duxit ab sacrilego coniugio, atque vt inter profani verticis Ministellos velut rediuiuam abiecti Sacerdotij sui facultatem nonnullam venditaret,

ditaret, cœpit Energumeno adhibere Catholici moris Exorcismos, & sacris quondam digitis obducti oris hiatum moliri, & inde disertum sermonem ab Dæmone postulare. Sed Hæresis & incontinentia exaugurauerat digitos, vt eorum dignationem pristinam nihil moratus canis ille Stygius, eos mordicus apprehensos tantumnon amputaret, probro huiusmodi adiuncto; Monache articulorum veterem sanctitatem ardentibus tedis commutasti, quibus apud nos æternùm deflagrabis. Quodam in oppido, vbi noster haberet conciones, pueri duo, septem alter, alter vndecim, nati hęretico patre, matre Catholica, nuper mortua, huius piam institutionem ita combiberant, & nostris Catechesibus confirmarant, vt diuturna verberum acerbitate, cæteraque omni sæuitia, pater eos tantillum de sententia Romani ritus numquam potuerit dimouere; quibus denique, victus eorum constantia, fecit sui dogmatis profitendi liberam potestatem.

Insequenti anno pænè exeunte cessit è viuis Pater Gabriel Voiretius, vir mitis, si quis alius, quam virtutẽ eius vultus, & sermo spirauerant totis duodequadraginta annis, quibus in Societate vixerat religiosissimè. Plerisque missionibus multa cum laude functus, egregiè prouexerat Catholici ritus, & Christianæ pietatis studia, quà priuatis quà publicis congressibus validè cõfutata Hæresi. Dicendi eximiam facilitatem, multumq; leporem & suauitatem ab natura consecutus, naturales dotes doctrina & arte vehementer expoliuerat, accedentibus

bus eò eximiarum litterarum ornamentis:& quamquam ſuaue illud dictionis lenocinium ſemper ad pietatem ſuadendam diligenter perpetuò contulerat, tamen,aliquot annis ante obitum, abſtinendum eo ſibi penitus putauit, ne qua fuci vmbra ſacræ veritati ſic miſta videretur. Ei ægrotanti votum, impetrandæ per Dei Matrem ſanitatis, cùm ſuaderetur, præcisè negauit ſe facturum, ratus indignum ſua conditione, vt in re, ſuo iudicio tam leui, adeò venerandi patrocinij auctoritas interponeretur;ſuis contrà, & Patrum Fratrumque omnium precibus contendendum à Magna Matre, vti propitiato ipſi filio facilem in cælos aditum aperiret. Pridiè quàm deceſſit, ſancto quodam huius vitæ faſtidio, dolebat ſibi ſupereſſe in ſenſibus facultatem capiendæ voluptatis ex edulio,quod eſſet appoſitum; ex illis autem ingeminatis magno animi ſenſu verbis; Panem Angelorum manducabit homo, ſolidioris oblectationis argumenta captabat. Ad extremum vſque ſpiritum præſentis animi adfuit ei vis maximè vegeta, qua vſus opportuniſſimè, pia cum Sociis colloquia perpetuabat, interque amplexandos ſingulos domeſticorum, quaſi qui eſſet profecturus peregrè, animo tranquilliſſimo dicebat, quæ in rem conuenirent; neminem verò ab ſe dimiſit, quin pro re nata vtili quopiam documento in futuram vitam impertiuerit. Traducti ad Fidem Hæretici ſeptem, ex iis Carthuſianus vnus octauum annum poſtquàm maxima Diuionenſium ciuium offenſione, proculcato publicè cucullo, ad Caluinianos tranſierat. Cauſidi-

cus

cus primariis ferè quibusque Diuionensium affinitate iunctus, vicesimo ab hinc anno sacrorum & sententiæ fœdus inierat cũ Hugonottis, omniũq; pertinacissimè dogma illud tuebatur, vt eius inde abducendi spes nulla se ostenderet. Ei autem ægrotanti eo morbo, qui postremus ipsi accidit, diutissimè adstiterunt ad fores Caluiniani, sed aditu prohibiti à pia ægroti coniuge, irrito conatu tandem retrogressi sunt; optima interim vxore ingibus apud Deum lacrymis, apud virum quibuscumque blanditiis nihil non moliente, vt is salutares de Catholicis rebus sermones admitteret, quod incredibili denique constantia euicit, nostroque Sacerdote admisso, fructuosissimi congressus aperuit exordia. Octo dies solidi abiuere in sedula collatione multorum capitum Fidei, cuius demum is fuit exitus, vt æger supra omniũ exspectationẽ in Catholicas partes remigraret, vnde suo scelere pridem discesserat, quo nuncio tota ciuitate increpuere plausus ingenti significatione lætitiæ. Hugonottis verò hanc ægro voluptatem interpellantibus, quasi sua maximè interesset, vt ille desiperet perpetuò, postulatis codicillis scripsit, se iis ipsorumque dogmati nuncium remittere, saperent autem & ipsi, si eò quidem animum possent adijcere; ad se præterea ne redirent, cui deliberatum esset, quod nunc denique decreuerat. Secundùm hæc, in celeberrima principum virorum corona, maximè sollemni ritu, quoad procurari potuit intra priuatos parietes, Caluinum, Hugonottica pronunciata omnia eiurauit; sumtoque idoneo spatio eluendæ per Con-

fessionem vitæ vniuersæ, se comparauit diligentissimè, quo deinde munere defunctus quàm accuratissimè, familiam fructuosissimis præceptis imbuit ad studium Catholicæ Fidei, generumque à Caluinismo ante obitum vindicauit, luculento commentario errores Hugonotticos refutaturus, si vita suppeteret.

HACTENVS res alienas nostris verbis reddidimus; deinceps sua cuique gesta, suo etiam dicendi more, cum fide reponemus, quando Annalium editio tam acriter à nobis exigitur, vt quæ comparaueramus, recognoscere non possimus.

DOLANVM COLLEGIVM.

E Magistris vnus, Dionysius Iulinus, Sequanus, nobis ereptus est. Erat is Grammaticæ Professor, annos natus viginti quinque, è quibus septem egerat in Societate, magno patientiæ documento, nam dolorem capitis subinde vehementiorem, quem nimia, in meditandis Diuinis, contentione creatum ex Nouitiatu detulerat, ad vltimum vsque spiritum constanter semper ferre visus est. Silentij obseruantissimus; temporis parcissimus: Religiosæ simplicitatis specimen, in regendis Scholasticis admodum industrius, & disciplinæ retinens quos sæpenumero ad saluberrimam mortis memoriam excitabat. Quidam cum Beati Ignatii meritis, & subscriptione manus, pristinæ sanitati iterum restitutus

restitutus fuisset, ac in iis exsequendis, quæ piè decreuerat, esset remissior, subtrahente opem Numine, factum est, vt delapsa paullatim valetudo, vna cum vita hominem defecerit. Ille tamen ad extrema perductus, culpam agnouit, palamque confessus, Deumque sibi Beato Patre deprecatore propitium reddere conatus est. Sacerdos noster in via Lugduno Dolam versus, iam sera nocte incertus viarum per agros errabat cum socio, cùm ecce è vicino loco excitos villaticos canes oblatrantes audit, quorum admonitu villani ipsi excitati nostris occurrunt, eosque benignè salutatos domum inuitant, vbi æger maturæ ætatis graui morbo implicitus iacebat, Parochi diu exspectatam opem desperans. Hunc Sacerdos noster cupidè peccata confitentem audit & absoluit, atque eius deinde famulum vię ducem admisit, qui in se diuersorium longinquius deduceret. Surregij in Sebusianis, & Laudonæ in Aeduis, Aduentu & Quadragesima, fructuosissimè ab nostris opera est posita concionibus habendis atque Catechesibus. Laudonæ non paucorum est ciuium Hæreticorum pestifera congressio, qui Hæreticum Ministrum habent, Catholicorum pariter Fidem moresque labefactant. Huc præter consuetudinem, & Consulum inuitatu, ad Festa Natalitia concionibus celebranda euocatus vnus è nostris, simulatque pedem intra portas intulit, vbi Iesuitam Ecclesiasten adesse viderunt, plerique ciuium, etiam præcipuorum, nullam eius concionem sese audituros vna voce contestati sunt. Sed Consules vrbis blandis sermonibus primariis

quibusque persuaserunt, vt Ecclesiastæ nostri conciones tã sollemni tempore sua præsẽtia cohonestarent, vel delibarent saltem, & experirentur. Itaque vbi eas multi vel tentandi gratia degustarunt, incredibile est, quanto studio vrbs vniuersa ad nostrum audiendum confluxerit. Cum igitur noster præter matutinas conciones, pomeridianis etiam horis aliquot serias Catecheses de Fidei mysteriis, ac potissimum de confessionis Sacramento habuisset, multi totius vitæ Confessiones sua sponte retexere cœperunt. Ipse Hæreticorum princeps & patronus, ciuis opulentus, cuius in primis sumtibus Hæreticus Minister fouetur, in familiare colloquium cum nostro Sacerdote vltro in eius hospitio venit, nosterque vicissim illum domi eius de Fidei negotio semel conuenit, Ministro ad fores nutritij sui cum strepitu furentis in modum obambulante; sed has eius minas nihili ducere se ipse patronus etiam palam est professus, nostroque priuatim dixit, sibi in animo esse ipsum Patrem aliquando Dolæ conuenire.

VESONTIONENSE COLLEGIVM.

FEmina primaria molestissimum mamillarum dolorem, cuius curationem ars medica non præstabat, clementissimæ Dei matris imploratione, cuius Sichemiensis imago apud nos religiosè colitur, facilè depulit, & factam ex argento mamillam, accepti beneficij, gratique animi monumentum

suæ

suæ liberatrici dedicauit. E ciuibus vnus duos ex suis liberis eodem tempore desperatos à medicis, singulari erga sanctissimam Dei parentem fiducia eripuit ex mortis faucibus, ac pristinæ redditos sanitati ad templum nostrum adduxit, vt gratiarum actiones persoluerent, & suam vterque argenteam statuam è tholo suspenderent. Ianuario mense virgines duæ & anus sedebant ad ignem, quo tempore adeò vehemens repentè ventus inhorruit, vt tecta, parietes, tabulata validè concuterentur, quare trepidæ ad cubiculi angulum, in quo habebant orandi consuetudinem, se recipiunt, quasi iam morituræ peccatorum veniam à Deo expoſcunt, recordantur munificentissimæ Dei parentis erga pios suæ imaginis nostra in æde cultores, illam inde venerantur. Haud vanæ fuere preces, corruente tecto, camino, parietibus domus, perfractoque cubiculi tabulato, angulus tantum ille, in quo orabant, obsistit ruinæ, non tam vi sua, quàm præsidio Virginis, supplicum virginum de vita periclitantium preces audientis, & succurrentis, quæ vicinorum deinde ope, remotis ruderibus, saluæ & incolumes quasi è sepulcro eductæ sunt. Conflagrabant amplæ ædes maximo totius viciniæ periculo, Agni particulæ obuolutæ panniculis in ardentes flammas coniiciuntur, continuit se ignis omnino ab aliis ædibus, repertæque posteà illæsæ omnes Agni particulæ inter fauillas & cineres, non sine stupore intuentium. Simile quiddam alibi accidit, cùm nobilis cuiusdam nocturno incendio stabula deflagrassent.

Anno secundo adolescens vsque adeò aleæ se addixerat, vt quo damnosiorem experiebatur, hoc impotentiùs in eam exardesceret, nimirum sua damna lucro ducebat; dilapidatis itaque attritisque rebus suis, qua via ægrè vitam traheret ignaro fluctuantique iniectum tandem consilium est vitæ abrumpendæ, nec fuit arduum Dæmoni, vaferrimo consultori, iuuenem ad desperationis barathrum abripere. Tumulum igitur quemdam, ex quo se in profluentem agat præcipitem, conscendit, vestes exuit, & in vndas mox secuturus præmittit, sed inopinatò adfuere nonnulli, qui hominē ad melioris spem vitæ studiumque traducerent, ad nos in vrbem pertraherent, quorum opera à tanta mentis ægritudine conualuit. Vidua egentissima nostrorum hortatu ad spem Diuinæ opis erecta pupillos filios incœnatos cùm aliquando cubitum mitteret, iubebat à Deo bene omnia sperare: ipsa interim in preces se dat, pium obtestatur Nomen, suam vt releuet tenuitatem, pupillorum incolumitati prouideat, & suæ quà pudicitiæ, quà saluti, consueta liberalitate indultum velit. Postridie auditas preces comperit, nam vix illuxerat, cùm variis è locis, tametsi suarum necessitatum participem fecerat neminem, modii aliquot tritici, panum coctorum vis non modica, carnes, aliaque id genus plurima, affatim transmissa sunt. Alicubi cùm in templo magna pompa daretur Catechesis, & is qui Catechismi partes agebat, loqueretur, quidam, perfractis modestæ pietatis repagulis, nescio quid malo multorum exemplo insolentiùs in-

ibi

ibi egerat, cùm eidem, hoc ipso sub vesperam die, manus, qua Catechistis insultarat, truncata est, multisque vulneribus transuerberato vita infeliciter erepta est. Mulier exulceratæ conscientiæ morsiunculis lancinata importuno quærebat malo remedium, cum obiecta est dormienti cuiusdam imago, qui nostrum monstraret Sacerdotem, apud quem grauissimum retrò actę vitæ onus, si bene sibi consultum velit, humillimè deponeret; audiit bene monentem illa, & replicata superioris ætatis recordatione, omne præteritorum scelerum virus salubriter euomuit. Sacerdos ab Ecclesiæ castris transfuga, se ad Caluini vexilla contulerat, iam sub Diabolo stipendia annos circiter triginta fecerat, non tamen erga Deiparam pietatem ab animo expunxerat suo, vtpote qui sacram illius coronam circumferret, & idemtidem clam relegeret. Ea vero piissimæ Virginis corona inter infinitas bellicorum tumultuum procellas, quibus in Gallia iactatus est, illi semper ancora, illi Hæresibus circumvallato Palladium fuit. Resipuit tandem, & ab scelerato auctoramento resiliens, ad Fidem Catholicam, repetito veteri sacramento remigrauit.

VIENNENSE COLLEGIVM.

DEcessit Magister Petrus Raimondus, qui Diuione, vbi professorem agebat Eloquentiæ, Biterras, in natale solum, ægrotus proficiscebatur, at ingrauescente in dies morbo, id est, longa iam

phthisi cogitur inuitus in media profectione ad nos diuersari, si periculosus forsitã morbus remitteret aliquantulum. Simul ac Collegium iniit, ea patientis animi documẽta dedit, vt missus à deo videretur, qui suo in tã molesta afflictatione ad constantiam & moderationem exemplo cæteros prouocaret. Nam ex quo tẽpore defixus lectulo iacuit moribundus, nihil habuit antiquius, quàm vt sese ad felicem ex hac vita discessum compararet. Ergo dum totus in eo est, vt de rebus Diuinis varios sermones misceat, de discessione monetur pænè diuinitus, extremo Decembri scilicet per menstruam Tutelaris schedam, quæ denunciaret, moriendum sibi, Deo viuendum. Sacramentis itaque procuratus pridie, ipso Natali Beati Sebastiani, quem tota vita vnicè coluerat, placidissimè conquieuit. Gallicanorum Antistitum lumen singulare Petrus de Villars, Viennensium olim Archiepiscopus, cùm decederet è vita, sepulturã inter nostros sibi cupidissimè optauit nostra in ædicula, cui de hac familia optimè semper merito, vt & de Societate vniuersa, parentauimus quàm officiosissimè, & studiosissimè debere videbamur. Vxoris ex priore marito filiam constuprarat homo incestus, cuius flagitium, quoniam tegebant propinqui, vt puellæ honos seruaretur, ille nefarius susque déque habebat, nostris porro ex eo erat infensissimus, quòd suam turpitudinem ad eos delatam esse cognouerat. Negotiorum autem causã cùm deinde secundo Rhodano Massiliam veheretur, adiit fœdissimam tempestatem, & exinde certum exitij periculum, qui

sibi

sibi, præter vota, nihil tuti superesse sentiens, vouet ad nostros se accessurum Confessionis gratia, si saluus euaderet, sicque voti compos, ac posteà eius religione se absoluit. Hæretici quindecim ex errorum pelago, diu iactati, ad Fidei pharum aliquando conuersi, tenuere portum Ecclesiæ, quorum de numero fuit adolescens Anabaptista, Vltrajectensis Belga, pingendi scientia, & indolis bonitate clarissimus.

EBREDVNENSE COLLEGIVM.

DVODEVIGINTI sunt inducti ad Catholicam Fidem, ad quam venturos optimates quidam, non vanam, vt speramus, spem dederunt. Mulier primaria, parentum & viri metu, non audet palam profiteri Catholicam, quotannis tamen ter aut quater clam nos adit Confessionis & Eucharistiæ gratia, quoad Deus viam aperiat Romani ritus liberiorem facultatem. Cultelli fragmentum in genu defixum adolescens decem & octo menses, incredibili dolorum carnificina, gerebat, cùm Societatem nostram appeteret, eoque nomine cruciatus suos, & claudicationem dissimularet, ingentis doloris accessione, quod eius supplicium Sacerdos noster aliquando ex quibusdam signis suspicatus, togando elicit genuinam rei confessionem. Iusso itaque genu retegere clam imprimit signum Crucis, ad ipsam cicatricem, hortaturque sibi adhibeat Patronum mali depellendi Beatum Ignatium, cui

& ipse Sacerdos ardenter ea causa supplicare instituit. Triduo pòst supra genu, & ad latus in femine, sentit adolescens doloris morsum, & ex repentino vlcere pus emergens, quod cùm detergeret, emicuit in genu nuper demersa cuspis, cui educendæ quia non sufficiebat animus, adhibitus Chirurgus extraxit facillimè. Res multis de causis apud homines admirationis tantum habuit, vt qui eliciendo ferro non interfuerant, plerique huius narrationi fidem derogarent, quibus non persuadebatur, & tamdiu delituisse ferreum mucronem in adolescentis corpore, sine illius pernicie, & tam altè ab plaga primùm inflicta sua sponte conscendisse. Lupi, qui superioribus annis, diuinæ vltionis administri, multis mulierum præcipuè, & puerorum funeribus, atque adeo plus quingentis, circumfusos circa Ebredunum pagos funestarunt, exacto proximè anno, in Ebredunensi etiam solo, in multos mortales grassati sunt, maximus mulierum paganarum terror fuere, quæ malo vicinarum doctæ, maturè sese ad vitæ omni ratione consulendum compararunt. Domo vix excedere audent, nisi exeundi necessitas imponatur grauis; quibus infertur coactio, illæ non nisi verutis instructæ, hastis oblongis, stipitibus ferro præfixis, nec sine comitatu proficiscuntur; quædam animũ magis pietate sanctisque Sacramentis, quàm corpus ferro tegunt, nos adeunt, mentem peccatis exonerant, aliaque huius generis idonea procurant. Puella cæteroqui admodum pauida, cùm cereo Agno armata esset, non dubitauit cuiuscumque

solita

solitarij loci viam inire, tanta erat sacri amuleti fides, tantum noui roboris in puellari pectore; in tres ergo lupos cùm sola incidisset, sumto in manus sacro Agno hiantibus feris opponit, iis armis diu propulsatur bestiarum impetus. Sed diutina fames, dulcis & solita præda humana, ferociores facit, vna de tribus in fauces puellæ furenter inuolat, dentes infigere conatur, aliæ ad laniatum accurrunt, sed hebescentibus ferarum dentibus, intacta perstat puella, vt belluæ sua spe frustratæ in furorem agerentur, mutuisque morsibus inter se desæuirent.

Altero anno sex ab Caluinianæ hæresis extracti sunt laqueis, quibus haud scio an intricatius adstricti fuerint, quàm alius quispiam obscenæ voluptatis illecebris implicitus, qui annos quattuordecim ab vxore mortua in cõcubinæ societate traduxerat, cuius vinculis non nisi ægerrimè se absolui passus est. Anceps nobis causa cùm esset in Aquensi Senatu, suadentibus amicis, triennium iam silebamus, ne ambigui iudicij subiremus aleam; sed aduersario vrgente ad causæ dictionem veniendum tandem fuit; tum verò humanæ opis damnatis subsidiis Beatæ Virgini Ebredunensi supplices fuimus. Ad rem vbi ventum est, cùm è multis vnus causæ patronus vix reperiretur, qui suam operam nobis commodaret, accepimus quem potuimus, iuuenem quemdam, non imparatum illum quidem à doctrina, sed quem fori subsellia vixdum cognitum, semel aut iterum dicentem audierant: sed Deus neruorum & facundiæ ad rem nostram contulit,

tulit, vt obmutescentibus pænè aduersariis,& cunctis admirantibus, qui præter morem frequentissimi accurrerant, & vicerit luculenter, & celebri sermone vulgatum sit, nihil in hoc genere vmquam auditum eloquentius.

CARPENTORACTENSE COLlegium.

PAter Ioannes Clauerius,diœcesis Carpentoractensis, huc missus æger, patrij cæli hauriendi gratia, diem suum obiit,sexto mẽse ab suo aduentu,anno ab adita Societate octauo,ætatis duodetricesimo,longa tandẽ confectus tabe,in qua ferenda suam omnibus patientiam ita probauit,nihil vt,exhaustus pridẽ morbi diuturnitate, vmquã questus sit,ne tũ quidem, cùm lecto affixus mortem in horas exspectabat imminentem,cuius ictum vt numquam reformidauit,ita perlubẽter excepit;& huius rei argumentum fuit, tum singularis illa mentis intrepidæ quies, quam semper prætulit,tum sermo habitus ad parentem suum, qui per illud tempus aderat. Hortabatur pater filium ad ineundam curam recipiendæ valetudinis, & ad id suam operam & preces deferebat; Nolo inquit æger, cuiusquam precibus longiorem mihi vitam postulari, sed id vnum dumtaxat, quod è re mea fuerit. Eius obitus incidit in ipsum Natalem Beati Bartolomæi Abbatis, quẽ eo mense sortitus erat suum tutelarẽ. Eius inusitata pietatis magnitudo ab iis semper obserua-

ta est,

ta est, qui aderant Sacris operanti, vt eo audiendo spectandóque ipsi non parum commouerentur: cùm verò Diuinam Hostiam sumturis porrigeret, incredibili quodam efferebatur gaudio, quod vix ipse caperet, cuiusque non modicam partem in alios deriuabat. Quoties eum confitentem audiit Pater arcanorum eius conscius, demiratus est in homine incensum de leuissimis noxis dolorem, tanta Diuini honoris sollicitudo, & amoris flamma in eo pectore iugiter æstuabat. Puella quindecim annorum, honestis parentibus ortâ, stomacho diu fuerat ita languenti, nihil vt ciborum sumere sine grauissimo dolore posset, quem dolorem violenta neruorum contractio medicis formidandum fecerat. Hinc propè iam deploratæ sunt ad collum suspensæ Beati Patris Nostri reliquiæ, illiusque auxilium imploratum, quod nulla planè mora impetratum est, laxatis mox & neruis & pectoris angustiis, ac postmodum integra valetudine restituta. Nioni apud Delphinates montanos, præter primæ notæ Caluinianos quattuor, in quibus Conciliabuli Hugonottici Diaconus, & eius filius, integra familia, quæ olim ad eos defecerat, ad Romanum Institutum reuocata est felicissimè.

ROANNENSE COLLEGIVM, ET Vesulanum.

ROANNÆ obiit Ioannes Dechampfeu, adolescens quà morum facilitate, quà mentis candore

dore nemini non acceptus. Paullò ante exitum vitæ, cum nobis tam prope abesse à morte non videretur, ab inuitis ferme, ridenti vultu, expedita voce, summis precibus obtinuit, vt inunctus sacro oleo fortiùs cum morte confligeret, quæ post quatuor horas interueniens, aditū ipsi fecit ad immortalitatem. Cardinalis Ioïusæus, Maïennæus & Niuernensis Duces, pro sua in Societatem singulari beneuolentia, cùm hic aliquamdiu subsisterent, humaniter familiariterque viserunt ad nos, multisque argumentis egregiam in nos voluntatem sunt testati; Niuernensis autem nominatim, cuius in ditione sumus, affirmauit se sibi ac suis hanc nostram Roannensem sedem vehementer gratulari. Quindecim dies totos cum hic versaretur, ferè quotidie ad nos deuertit, primariumque ex suo comitatu virum Caluinianum ab Hæresi reuocandum dedit, quo ex cœno, cum Deo fauente, ipsum extractum Ecclesiæ reconciliauimus.

Vesulij obiit Pater Claudius Courtot, exeunte Nouembri, quo die Beatus Andreas Apostolus, idemque Burgundorum parens migrarat in cœlum, quam diem vltimam sibi fore designarat, & quidem cùm sanus esset, vt dubium non esset, quin aliunde quàm conjecturis, eam habuisset præcognitam.

LVGDVNENSIS ET AVENIONENsis probationis Domus.

LVGDVNENSIS Tirocinij alumnus Nouitius patri erat vnicus, ariete pietatis omnibus cornibus

cornibus instructo, precibus, lacrymis, argumentis, etiam ex domesticis depromtis rationibus, acerrimè concussus, inter quam dimicationem, dato Sacri signo, ad id audiendum patrem inuitat filius, perducit, totisque viribus animi cæleste sibi deposcit auxilium, nec repulsam passus est: domum quippe vt reuersi sunt, de proposito interrogat pater, firmius vt illud accepit, genua flectere filium iubet, extempore filio bene precatus, ei potestatem abeundi facit. Nobilis matrona, Hæresi abiurata, cælesti cibo recreari, & Confirmationis muniri Sacramento, nostro in sacello expetiit, vbi etiam vir doctus, magni apud Caluinianos nominis, Hæreticam perfidiam abiurare ac detestari voluit, se in Fide Nouitium dictitans, in domo Nouitiorum Catholicam profiteri Fidem decere; quibus duobus eodem studio & tres alij accessere.

Apud Auenionenses Tirones obiit Ioannes Farineau, domesticorum operum antiquus Adiutor, singulari in Deum pietate, eximia in Societatem fide, & amore conspicuus, Instituti sui obseruantissimus. Septimum & quadragesimum egerat annum inter Socios, multis quà domi in re iuuanda familiari exantlatis laboribus, quà foris peragrandis variis Prouinciis. Opsonatorem egerat diutissimè, quo in munere, ac cæteris omnibus, mirificè sibi ac Societati deuinxerat externorum animos, inusitato quodā genere comitatis. Inter socios festiui erat cōuictus, hilarisq;, sed operis tam studiosus, in eo tam assiduus, vt exhaustis senio & laborum

rum longinquitate viribus, vix momentum ceſſare ſit animaduerſus. Adoleſcens, Societatis antè candidatus, inter æqualium malè feriatos greges, paſſus erat ſibi exſtingui miſſos è cælo ignes, ſed incurſantes eum eodem tempore multiplices funeſti caſus, cùm in concurſatione nocturna necis periculum adiiſſet frequentiùs, ad ſalutis portum, vnde ſe auerterat, reuocato priore conſilio, rediit.

NEMAVSENSIS ET DIENSIS *Miſſiones.*

NEmauſi, anno huius ſæculi decimo quarto, vndeſeptuaginta ſollemni ſacramento Hæreſim iurarunt. Non in poſtremis locum habet Miniſter, litteris humanis ac Diuinis, & peruicaci contumacia nobilis. Is olim cum ſancti Auguſtini teneretur legibus, effractis mox votorum vinculis, Nemauſi, totos quadraginta annos, in omne flagitiorum genus, arrodente ſemper conſcientia, ſe ingurgitauit. Cupiebat interdum è tam lutulento cœno emergere, verùm multis magniſque reuocatus difficultatibus iactum calculum ſubducebat, vxore, magna liberorum multitudine, inueterata vitæ licentia, eum reuocantibus ab inſtituto. Anceps hæſit in deliberando, quoad eum vires & ſanitas defecerunt, denique tamen ſuperioris vitę rationem & Caluinianum dogma, iis pœnitentiæ argumentis, palam deteſtatus eſt, vt cumularentur gaudio Catholici, Hæretici mœrore tabeſcerent,

ſecun

secundùm quam exsecrationem multa demissione animi,& ingentibus lacrymis,Sacrosanctæ Eucharistiæ copiam sibi fieri postulauit. Qua ad ægrotum eximio apparatu delata, is egregiam orationem, animi seriò resipiscentis indicem Latinè habuit, vbi vir doctus nostræ huius ætatis Hæreses Lutheri, Caluini,& iis affines, damnauit ac detestatus est; coram deinde professus, quàm suæ se defectionis pœniteret, quàm cuperet pœnitentia publica sunm scelus expiare, quanta animi voluptate, si liceret per valetudinẽ,sanctissima quæque loca pedes & mendicatò inuiseret, libros tum demum summo studio & industria de Sacramentis omnibus ab se elaboratos, in lucẽm proferendos tradidit.Benignè præterea omnes salutans, veniam dans omnibus, & sibi deprecans, omnes exorans, vt sibi Deum propitium facerent; manu summo animi dolore pectus tundens,ita se verè pœnitentis modo gessit, vt omnibus lacrymas cieret, nec ita multò pòst piè defunctus, plaudente tota Catholicorum cohorte celeberrimo funere est elatus. Inde talis exitus tali homini concessus credi debet, quòd immensam Beatissimæ Virginis in se misericordiam sit expertus, vna enim domesticorum omnium voce Patri nostro confirmatum est,hominem multis iam annis summo studio & obseruantia Deiparã coluisse,non rosarium tantùm frequentissimè percurrẽdo,sed ipsa etiam nocte precum recitandarum causa surgendo.Quod vt magis omnibus sit indubitatum, germanam ab illo habemus sententiam, suæ in Deiparam voluntatis obsidem,

quam de immaculata eiusdem Conceptione in ore & oculis omnium Ministrorum longè aliter sentientium propugnauit acerrimè. Franciscanus nobili ortus loco Monspellium cùm veniisset, præeunte verba Ministro, Catholicam exsecratus Fidem, subornata mox puella mittitur, quæ ad nuptias eum inuitaret, quam tamen ab se repulit, quòd de coniugio nondum se cogitare diceret. Id tamen sceleris auso, quod diximus, adfuit illico, quæ animum exagitaret atrociter Furia intestina, quamobrem mœroris plenus contubernalium se coronæ subducit animi leuãdi per ambulationem, cui domum egredienti larua occurrit humana specie, quæ quinquagenos in quemlibet mensem defert nummos, si perstare velit in instituto Hugonottico, quod esset amplexus. His eius dictis perculsus miser, fraudem iure suspicatus, pectori Crucem imprimit frequentiùs, nam manũ ad frontem non est ausus attollere; quo telo insidiatorem ab se propulsauit, sed qui aliò deflectenti, breuiore tempori spatio, septies cum iisdem conditionum inuitamentis importunè occursaret, semperque impresso Crucis signo fugaretur. Hærenti magnopere, ac consternato grauiter homini venit denique in mentem, vt iniret ædem Beatæ Virginis, vbi concionanti aures tantisper dedit: tum flexo genu Numen de more veneratus, facti petiuit veniam, & saniora promittens, opportunamque nactus occasionem ad Patrem nostrum adiit, recta Nemausum, vbi meliorem in spem erectus, libelarique donatus viatico, Auenionem conscientiæ causa proceſſit,

processit, vnde Nemausum mox reuersus, spei plenus & animi, ad suos se Superiores contulit. Nemausensis adolescens annorum viginti duorum circiter cùm nostra opera Caluinismo renũciasset, à parentibus, nisi à cœpto desisteret, & deuouebatur diris omnibus, & Quæstura exuebatur; sed maluit infensos habere parentes, & honore Quæstorio excidere, quàm Catholica prærogatiua, quam rebus omnibus anteponeret. Vrbe igitur excesserat, ne quid suæ libertati officeret, in quem cum familiarium amicissimus incidisset, scisitabatur ex eo, quî factum esset, vt Quæstura volens se abdicaret; Non essem, inquit, ego, nisi ea mihi periisset, vt periit. At patriam & parentes, infert ille, vt tibi perpetuò assereres; æquum sanè fuerat, non vt procul exsulares. Tum hic intento in cælum digito, patria mihi curæ est, eritque dum viuam; patri autem æterno iam me fouendum regendumque commisi. Quin tu, si sapis, si me amas, vt ego quidem non dubito, mea sequeris vestigia, fruiturus mecum iis deliciis, quibus in Catholicorum cœtu mihi animus suauiter perfunditur: quibus amicè inter amplexus & vberes lacrymas inculcandis, animum multa sibi iunctum necessitudine non mediocriter commouit, vt cùm deinde Montmorancii Ducis auctoritate inter patrem filiumque reconciliata esset gratia, ille Nemausum redeunti amico lætus occurreret, quosque nosset fore iucundissimos, decretæ sibi ad Catholicos proximæ transitionis nuncios attulit.

Diam, supra Cauares Rhodani accolas, in Del-

phinatibus montanis, Augustam Vocontiorum plerique, nec immerito, esse putant. Diensis vrbis, agrique finitimi principatum obtinent, Pontificiamque illius diœcesim simul cum sua gerunt, Valentinensium in Cauaribus Antistites annis amplius iam quadringentis ac triginta septem, vt constat ex iis Federici primi ac secundi Imperatorum, quas aureas bullas adhuc vocant Diensis. Caluiniani iis bullis, cum vniuerso Ecclesiastico instrumento, pro templi foribus spectante annuentéque sacri Collegij Decano, in ardentem pyram coniectis, non crediderant Diensem iurisdictionem ad Catholicos vmquam redituram, adeò furenter vniuersa ciuitas concepto Caluini dogmate in Catholicum nomen communi sententia coniurarat. Octauo huius sæculi anno missi eò sumus ab Valentino Episcopo, eodemque Diensi Comite habendis Aduentu & Quadragesima concionibus, deinde ab eodem stabilis sedes nobis est ibidem constituta, inuitis maximè Caluinianis, quibus nihil antiquius fuit, Henrico quarto vita functo, quàm vt ab Regina & Consilio missionem causariam Sociorum Diensium impetrarent, & reuerà impetratam ab se prætulerunt. Sed viris sua opinione perquàm acutis & lynceis, inani quadam specie singularis prouisionis & calliditatis, egregiè ipsis imposuit præceps in causa ardor & odium in Iesuitas. In supplice libello narrauerant nos hominum nostri Ordinis statum domicilium Diæ iniussu Regis collocasse, aperuisse gymnasium, reipsa docere iuuentutem, & ad ipsa vrbis mœnia sedem

delegisse

delegisse, quasi arce posita, cuius velut claustris ciuitatem oppressam olim teneremus; quarum rerum vsu & possessione nobis interdictum esse postularent. Rescriptum est à Consilio, vt earum rerum nobis facultas non esset; quo responso exsultantes rumorem tota Prouincia dissiparunt, Regij Consilij decreto Dia funditus arceri Iesuitas, quod vt cæteris multis, ita nobis quoque persuasum est, quando tam asseueranter id vulgabatur, eoque nomine à Præside nostro Prouinciali assignatæ iam nobis erant certæ Collegiorum sedes, in quas nos reciperemus. Per illud verò tempus Quattuorviri Regiorum Edictorum sanctionibus ex formula exigendis, inhibendisque, Prouinciam obeuntes, exspectabantur ab Diensibus, quorum auctoritate Iesuitas exactum iri sperabant, & adfuerunt haud ita multò post; dixit autem apud eos arbitros pro Caluinianis Causidicus eiusdem dogmatis, sed ita aduersùm nos, vt meliorem causam nostram faceret, cùm asseueraret, nihil esse in quo iure possemus reprehẽdi, laudaret autem multis ex capitibus non mediocriter; nobis interim domi residentibus, quia nihil erat cur ei iudicio adessemus. In Quattuorviris erãt pro causa Catholica Præses Sanctandreanus, & Libellorum Magister Frereus, qui audita dictione Hugonottorum, ad Lesdiguierium, & Crozium, Caluinianarum partium Quattuorviros, conuersi familiariter eos percontabantur; potuissetne dici accommodatiùs, non ad exigendos, sed ad introducendos, Diam Iesuitas, quàm dixisset ille ipsorum aduersarius Causidicus; iis autem, po-

tuisse nihil, respondentibus, causa nostra eo ex capite egregiè iam stare videbatur; & planè statura erat, si vis abesset, quando Consilii rescripto aduersùm nos decernebatur nihil, qui nec domum, nec scholas, nec Collegium Diæ haberemus. Ne qua verò fraude nobis officeretur, quibus iure non poterat, obeũtibus Prouinciam Quattuorviris Episcopus Valentinus & Diensis adfuerat perpetuò ad eum diem, qui tum maximè præ se tulit, quo animo esset in Catholicam causam & nostram, cùm apertè disertéque denunciauit, quouis sui capitis periculo, se rem nostrã in tuto collocaturum. Post nonnullam itaque disceptationem, quia nulla causa erat vllius decreti perscribendi, nihil decernunt, nisi vt ne frustra viderentur Diam conuenisse, ac in ea quidem verba decretum perscribunt, quibus nos voluimus, atque concepimus. Sub discessum ipsorum cùm Sacerdos noster ad salutationis officium prodiisset, vt Ministrorum illuderet ignauiæ, quibus plus est in aggeribus præsidij aduersùs vim veritatis, quàm in æquitate suæ causæ; facetè admonet Quattuorviros, vti Ministrorum animos ab suo Breuiario securos esse iubeant, à quo vtique periculi nihil immineat in Diensis aggeres, & murorum propugnacula. Tum Lesdiguierius, ego verò, inquit, in hac causa me tibi locupletem vadem fero, tam scilicet te improbum iudico. Quæso, inquit Noster, docete, qua ratione me cum Diensibus gerere debeam. Id verò tu probè nosti, refert ille idem, eóque minimè nostra eges disciplina. Is denique fuit totius disceptationis exitus, vt ipsi

eius

eius arbitri hoc vnum maximè curare viderentur, vt nihil ſtatuerent, niſi quod noſtris maximè probaretur. Porro ludimagiſtri Caluiniani Dienſes, qui ſibi ac ſuis tantopere metuiſſent ab Ieſuitarum præſentia, tam fœdis diſſenſionibus poſt paullò laborarunt, vt in ipſorum caput vertiſſe Deus videatur conflatum nobis eorum opera diſcrimen; indeque oblato documento iis oſtendiſſe, quàm non aliunde ab iis captari cauſas oporteret, cur ſuis metuerent ſcholis, ſed earum originem in ſeipſis ingenuè agnoſcere.

Ab eius periculi ergo declinata feliciter alea, mox conuerſi ſunt noſtrorum animi ad Dienſem diœceſin ſtudioſiſſimè obeundam, cuius deſcribenda ſibi geographica tabula deprehenderunt quaternis Archipreſbyteriis, vt principibus membris, eam contineri; olim verò in ea cenſa fuiſſe, ſupra minores ædiculas, ducentena tricenaque templa, quorum ſuperſint vndeuiginti dumtaxat, immunia ſacrilegis Caluinianorum manibus, cætera funditus euerſa. Multa inibi oppida omni deſtituta Sacerdote; pleraque Caluinianis frequentiſſima, nullo reliquo capite Catholici dogmatis: aliquot templis Diuina res ab noſtrø facta Sacerdote, vbi quadragenis annis Sacrorum nihil erat vſurpatum, quot verò, & quàm graues calamitates ſint eis conſectariæ, quas indicamus, facile ſit coniicere. Egentium certè Catholicorum, & Hæreticorum ingens eſt tota regione numerus, quibus, ex Miſſionis tenui peculio contendimus, vt benignè faciamus, vt molliore via ſubeamus in eorum animos. Diẽſium

quoque mendicorum habita est ratio diligentissimè, ac quinta quidem Feria Sanctioris hebdomadæ, in atrio domestico duodecim ex iis, & inter eos Caluinianis nonnullis eluti pedes, & osculo impertiti, posteáque appositum prandium, oppidanis Hæreticis eo spectaculo vehementer attonitis, mendicis verò ipsis ea dignatione affectis, quòd se vilissimos è plebe agnoscerent, inter se mussitantibus, haud quaquam Ministri nostri ad nostros pedes se demitterent: meliùs omnino consultum rebus nostris fuit, quamdiu omnes Catholici fuimus. Inter hæc quadraginta errabundæ oues in Christi gregẽ sunt receptæ: in his adolescens cum ipso Paschæ die Catholicam Fidem publicè professus esset in Pontificia Diœsis vrbis æde, Caluiniana mulier odio religiosi facinoris contumeliosè in eius vultum despuit, quam ille iniuriam nec verbo nec signo questus est, eius, vt aiebat, reuerentia, quem in Eucharistia ipso eo tempore sumsisset. Habitæ quinæ Disputationes publicæ cum Ministris, optato atque vtili exitu; nam prima, cùm eorum Professor poneret, omnia per Scripturam decidi, & quosdam à nobis pro Canonicis receptos libris non esse Canonicos, rogatus, quo Scripturæ loco decideretur, non esse Canonicos, illico comprehensus est, suomet occumbens gladio. Secunda disputatione, oblatæ à nostro tres conclusiones Ministris: Extra Romanam Ecclesiam, neque quòd Deus sit, neque quòd Christus sit, quempiam credere: Generationem Abrahæ, cui soli Iustitia per Fidem competit, extra eamdem Ecclesiam non reperiri:

periri: Ab eadem Ecclesia omnem veritatem teneri, neque esse vllam veritatem ad salutem, præter eam, quam ipsa doceret. Quibus positionibus nullo pacto, vllave conditione adduci potuerunt, vt se opponerent. Tertiæ disputationi ipse Mareschalcus Lesdiguierius interfuit, cum primario Præside Delphinatis Senatus; in qua cum Minister premeretur, vt fidem sine testimonio esse non posse fateretur, nec testimonio communicare inter se, atque propagari fideles posse, nisi sensibile esset, vnde fateri cogebatur, contradictionem inuolui in assertione inuisibilis Ecclesiæ, omnium tam Hæreticorum quàm Catholicorum calculis damnatus est Minister, solutáque est disputatio lepido dicto Præsidis, cùm diceret Mareschalco Lesdiguierio, maximum Cacodæmonum non soluturum argumentum Iesuitæ. Quarta fuit acrior cæteris, & auditorum multitudine celebris, cum Ministro Monspellensi, qui fortè Diam ad natale solum suum venerat, is est Daniel Peyrollus, qui priùs Societatis nostræ transfuga, deinde vt coniugij nomen & vmbram culpæ prætexeret, à Catholica extorris Fide Caluino adhæsit, sed non antè quàm Ordinis nostri desertor, fratrem suum natu minorem Catholica doctrina imbuisset; tanta vis est Diuinæ gratiæ, vt non patiatur vnum excidere, nisi alium longè meliorem antè suffecerit. Hic enim minor natu pietate ac prudentia, vitæque integritate ac constantia claret nunc inter Catholicos, fratris perpetuam leuitatem, lucis inimicam conscientiam, animumque nusquam quietum incusans

sæpe apud Sacerdotem nostrum, quem etiam rogauerat, vt si ad disputationem cum lucifuga illo veniretur, quod sine dubio procuraturi erant Caluiniani, plus de istius vnius, quàm de aliorum Ministrorum omnium eruditione confisi, spiritus hominis omnino frangeret, & in vno multos contunderet, in quo ei noster est obsecutus. Peyrollus Ministrum Diensem coarguerat, quòd suo scripto & chirographo confessus esset, vti disputando adactus erat, Productionem totius vnius substantiæ ad alterius totius desitionem, ac proinde Transsubstantiationem, nihil repugnans includere; quo nomine Peyrollus ab nostro notatus cùm esset, quia Ministerij socio contradixerat. Ad eam animaduersionem continuò efferbuit, & relicto cœptæ disputationis cursu, Patrem Gallicè interrogat, vrgetque, quid intelligeret eo pronomine, quo in panis consecratione vtimur: quod eo faciebat consilio, vt nostrum Gallicè interpretantem, exponeret imperitæ ac procacis plebis ludibrio, quæ ex Caluiniana indole petulanter solet irridere, quæ de Mysteriis Fidei aduersùm se prolata non capit. Sed incidit in casses, quos alteri posuerat, intelligo, ait noster, idipsum quod tute intelligis per idem pronomen in hac positione, Hoc est vinum, si ea propositione aquam in vinum Christus mutasset; si potes explicare, dic sodes, sin minùs, docebo. Hîc Minister, qui summopere, quod est hominis ingenium, caueret, ne si fateretur id explicare se non posse, ipsius coram populo marcesseret existimatio, vt vulgo loquuntur Ministri; materiam dixit se illo

prono

pronomine intelligere determinatam accidentibus vino & aquæ communibus. Premit noster, sub qua forma sit ea materia in pũcto prolationis illius syllabæ, *Hoc*; si enim sub forma vini, falsum fore Euãgelium, quo constat aquam dumtaxat fuisse in hydriis, illo ipso puncto temporis, de quo disputabatur. Hîc verò Minister asturiam exclamare, insidias quiritari, de sella exsurgere, in nostrum Sacerdotem pænè inuolare, vt de moderatione quam alias tenuisset, fuerit ab eo palam monendus. Cùm autem pergeret, & se circumueniri clamitaret; Tuis artibus, inquit noster, caperis, & incidisti in laqueum, quem mihi tetendisti, extrica te, si potes: sed cùm responsum negaret, etiam maximè vrgentibus Caluinianis, vt afferret aliquid, & Senator Gratianopolitanus, qui intererat, enixè flagitaret: hîc omnium ora ad Sacerdotem nostrum conuersa rogantium, vt nodum ipse solueret, quem agnoscebant. Fecit noster, quia de Ministri confusione nullus erat ampliùs ambigendi locus, & ita rem in aperto posuit, vt ipsis etiam satisfaceret Hugonottis. Quinta & vltima disputatio coarguit Ministrũ, negantem Missæ Sacrificium esse diuinę institutionis, ex eo quòd idem fateretur, institutũ esse à Christo idipsum, quod Missæ nomine sumunt Catholici: qua redargutione in eas angustias redactus est Minister, vt negaret Catholicos, id intelligere Missæ nomine, quòd se intelligere profitebantur. His disputationibus attrita est Ministrorum arrogantia non mediocriter, vt quamuis eò minus visi sint persuaderi, quò apertiùs conuincebantur, tamen

inde nobis conciliati sunt animi Caluinianorum, & minuta valdè est eorum ab nostris Sacris alienatio. Multa item inter disputandum leniendis odiis, & inducendis animis audientium, vt moderatè de se sentirent, interceſſere salubria monita ab nostro Sacerdote, vt non tam quæsisse videretur eiusmodi aduersarios sibi subiici, quàm ipsorum nomina cælo transcribi. Siquidem vsu ipso didicimus, meliùs solidarum virtutum, humilitatis præsertim, caritatis, & patientiæ armis, quàm disputationibus, licèt interdum neceſſariis, Hæreses expugnari. Itum etiam est ad confinia vicinarum Diœceseon, maximè Grationopolitanæ, permissu Episcopi, vt in Synodo Prouinciali Hugonotica, omnibus simul Ministris noster se opponeret. Ibi antè coactum conuentum noster auditor fuit Ministri concionantis, cui exscendenti ex suggesto salutandi causa occurrit, inter cætera placidè interrogat de iis ædibus, vbi concionem habuisset, tum vbinam esset oppidi Ecclesia: Minister, qui se humanitate occupatum videret, inurbanus censeri noluit, comiterque ducit nostrum, confertim sequentibus Hugonottis, ad fores vsque templi Catholici, & indicat illam esse oppidi Ecclesiam. Hîc noster ad Caluinianos conuersus, audistis, inquit, testimonium Ministri vestri; si hæc est Ecclesia, vt dicit, ad illam vos inuito, vt mecum veniatis, audietis refutantem, quæ malè vos docuit. Ad hæc Minister nescio quid submurmurans, quòd præter mentem respondisset, cum parte asseclarum aliò se recepit, aliis cum nostro in templum

ingredien

ingredientibus, qui audita per concionem multa, animo dicta beneuolo, suis deinde retulerunt, & fuit ex principibus earum partium vnus, qui asseuerarit, libentissimè de suo collaturum pecuniam illi fouendo concionatori, si eum sibi retinerent oppidani Catholici. Ibi traductæ ad Catholicos nobili ex familia sorores duæ, quarum altera peruicaciam insignem in Caluinismo prætulerat, vt aliquando cogitantes transitionem ad Catholicos pugnandi obstinatione ab sententia deduceret. Hęc autem, deprehensa impudentia calumniarum Ministri aduersùm nos, erubuit, studioque in odium conuerso, & improbitatis detestationem, Ministro descendenti ex concione scriptam à Sacerdote nostro refutationem antecedentis alterius concionis Caluinicæ, palam obtulit, obtestata vt siquando putasset sibi tuendam suam doctrinam, eius propugnandæ hanc occasionem ne prætermitteret, alioquin ipsam ad Catholicos transituram illico, vt quæ iure crederet, Ministrum conuictum esse mendacij. Excanduit Minister, quòd eas cogeretur in angustias, conditionemque præcisè recusauit, Virgo igitur publicè in templo Catholicum ritum est professa, & exemplo eius idem posteà fecere non pauci. Synodus autem Ministrorum viginti ac duorum deinde coiit, qui ad suos concionarentur, quorum dicta Hæretica noster aut extempore, in concione ad Catholicos, refelleret; aut sub vesperam eiusdem diei; scripto etiam notatis ipsorum erroribus, & ad vicinas vrbes transmissis, ita perculit totum conuentum, vt suæ causæ diffiden

diffidentes Ministri contrà hiscere non sunt ausi; non enim aberat voluntas repugnandi, sed facultas. Nam qui Synodo præfuit Minister, prima concione, spiritu eo scilicet prophetiæ plenus, qui prænunciat ea tantùm, quæ facere decreuit, omnino prædixit, quod sexto posteà mense Parisiis contigit: Iam Galliæ Comitia sudare, vt aiebat, in explicanda illa difficultate, quam parit doctrina Iesuitarum, de potestate Pontificis in Reges, qua regna euertũtur. Per eos verò dies allatũ est parisiensis Curiæ Senatusconsultum, Soarij in Pontificia contra Anglum tuenda potestate damnati, cuius decreti formulam, cùm affixissent publicè, ac in concione pronunciassent, procaciter quærebant ab nostro Sacerdote, ecquid haberet, quod posset obiicere; quibus ille, adeste mihi dicenti, cùm ego respondebo. Frequentes adfuerunt, & in cæteris, de nobilitate is, qui, exitu Synodorum eiusmodi, Ministro principi socius destinari solet. Noster verò, qui necdum sciret, quid decrestet Parisiensis senatus, id satis habuit, vt Ministris, eius decreti buccinatoribus importunis, illuderet liberalissimè. Explicandum igitur sibi sumit, vt coacto manè Hugonotorum concilio, Ministri suæ vocationis pertæsi, ad nouum decretorum in Synodo genus appulerint animum, vt constituerint apud se creandos deinceps Apparitores, qui Arresta Parisiensis Curiæ promulgarent, & exsequerentur sedulò: sed hodiernos Apparitores, vt adhuc nouitios, ignaros fuisse sui muneris, qui in finibus Gratianopolitanæ Curiæ, sine auctoritate, & earum litterarum

præsidio,

præsidio, quas, Pareatis, appellant vulgo, Arrestæ Curiæ alterius exsequi anderent, quorum vim non caperent. Valuit ea ludificatio ad comprimendos in præsentia Ministrorum tumidos spiritus, quibus acerbum fuit rideri suos triumphos, in re quam ipsi maximè seriam putarent, noster verò ita eleuaret; id verò præterea nacti sunt, vt Apparitores à plebe deinceps cum ludibrio appellarentur. Extremus porrò Synodi actus Caluiniano dignissimus fuit ingenio, & Ministrorum arrogantia, cùm aliquis de augusto illo synedrio, sub finem ineptæ declamationis ad plebem, vbi se legitimum Pastorem venditauerat, pronunciauit, potestate de cælo sibi tradita excommunicare se Papam, & omnes Iesuitas. Alius antè multò acerbiùs exarserat in Patrem, sibi ac tribulibus suis fortasse importuniorem, in quem pro concione inuehens, non est veritus affirmare, si quid animi ac studij erga communem causam, & Dei cultum, sui auditores vmquam prætulissent, id reipsa ostensuros, cùm illum importunum Iesuitam viuum comburerent. Aderat ad valuas fani Hugonottici Sacerdos noster, cùm illæ seditionis faces in se iactarentur, & præsenti animo, serenoque vultu, cuius constantia & tranquillitate Ministri, qui eum obseruabant, rumpebantur, cæteri Hugonottorum, certatim coniectis in eum oculis, velut miraculo attoniti, petrarum similes obstupescebant.

PRO

PROVINCIA TOLOSANA.

DVCENTI nonaginta Socij, decem Domiciliis, gesserunt hanc Prouinciam, adscitis toto biennio, qui aliquando veniant in partem laborum, triginta & vno Tironibus, amissis contrà de suo corpore nouem commilitonibus.

TOLOSANVM COLLEGIVM.

PERIIT nobis hoc anno Pater Carolus Plateanus, trium Votorum Professus, magnarum virtutum homo, sed obedientiæ præsertim, & Religiosæ demissionis cultor attentissimus, nondum quadragenario maior; quod decus virtutum, in singulari eius eruditione, & laude & litteris dignum est. Nam & omni Humaniore scientia insigniter doctus Græcarum litterarum arcem supra cæteros tenuit. Quadrante horæ ante obitum, adhuc integris sensibus, adesse sibi Superiorem cùm rogasset, monuit, post quadrantem se non vltra futurum, itaque

itaque Sacramentis se munire curaret, nec dicto veritas abfuit. Tolosani Senatus summum in nos eluxit studium cum aliàs frequentissimè, tum priore hoc anno, in vniuersæ Societatis tuenda fama. Famosi libelli cuiusdam nomine consultationis ventilatione fama Societatis labefiebat, tum Senatus decreuit contra Remp. videri facere, qui talem librum aut distraheret, aut legeret; ideóque conquisita exempla per tabernas, publicata concerperentur; Religionis enim rem agi, vbi Societatis bonum nomen sine causa periret. Quod Senatusconsultum, quamquam reclamantibus quibusdam primoribus, perscriptum est, iussique sunt ex eius auctoritate agere, quorum id muneris fuit.

Altero anno viginti & quinque à Caluino discesserunt, vt in Ecclesiam Catholicam, nobis ducibus, commigrarent. Reis adfuimus, cùm ducerentur, ingenti certè multorum emolumento, quos inter vnus flagitiorum multitudine & grauitate insignis, illustri in Beatam Virginem semper claruit pietate; annum & amplius, ante decretoriam diem, sacros globulos & litanias in illius memoriam percurrebat, semel, iterum, & crebriùs non rato in dies singulos, ardentiusque multo octauum diem ante mortem. Constitit operæ fructus, tantùm enim mœroris anteactæ vitæ recordatio iniecit, vt in summis numeraret beneficiis non posse diutius vitam prorogare. Duo ciuium affecta valetudine, luculenter significarunt, quid de Societate sentirent. Vnus accito ad se Patri de nomine & veste tantum sibi noto, voluit sine arbitris, quas asserua-

bat plurimas pecunias in manum tradere, nobis acceſſuras, ſi quid ei humanitus accideret, ſibi reſtituendas ſi eualeſceret. Alter Senator, non opimum modò patrimonium, ſed & liberos, in Societatis fidem, ſi annueremus, ſtuduit deriuare.

BILLOMENSE COLLEGIVM.

OPTAVERANT Aruerni, vt in Collegio Billomenſi Philoſophiæ ſchola poneretur. Hoc opus nondum patratum perilluſtris femina, Comes Ludenſis, libenter confecit, & Lucalibus proximis lepido dramate excepta nouum Philoſophum audire voluit perorantem, quo tempore cœpit exponi Theologia Moralis ad Sacerdotes, alioſque Sacris initiandos. In cerro pago quidam noſtro Sacerdoti infenſus, quòd in deprauatos mores diceret acriter, ei maledicebat publicè, & ad ſe adeuntem reſpuebat, eiuſque odio abiturus aliò ad Confeſſionem, iumentum conſcenderat, quod poſt duo milliaria ſibi ſenſit adeò hærere, vt calcaribus incitatum non moueretur. Obſtupuit vir impius, tarditatemque ac ſtuporem equi ſuſpicatus eſſe maledicæ linguæ ſuæ petulantiam. Itaque noſtrum adire decernit, culpam deprecari: atque illico mouit equus; ipſe poſtridie apud eumdem Patrem generali confeſſione expiatus, idem vt facerent, obtrectationis ſociis perſuaſit. Cuidam Patrum grauiter iam quattuor annos condoluerat articulari affectu ſiniſtrum bracchium, quo morbo derepente ſana

te sanatus est, cùm adhibitis Beati Dominici reliquiis huic Sancto quidpiam vouisset.

Insequenti anno diem clausit petrus Leschelle, Coadiutor temporalis formatus, exactis in hac mortali vita annis nonaginta tribus, quorum maximam partem in Societate vixit: sedulus fuit in officio, sine litteris quietus. Cæterùm, excepto continuo ferè tibiæ dolore, integris ad summam senectutem sensibus ac iudicio vsus, tandem Sacramentis ritè munitus in pace conquieuit. Riomi, in prænobili Aruernorum vrbe, Aduentu & Quadragesima concionatus Patrum vnus, mirabiles tota vrbe, ac circumjecta regione motus concitauit, vt summittēdi fuerint Sacerdotes præterea duo Confessionibus audiendis. Egregiè itaque affectis ad omnem religionem animis, quantum cuique Patres voluerunt præcipere tantum impetrarunt. Ibi quoque sanati ab Hæretica lepra nonnulli.

MAVRIACENSE COLLEGIVM.

RHETORICA votis omnium dudum expetita his Lucalibus accessit, ad quam confluxere auditores Eloquentiæ candidati ferè quinquaginta. Aliquot ab Caluino trāslati ad vnam veramque Ecclesiam. Quinque annorum puer audita, per Catechismum, quæ dicerentur in temere deierantes, cùm altè demisisset in pectus, sorori aduersùs ea liberiore iureiurando delinquenti colaphum infregit, simulque adiecit verborum animaduersio-

nem hanc, Tibíne tam citò excidit, quod audieras ab Catechiſte? Atqui ſcito imminere à me idē tuis malis ſupplicium, quoties in hæc verba erumpes. Obſtupuere domeſtici, & laudata pueri religione, ab ſororis iratæ manibus eum prohibuere. Vtroque anno creberrimæ in vicina oppida & pagos expeditiones ſuſceptæ, eæque magno animorum compendio feliciter adminiſtratæ. Altero anno vulgatis popularibus tota vrbe morbis diffluxere ſcholarum alumni ferme vniuerſi, donec ſub aduentum Veris, ſalubrioris cæli amœnitate recreata ſunt corpora, morborumque vis remiſit, & ſcholis ſua frequentia rediit.

ANICIENSE COLLEGIVM.

OBIIT non domi, ſed in proximo Sancti Germani caſtello, Pater Antonius Morgues, qui lenta phthiſi tabeſcens ex Prouincia Lugdunenſi miſſus ad cælum natale, medicorum decreto, venerat. Is die decimo ſeptimo Ianuarij menſis, ipſo Natali Beati Antonij, ſui Tutelaris, litaturus in vicinum templum ſe contulit, quo ex die cœpit febris ingraueſcere, vt & purulentum pulmonum vlcus, ad decimum Aprilis, quo ſenſit ſibi vltimum adeſſe diem. Tunc domeſticos obnixè aſſiduéque orare, vt è ſpecula proſpicerent, num aliquis de Societate aduentaret; quas voces idemtidem repetebat, donec moribundo renunciatum eſt, apparere procul duos de noſtris. Ingreſſo Patri,

tri, clarè maturóque iudicio ſummariam totius vitæ Confeſſionem exorſus eſt, ſacróque inunctus oleo, eadem hora, piè in Domino Crucifixum amplexatus obdormiuit. Vixerat in Societate annos octodecim, quod omne tempus aut abſoluendis ſtudiis, aut docendis Humanioribus & Philoſophicis fructuosè traduxerat. Domi verò extulimus Patrem Arnaldum Feuga, Vaſconem, Philoſophiæ Profeſſorem, virum ad magna natum, de quo multa Societas acceperat, plura ſperabat. Erat ei animus comis, humanitas ſingularis, ingenium omni natum culturæ, ſcientia eximia, magna pietas. Phthiſi eius intima depaſcente, medicorum iudicio Albenacum miſſus, mitioris cæli gratia, incidit in Apoſtatam, ad Caluinianos adſpirantem, quem rationibus adegit, vt facti apud Epiſcopum pœnitens, ad Patres Recollectos transiret. Inde, augeſcente malignitate morbi, ad hoc Collegium reuectus Pater, vbi domus limen attigit, lætus, inquit, nunc moriar. Procurato igitur diligenter animo per multos dies, effundente ſe tandem multa ſanguinis copia ex eius pectore, cùm minimè adhuc obitus eius exſpectaretur, placidè obdormiuit. Optauit hoc ſibi bonum, & obtinuit Societatis cupidus adoleſcens, conditione Sutor, quam domi artem factitabat, qui ſe cupiit admitti ad vota Societatis ante obitum, quo bono eum Prouincialis abſentia prohibuit aliquamdiu, cũ cætera omnia fauerent; ſed aduenientе demũ Prouinciali, & eius permiſſu ille votis noſtris adſtringeretur, lætitia plenus deinde occubuit.

BITERRENSE COLLEGIVM.

DVo supra viginti Ecclesiæ Catholicæ reconciliati. Fuit vir primæ notæ, qui dum valeret, intemperantiùs vitā agens, & fœdis libidinibus, exsecrandæque Diuini nominis vsurpationi addictus, omnia pro suo genio exerceret, ipsos etiam monentes dicteriis respergeret. Is dum postremum sibi morbi & vitæ diem imminere sentiret, acriter monitus de salute à nostro Sacerdote, mentem saniorem induit, riteque procuratus Sacris omnibus animum inter nostri amplexus emisit, omnibus ad rei nouitatem stupore defixis.

ALTERA parte biennij huius, grassante febrium lue, multorum de nostris, toto ferè anno, grauissimè afflicta est valetudo, & vnus demum eo morbo confectus, Hugo Regagnacus, Cadurcensis, annos duodetriginta natus, vir ingenuæ, liberalis, & ad pietatem natæ indolis, qui olim Causidicum in Cadurcensi Curia egerat. Cùm animum ad Societatem appelleret, passus est grauissimas animi perturbationes, quo nomine pias peregrinationes instituit, ad Beatam Magdalenam in Salyos montanos, & ad Dei Matrem, in Serratum Montem, quibus defunctus se Societati adiunxit. Quinquennium, nec omnino integrum, egit in Societate, magno sanè exemplo singularis erga suum Institutum voluntatis, modestiæ, obedientiæ, caritatis, pietatisque. Harum virtutum exercitatione vt hominibus, ita Deo videtur fuisse gratiosi

tioſiſſimus, vnde pleriſque mirum viſum eſt, quòd alij lõgè imbecilliores, & diutiùs ægroti euaſerint, ipſe integerrimis ſupra cæteros viribus, & quaſi in ſummo effloreſcẽtis ætatis feruore, tam breui tempore fuerit exſtinctus. Septemdecim, eiurata Hæreſeõ prauitate, Catholicam Fidem ſunt profeſſi. Mariani Sodalitij Præfectus, cùm abiret eo honore, poſtulauit in ſe reuocari vetus Sodalitatis inſtitutum, vt mox ab ſua Præfectura iniret munus Ianitoris; quoniam verò ſuus ſucceſſor, Pontificiis infulis deſignatus, atque ex Valeſiorum gente Regia, non fortaſſe videretur poſt geſtum magiſtratum ei muneri addicendus, petebat vt ſibi eius loco ianuam liceret adminiſtrare. Non ægrè impetrauit prius poſtulatum; de poſteriore cùm referretur ad nouos magiſtratus, ipſumque in primis deſignatum Præfectum, Ludouicum Valeſium, ei petitioni vehementer interceſſerunt, quòd ea de ſuo iure derogaret, qui vilitatem munerum in Beatæ Virginis familia ſummo ſibi ducerent honori.

AVSCITANVM COLLEGIVM.

CENTESIMVM annum exceſſerat ſenex paralyticus, peſſimè toto corpore habitus, ad quem ſolandi gratia noſter adiit, &, inter cæterum ſermonem, Confeſſionis Euchariſtiæque mẽtionem intulit. Negauit ſenex auricularis Confeſſionis ſibi curam aut ſcrupulum eſſe; ſoli enim Deo aperienda omnia; cætera myſteria ſibi religioni eſſe, que

se, quæ iuberet per Parochum sæpe offerri. Obstupuere domestici ad fictas Hæretici, aut personati Catholici voces. Pater omnem lapidem mouet, & principio quidem frustra, donec, interpositis Diuini iudicij minis, hominem demum permouit, sed de Confessione respondit in tanta atrocium peccatorum multitudine se non posse omnia vel per memoriam dicere, vel per pudorem sibi non licere. Diu pugnandum fuit, vt ille pudor expugnaretur, quo tamen denique profligato, ille grauem sarcinam noxarum ab se eiecit, ad deinde protulit ex latebra Hæretici dogmatis scripta impia, quæ se in eam mentis caliginem induxissent. Matrona septem annos sterilis in coniugio post conceptum Beato Ignatio votum liberis donata est.

E nostris Sacerdotes duo mortis falce fuere demessi anno posteriore, ac vt credimus in horreū cæleste transportati. Pater Iacobus le Preuost, Parisiensis, quattuor Vota professus, quintum supra sexagesimum agens annum, vir egregius sui corporis domitor, & spectatissimæ planè cum domi tum foris ædificationis. Is lustrata olim magna ex parte orientali plaga, & ex ea magno desiderio terræ viuentium contemplandæ aduecto, nostram Societatem amplexus erat, in qua Superioris, Concionatoris, & Theologi Doctoris munera sanctè obiit, quæ sancta etiam conclusit morte; cuius in morbo nullum doloris signum edidit, nihil omnino postulauit, præter breuiarium, cuius ad preces exsoluendas, vt valenti sic ægroto summa & perpetua sollicitudo fuit. Pater Ioannes la

Com

Combe Aruernus diuturna consumtus tabe animum Deo reddidit, qui vt erat ad Humaniores artes in primis eruditus, & per alias versatus scientias, multa promittebat, si eius ingenio firma valetudo respondisset. Cùm valeret, ita æternitatis consideratione mouebatur, vt hac cogitatione defixus somnum capere non posset. Alicubi, extra vrbem, formata & adulta iam in quattuordecim hominum pectoribus Hæretica pestis exstincta est.

CADVRCENSE COLLEGIVM.

OBIIT Pater Guillelmus Roquanus, in quo mirabilis virtus, & comitas, omnium approbatione planè singularis elucebat. Decē à Caluiniano veneno exemti. Altero anno Pater Ludouicus Tatoatus, Procurator Collegij, vir pius, & eximiè mansuetus, ex vndecim Sociis, qui grauissimè decubuerint, vnus vita excessit. In communi totius ciuitatis calamitate, sibi sumserunt duo Sacerdotes obeundam quotidie vniuersam vrbem, regionibus partitam, qua in procuratione vtilissimam ciuibus operam nauarunt, iuuandis ægrotis omni ope, vt eo nomine publicè grates agerentur Præsidi nostro Prouinciali. Adolescens, anno superiore, valetudine ad desperationem infirmissima, ad Beatum Ignatium confugiens, periculo defunctus fuerat. Hic parem ab eo gratiam hoc anno recepit; nam prima nocte, qua febri iactari coepit, visum sibi ait non dormienti Beatum Ignatium

propiùs accedere, ac bono esse animo præcipere, ab ista febri non moriturum. Morbus tamen ingraueſcebat, iamque de ipsius salute medicus desperarat; ipse contrà præsenti semper animo non moriturum affirmabat. Nec eum fefellit animus, nam post diuturnum lectum, diramque membrorum carnificinam, pristinas vires recuperauit. Seniorum Sodalitas coaluit ex quadraginta primùm honoratis viris, Episcopo, nostri amantissimo, ad Præfecturam delecto, Assessoribus ei destinatis Archidiacono, & Cancellario. Præscindendæ autem omnis ambitus materiæ, cùm ex omnium sententia decerneretur, vt nullo discrimine seruato primæ sedes occupantium essent, ipse Episcopus sua sponte ad ima subsellia se demisit, sed interceſſit omnis conuentus, & inuitum adegit, vt seorsum in principe loco sederet, vt qui ea lege non teneretur. Tam multa nihilominùs summæ demissionis argumenta edere captareque perseuerauit, vt stupori esset Sodalibus, quo in genere viri principes cæteri eius vestigia studiosè assectati sunt. Hæretici decem & nouem conceptam à prima ætate prauitatem Hugonotici dogmatis eiurarunt.

RVTHENENSE COLLEGIVM, & Albenacenſis Sedes.

RVTHENIS Caluiniani septem exsecrantes Hæresin amplexi sunt Catholicam Fidé priore anno, posteriore verò quattuordecim. Cuiusdam

è nostris

è nostris salus à medicis desperata fuerat, pro cuius prospera valetudine Pater Rector in Magnæ Matris ara salutare sacrificium obtulit, votoque Anicianæ Virgini ægrum obstrinxit, si periculo emergeret, isque post paullo emersit, cuius sanationem miraculo affinem medicus asseruit. Primarius Ruthenensium Consul, eloquentia & prudentia Iuris clarissimus vir, ilium cruciatu periculosè torquebatur, vixque certas pecunias Beato Ignatio, templóque nostro vouerat, cùm sensit tormina remitti, nec ita multò pòst in eodem templo, ad participanda suo more Sacra, incolumis est visus.

Albenacensis Familia summittit operarios toti Viuariensi Prouinciæ, quam nostri obeuntes pedibus, humaniter accipiuntur vel ab ipsis Hæreticis, quos afficiunt illæ pedestres sine apparatu & cultu expeditiones. Vnius è nostris opera Dominicanis Patribus instauratum ab indigenis deiectum olim templum, magna Patrum illorum approbatione, ac significatione beneuolentiæ. Religiosæ professionis homo inter viam cœpit rixari cum comite, & abiecto cucullo ab eo discedere ad Hæreticos voluit, & contumax euicit, vt abiret ad eiusdem Ordinis desertorem, vxore iam & liberis præpeditum. Cùm non procul hoc ille diuertisset, euocatur, & clam adhibetur ad colloquium, sed alia omnia auditurus, quàm cogitauerat. Nam vetus ille transfuga, insanum ait eum esse, qui hanc defectionis viam ineat; nescire quas in pedicas se induat, qui sibi vxorem quærat, vnde liberorum grauem familiam debeat exspectare: omnium malorum

sentinam

sentinam esse Hæresin; desciscat à proposito dum ei sunt omnia integra: miserrimum se qui loquatur esse omnium mortalium, quòd magis loqui verbo quàm exemplo possit, atque vtinam, inquit, mihi iam vt sana sunt consilia, ita liberum esset institutum, ostenderem quàm stultum sit, quod ambo tentauimus. Potens ea fuit machina, vt defectionem ingresso reditus ad sua castra suaderetur. Euocatur vnus è nostris, qui emendicatis pecuniis, & idonea veste instructum hominem Episcopo sisteret, à quo in suum Claustrum remitteretur, vbi nunc veterem noxam ardentibus pietatis studiis detergit. Anno posteriore triginta Hęreticos afflante opem Deo ad veram fidem adduximus.

TOLOSANA PROBATIONIS Domus.

TOLOSANI Senatoris filius iniens Societatem, ius ei attribuit Ecclesiastici prædij apud Cemmenos montes, quo ipse anteà fruebatur. Eò missus Sacerdos cùm esset, deprehendit indigenas Sacerdotes impatientia vexationis Caluinianæ tota pænè regione cessisse; Catholicos in omnibus Ministello promiscuè cum Hæreticis vti pro Parocho; à quo vt auellerentur, ipse Parochi partes omnes necessario instituit obire; ideóque præter cætera, mortuorum efferre cadauera, suis ipse manibus humare, ac eius generis omnia multo labore exsequi, sed vberi Catholici dogmatis

compen

compendio. Paucis diebus rei bene gerendæ assiduitas & fama etiam apud Hæreticos auctoritatem ei parauit, vt eius opera libenter vterentur. Certè mulier Caluiniana ipso Pentecostes die, sub vesperam, ad eum simplici animo fidentique adit, & obsecrat, vt illa ipsa hora Missam Deo ne grauetur offerre pro salute filij grauiter decumbẽtis. Pater mirabatur mulierẽ tam ignaram moris Ecclesię, sed vt accepit Hæreticam esse, opportunè retulit, facturum se quod illa peteret, nisi sciret, non facilè rem ex voto cessuram, nam matris Hæreticæ perfidiam filij licet innocentis sanitati officere; ideo esset ipsa Fidei Catholicæ morigera, precibusque orantis Deũ non defuturum. Hæsit aliquantulum eo responso perculsa, sed manus paullò post dedit, & exsecrata Hæresin, noxis expiata, Sacræ mensæ admota est; deinde, nostro sacrum faciente, incolumem filium cum singulari voluptate animi recepit: inde puer ac tota familia Fidem amplexa est. Distribuerat noster Agnos cereos, interque cæteras eorum dotes, commemorat vim parientibus salutiferam; & accidit per eos dies mulierem Caluinianam partus doloribus duos iam dies horribiliter cruciari, cui adesset Catholicus sacro Agno instructus, qui memor dictorum Patris enunciauit adstantibus, habere se præsentẽ eius morbi medicinam, si puerpera esset ritus Catholici. Nihilominùs post multa euincunt ac pænè inuitum adigunt, vt amuletum adhibeat, quod vt parientis collo appendit, eueſtigio ea feliciter peperit. Cauerat in sponsione Catholicus vt puerperæ fetus ritu Romano lustraretur ab Sacerdote,

cerdote, quod haud repugnantes Caluiniani parentes admiserunt. Arnaldus Boretus, in Tolosanæ Curiæ Senatoribus, antiquitate, splendore, integritate clarissimus, postquàm Tolosano Collegio nostro annuos reditus fouendis Theologiæ auditoribus attribuerat, eidem rustica prædia duo, vrbanamque domum condonarat, & Tirocinio, præter cæteram liberalitatem, quaterna librarum millia, semetipsum quoque ipsi dicauit, anno decimo quarto huius sæculi, ætatis suæ quarto & quinquagesimo, & in hac domo velut vnus Tironum versatur.

PRO

PROVINCIA TOLETANA.

OCCVPAVIT hæc Prouincia Socios primùm quingentos octoginta tres, deinde duodecxcentenos: biennio toto amisit de suis viginti quattuor, duodequinquaginta sibi adsciuit ex candidatis aduenis.

TOLETANA PROFESSORVM DOmus, & Collegium.

PErditis moribus homo vagabatur oppidatim, agentibus eum conscientiæ stimulis, cui regiones cuiusdam vrbis otiosè lustranti cupiditas incessit visendæ Domus Hopitalis, in quam ingressus, vidit hominem morientem, accessit, & ad bene moriendum cœpit adiuuare. Aegrotus caligãtes oculos in ipsum immisit, protentaque manu designauit his verbis; En Dæmonem, dæmonem, videte Cacodæmonem. Qui præsentes aderant, insanire præ morbo ægrum existimarunt, nec deinde curarunt,

runt, quæ ab eo dicerentur. Ille homo nequam mente perculsus exspectauit tantisper dum arbitri discederent, ac deinde solus cum ægroto cœpit loqui de rebus Diuinis,& arripiens imaginem Crucifixi, adorandam morienti proposuit. Aegrotus tametsi animam ageret, viribus omnino destitutus, lecto insedit, illiusque hominis prehensa manu, ita dixit; Tune verò sic audes coram tanto Deo apparere, eiusque nomen sanctissimum ore spurcissimo pronunciare, cum sis nefarius, & vitam agas sceleratissimam? Vide, quid agas, qui Deum grauiter offenderis; animum expia sacra Confessione, age pœnitentiam, nisi velis iratum Deum experiri. His dictis recubuit moribūdus,& vt paullò antè, sic agebat animam. Perditus ille agnouit Diuinam bonitatem erga se, cum sic admoneretur: narrauit puero socio suo, quid sibi accidisset; addidit se velle anteacta peccata deflere, pœnitentiaque diluere; abiret proinde quò vellet; iurauit præterea se neque comesturum neque bibiturum, nisi priùs apud Sacerdotem nostræ Societatis peccatorum sarcinam deponeret. Aberat à nobis leucas duodecim, neque tamen propterea despondit animum, sed defessus venit ad nos, & quia meridiè venerat, neque de ipsius ieiunio quidquam erat notum, iussus est ad vesperam exspectare. Aperuit scelera lacrymabundus summo cum dolore, peractaque pœnitentia salutari ad patriam rediit.

Ineunte Vere insequentis anni obiit Pater Gabriel Ordonnez, quatuor professus Vota, ætatis anno septuagesimo, quorū duos & quinquaginta egerat in

rat in Societate. Vir planè religiosus, qui cum summa laude quinque Collegiis præfuerat, ac demum ante annos triginta, in hanc Domum venit, in qua diligentissimum egit operarium. Cunctos ad se alliciebat hominis sanctitas, & inusitatæ prudentiæ fama, vt grauioris nihil priuatim aut publicè gereretur eo inconsulto. Excursum vtroque anno in remota oppida & pagos, missu Archiepiscopi, Concionibus & Confessionibus apud agrestem & maximè rudem plebem obeundis, quam longè studiosiorem sui muneris fecêre largæ pecuniæ in egenos liberalitate Archiepiscopi per nostros distributæ.

In Collegio sollemnia litterarum & pietatis curata sunt quàm diligentissimè.

COMPLVTENSE COLLEGIVM.

AD Tordelagunam, & vndecim finitimos populos, Missiones à nostris susceptæ iussu Cardinalis Toletani Archiepiscopi, ad eius largitiones diuidendas, & Iubilæum promulgandum. Alicubi principiò non satis placidè accipiebantur nostri; sed vtilitate Concionum Confessionumque perspecta, excitatum omnium studium ad eas participandas; vt vicinorum oppidorum Parochi ac Magistratus inuitatum ad se venirent, etiam cum lacrymis, & vno die pleræque huiusmodi legationes aliquando exceptæ sunt. Aduentantibus nostris in oppida & vicos, plebes occurrebant confertissimæ, in genua interdum prouolutæ, ac cymbalorum pulsu lætitiam præferentes. Instituta vbi-

que à noſtris Sodalitas Seruorum Beatæ Mariæ, cum conſuetudine confitendi & communicandi ſingulis menſibus, & quidem tam feliciter, vt Monachorum, & ex Nobilitate plerique adſcribi ſe in eos cœtus cupidè poſtularent. Mulieres tres erga Dei Matrem religiosè affectæ, illius ope præſenti exitio ſubtractæ ſunt, quod ipſæ ſibi deſperatione conſciuerant, duæ hauſto veneno, vna earum item voluntario ſuſpendio, & tertia lapſu in puteum. Inſtituta item altera Miſſio ad quattuordecim alios populos, eiuſdem Cardinalis auctoritate, parique aduersùs egentes munificentia. Quacumque hora diei oppida inirent noſtri, coacto in ædem populo, legationis ratio exponebatur, & vulgò accidebat tam grata, vt Concionibus, Catecheſibus, & cæteris exercitationibus adeſſent perpetuò frequétiſſimi oppidani. Excitati Parochi ad ſtudium vſurpandæ Catecheſis in ſuis templis per dies Feſtos, & eius vſum amplexi ſunt plerique cupidiſſimè, vt fuerit Parochorum vnus, qui, publicè apud ſuam plebem nuncupato Voto, eius tradendæ neceſſitate ſeſe deuinxerit in ſingulos Dominicos dies. Earum Miſſionum opera in conſequentem annum continuata, fructus omni opinione maiores attulit.

ALTERO anno deceſſit Pater Bartolomæus N. huius Collegij Rector, ſexaginta ſex annos natus, de cuius virtutibus tacere præſtat, quàm pauca dicere, præſertim cũ ſit vniuerſæ Societati cognitus. Litteratiſſimus fuit, Abulæ curſum Philoſophiæ prælegit, Theologiæ Valliſoleti ac Neapoli, vbi res noſtras apud Proreges magnopere iuuit, maximè apud

mè apud Ducem Ossunæ, cui fuit à Cõfessionibus. Bæricam Prouincialis administrauit, inde Patri Generali Assessor, ac postmodum huius Prouinciæ Præses, omnium Sociorum animos vehementer sibi deuinxit. Neque minorem laudem Madritij obediendo inter priuatos eius Familiæ Socios, quàm Prouinciali iure præsidendo est consecutus. Decem & octo menses præfuit huic Collegio, multis imbecillæ valetudinis pressus incommodis, vbi copiosos virtutum thesauros patientia egregia tolerandi patefecit. Eius funus omnes Religiosæ Familiæ, Academia tota, Nobilitas, & plebs, sua cohonestarunt præsentia. Officium Missæ fecit Prior calceatorum Carmelitarum, eique ministrarunt Theologiæ lectores duo. Frater quoque Ioannes Merchante defunctus est, qui tertium annum operam dabat addiscendæ Theologiæ, annos natus viginti septem, de quibus septem in Societate vixit. Hic ingenio valuit, gradumque primum in litterariis licentiis assecutus erat, sed hæc omnia pro nihilo habuit, vt Christum in Societate lucrifaceret. In hecticam febrim cùm incidisset, decreto Medicorum ad patrij cæli amœnitatem hauriendam remissus est perinuitus, affirmauitque se properare ad certissimam mortem, enixéq; petiit & obtinuit vetustam sotanam, & detritam, in qua sepeliretur. Itaque longo morbo diutissimè dispositus, gratias Deo agens maximas, quòd in Societate moreretur, obdormiuit in Domino.

MADRIDIANVM COLLEGIVM.

AMPLIVS millenos Discipulos censemus in nostro Gymnasio,& eos pietati egregiè addictos, quorum plus sexaginta Religiosam vitam inierunt. Seniorum Sodalitas vna, quæ ciuibus constat,millenos Sodales numerat; altera quæ Sacerdotum est, centenis & quinquagenis continetur, quorum omnium vita est exemplo virtutum insignis. Obiit Pater Ioannes de Cetina, quattuor Votorum Professus, annos natus septuaginta, cùm ageret in Societate quartum & quadragesimum, quibus totis ministerium audiendi Confessiones exercuit, quo munere perfunctus est egregiè Romæ, in Hispania,Sicilia, & locis aliis. Sex totas horas quotidie dabat manè audiendis pœnitentibus, paullóque minus à meridie, cuius assiduæ occupationes de somno & recreatione quotidie detraherent non parum, vt recitandis sacris precibus satisfaceret.

Posteriore anno sexaginta quattuor ex Gymnasij nostri alumnis in diuersa concessere Monasteria. Rex Calendis Ianuariis Sacra obiuit apud nos,amoris summa testificatione in nostrum Ordinem. Sex Sacerdotes missi ad oppida & pagos concionaturi, ac diuisuri magnam pecuniæ vim munere Cardinalis Archiepiscopi, quarum Missionum nomine studij & gratiarum pleniſſimas litteras Cardinalis ad Prouincialem dedit, voluitque nunciari Patribus vniuersis earum Missionum fructum sibi iucun

iucũdissimũ accidisse. Obiit Pater Ioannes Baptista Paciecus, annorũ sexaginta quinque, quorum duos & quadraginta in Societate vixerat, Votorum quattuor Professus, Missionum obeundarum strenuus athleta. Tam raro ad eas talento erat præditus, vt quocumque veniret, omnem omnino ætatem & sexum ad Confessionis studium adduceret, etiam paucissimis ibi diebus futurus, cuius opera ex mutatione morũ in oppidanis mox sentiebatur. Confraternitates quas vbicumque instituit, post multos etiam annos, pietate, ac integritate morum vigent, vt eo ipso die, quo cœperunt: Spartariam totam, quam Mancham vocant, percurrit, annos multos in Missionibus exegit, magno populi bono. Mortuus item est Pater Guillelmus Vachius, Hibernus, qui Salmanticam venerat, vt suæ gentis negotia quædam ageret; cuius de virtutibus Salmanticenses præclara quæque possunt recensere: nos affirmasse possumus, quamdiu hîc fuit, & domesticis & extraneis virtutum omnium exemplis præluxisse.

MVRCIANVM COLLEGIVM.

LATRO quidam insignis, vt se periculo eriperet, accusauit Nobilis familiæ adolescentem, qui torquendus cùm esset, reiecta res est à Prætore in diem tertium, eò quòd esset peruigilium Assumtionis Beatæ Virginis. Adolescentis mater rogauit Sodales Congregationis, vt cùm Sacro adessent

communicaturi, filij causam Deiparæ commendarent. Res mira; necdum omnes Sodales sacram Eucharistiam acceperant, cùm latro ille festinè iudicem aduocauit, ad eius genua supplex se abiecit, suum confessus esse crimen, & illius adolescentis protestatus innocentiam. Ita adolescens ereptus è carcere, magno ciuitatis applausu, enixè petiit, vt in Sodalium cœtum adscriberetur perpetuus Beatæ Virginis famulus futurus.

Insequente anno, cùm Ricotenses Mauri exigerentur ex Hispania, duo de nostris eò missi sunt, qui calamitosis solatium afferrent. Adhibitis aliquot concionibus excitati sunt ad expianda peccata eò euentu, vt nemo de tota multitudine abierit sine Confessione, adulti verò omnes Eucharistia pasti sint. Manauit hæc quoque vtilitas ad classiarios milites, & ipsos Saracenos captiuos, ex quibus cœperunt bene affici ad Christi fidem, nonnulli etiam baptizati. Obiit Frater Franciscus de Espinosa, Coadiutor Formatus, annos natus quinquaginta, è quibus in Societate viginti egerat. Obseruantissimus fuit silentij, obedientiæque deditissimus, vt numquam auditus sit de Superioribus conqueri, etiam si quid asperum ruberetur: neque de Officialibus, tametsi necessaria sibi decessent. Vltimam ægritudinem satis molestam tres ferè annos patientissimè tulit. Alij quoque duo Fratres Nouitij decessere, qui Villaregio venerant, Hectica febre correpti, vt patriam cæli temperiem experirentur. Illi tamen cum rato exemplo patientiæ, reliquarumque virtutum nos multum ædificarunt.

ORO

OROPESANVM, HVETENSE, CARAVACENSE, Belmontense, ac Placentinum Collegia.

OROPESA profecti duo de Sociis, rogatu Cardinalis Archiepiscopi Toletani, cum eleemosyna pauperibus diuidenda, in Pontem Archiepiscopi, quod est oppidum satis celebre: & primò quidem satis arduus fuit introitus, vt apud homines minùs affectos, & quia Parochus parum fauere videbatur Missioni. Vicit tamen difficultatem vis verbi Dei concionante nostro, & eò vsque progressum est, vt manè sex horas totas oporteret adesse, ad audiendos pœnitentes, ac ferè totidem vesperi, præter tempus, quod dabatur Catechesi puerorum & rudium. Itaque concursu ingenti ad nostros, populóque ad pietatem inflammato, Confessiones generales auditæ plurimæ, conciliationes gratiarum perpetratæ, quam vtilissimè & frequentissimè. Ab cæteris item Collegiis frequentes obitæ Missiones & cum fructu, maximè Antistitum auctoritate, in suas diœceses studiosè delegantium aliquot ex Patribus.

SEGVRENSE, TALABRICENSE, Conchense, Almagrense Collegia.

SEGVRÆ obiit Frater noster Antonius Ruizius, Coadiutor Formatus, triginta octo annos

natus, cùm in Societate vixisset octonos denos, vir sanè in officio Sacristæ multum exactus, & in agendo cum sæcularibus valdè modestus, ac circumspectus, omnibusque tam domesticis quàm externis præluccbat virtutis exemplo. In febrim Hecticam incidit quam anno integro patientissimè sustinuit. Talabricæ duæ Missiones susceptæ iussu Cardinalis Archiepiscopi Toletani, cum eleemosyna, quam ipsius nomine nostri distribuerent, Iubilæo pronunciato, populi summo ardore ad Confessionem accurrerunt; Conchenses nostri eadem ex causa destinati ab eodem Cardinali, septemdecim oppida ingenti bono indigenarum lustrarunt. Eodem quoque genere vtilium excursionum nostri Almagrēses missu eiusdem Cardinalis feliciter occupati sunt. Talabricensium Sociorum vni dum versatur in pagana Missione accidit quiddā singulare. In via ei occurrit indigena gratulabūdus, quòd Sacerdotem de nostra Societate cerneret, & significauit suam vxorem, graui morbo decumbentem, toto manè institisse, vt Pater aliquis de Societate Iesu vocaretur. Ingressus noster hominis tugurio-lum, feminam inuenit humi cubantem sub lodice, quattuor iam menses in eo situ exigentem, apostematis toto corpore refertam, & membris contractam, sed cælestibus consolationibus pleniſſimam. Viso Sacerdote exsultauit, suprà quam credi potest, & lacrymans Deo Sacerdotique gratias agebat. Assedit Pater in putri scabello, cui illa dixit; Nocte superiore se vidisse Angelorum Reginam, cælitibus comitatam, quæ sibi tota nocte ad auro-

ram

ram vsque adstiterat, in eo ipso scabello, in quo Sacerdos sedebat. Affirmabat autē non fuisse somniū illud, quia satis aduerterat se vigilare, ac recordabatur omnium, quæ Beata Virgo dixisset: nimirum collaudare mulieris deuotionem, quòd singulis diebus recitasset rosarium, Confessionem frequentasset, & sacram Synaxin, labores sustinuisset patienter, ac tandem monuisse, vt cum aliquo de Societate rem certā tractaret, cuius in Confessione oblita esset annis superioribus. Perseueraret porrò in sua deuotione, seque apud Iesum filium ei patronam futuram: inter quæ verba cùm ægra cōplecti præ amore Dei Matrem cupiuisset, ipsa Virgo derepentè sublimis abiuisset in cælum, multa pompa eam comitante. Pater perfecit, vt in Nosodochium delata mulier sedulò curaretur, quæ deinde conualuit, erga Dei Matrem deuotissima, & multum erga Societatem nostram. Veram fuisse visionem apparet ex eius vitæ innocentia, & eximio animi candore.

SANCTI CLEMENTIS, ET ALMOnaciria Sedes.

MIssi duo Sacerdotes in oppidum Sanctum Clementem, excepti sunt amantissimè à Senatu, Populo, ac Parocho, cuius postulatu venerant, vt ageretur de instituendo Collegio, moxque ministeria Societatis exercere cæperunt fructuosissimè. Don Andreas Pacheco, Episcopus Conchen-

sis, excitauerat Parochum, vt id faceret; statim ergo atque resciuit aduentasse Patres, aduenit ipse quoque, & magno ardore de fundatione Collegij pertractauit. Parocho igitur iam pridem optanti persuasit, vt donationem faceret inter viuos prædij cuiusdam, ex quo plusquàm tres mille aurei in annos singulos colliguntur. Senatui verò exposuit quanti ipsorum interesset, ne Societas ab oppido discederet: proinde animos caperent, & quisque liberaliter offerret, quo nostri alerentur tantisper donec Parochus fundator moreretur. Ipse in primis Episcopus obtulit bis mille aureos, totamque materiam templo exstruendo necessariam: Parochus annuam tritici & vini satis amplam copiam. Senatus etiam de suo benignè contribuit, itaque accepta fundatione, Lucalibus apertæ sunt duæ scholæ Grammaticæ, ac lectio Casuum conscientiæ.

Doctor Ioannes Escudero, Almonacirij Parochus, sæpius cogitauerat ex amplo patrimonio aliquid instituere perpetui, quod popularibus prodesset, terque confectis testamenti tabulis, varia in eam rem decreuerat, in quorum nullo eius animus acquiesceret deinde; sed anno septimo huius sæculi testamentum condidit, quod ratum posteà esse voluit, ac septimo post anno mortuus obsignatum reliquit. Id ab Senatu & populo cùm publicè inspiceretur, ingentem omnibus peperit admirationem, quòd Societas hæres ex asse creabatur, ea lege, vt Almonacirij Collegium excitaretur, cuius rei ab eo numquam illata mentio fuisset, qui se austerum potiùs erga nostros semper ostenderet

deret, siquando ex occasione eò diuerterent. Ferunt eum viuentem legere consueuisse librum de Missionibus Indiæ Orientalis, & Iaponiis Insulis, quem Pater de Guzman composuit, eaque lectione permotum, vt Collegij instituendi consilium caperet. Eo defuncto Magistratus missis litteris admonuit Patrem Rectorem Collegij Complutensis huius testamenti, missique sunt Sacerdotes duo, qui auctoritate Senatus hæreditatem adirent, moxque exordium caperent munerum sollemnium Societatis in ea vrbe. Propinquorum defuncti animaduersæ sunt principiò quædam à nobis abalienationes, quod exciderant hæreditatis exspectatione; sed illis ipsis ita placere cœpit opera Sociorum, vt breui euanesceret omnis simultas; & fuerit ex eis, qui audita Patris nostri concione affirmaret, pluris sibi videri eam concionem, quàm vniuersas Doctoris Escuderij possessiones. Plerique de oppidanis, post explicationem Catechesis, & sedulam puerorum in ea exercitationem, cum applausu exclamabant in hæc verba; Nunc apparet nos omnes Escuderij hęredes fuisse, ad quos tantum boni ex eo peruenit. Præter frequentem Sacramentorum inductum vsum, sublatam morum corruptelam, plerique de Clero, populo, & Sacris Virginibus, exculti sunt priuatis rerum Diuinarum meditationibus, summo omnium emolumento & gaudio.

VIL

VILLAREGIENSIS, ET MADRIdiana probationis Domus.

VILLAREGIENSIS Domus Sacerdoti versãti apud Oretanos in Missione res accidit memoranda, quæ faciat ad Pœnitentiæ captandam omnem opportunitatem. Multa de nocte audiebat alicuius Confessionem, qui magna edidisset signa pœnitudinis; quo defunctus munere Pater ad meditandam sequentis diei concionem se collegerat. Cum fores ac fenestræ vndique essent clausæ, irrupit tamen ventus vehemens, qui Sacerdotis nostri vestem magna vi commoueret; moxque insecuta est vox valdè lugubris, quæ horribili gemitu, *Væ*, tertiò iterauit. Qua voce consternatus primùm Sacerdos grauiter, vbi animum receperat, adiurauit eum, à quo vox flebilis esset emissa, & iussit edere, quis esset, & quid vellet. Tum ille; Tua nihil refert nosse, qui ego sim; aliò propero; sed huc in transcursu deductus sum, vt viderem quemadmodum iste pœnitentiæ locum nactus est, à quo ego excidi. Quæ res opportuno tempore pro suggestu narrata, vehementer concussit auditorum animos, neque vulgaris ex ea fructus perceptus est. Alio loco Monachus ex honorata familia culpam admiserat, cum graui multorum offensione, quo nomine publica illi erat inurenda, & acerba infamia; sed elaborarunt nostri vt ea ipsi remissa, offensio tolleretur, ingenti populi totius lætitia.

Quod

Quod officium fuit tam gratum illius Ordinis Superioribus, vt ea causa gratias numquam nobis agere desinant.

Madridiani Tirocinij alumnus, Ioannes Garcia Gallego, Nouitius, feliciſſimè obiit. Innocentiſſimè vixerat extra Societatem ad annum viceſimũ ætatis, interque cætera argumenta virtutis eximiæ, puerulus adhuc, voto ſe Caſtitatis adſtrinxerat. Vixit in Tirocinio tres modò menſes, ſed quorum ſingula momenta religioſiſſimæ vitæ inſignibus monumentis illuſtrauit.

DE CASTELLANA Prouincia nihil venit in noſtras manus.

PRO

PROVINCIA ARAGONIA.

TRECENTOS nonaginta septem Socios anno priore, posteriore quadringentos & quattuor censuimus in Familiis quattuordecim, de quibus recentes in Societatem venêre toto biennio quadraginta quinque, dimissi ab Societate septemdecim, viginti morte sublati.

VALENTINA PROFESSA DOMVS, & Collegium.

DIEM suum obiit Pater Ferdinandus Almaraz, annos natus duodetriginta, postquàm magna æquitate animi aliquot annos morbũ perpessus esset. Fuit amabili morum suauitate, animique demissione iusto ardore temperata, ne in remissionem degenerasset nimiam; quo pacto multorum sibi voluntates lucrabatur, & Deo. Principe in æde Valentina magno ciuium concursu fructuque nostri conciones habuerunt, nec minore, binis

nis excursionibus in oppida varia. Setabin vocati sunt nostri, summo Cleri ac ciuium consensu, & pari vtrorumque bono, vnde rediit singularis omnium erga Societatem beneuolentia. Ibi noster à Patribus Dominicanis est adhibitus laudando Beato Thomæ Aquinati, eius natali die, ac prandio exceptus in ipsorum cœnaculo, deinde à prandio, cùm sollemnis supplicatio esset, Cœnobiarcha ipse nostrum hominem, vel pertinaciter recusantem, compulit, vt locum in supplicatione quàm honorificentissimum occuparet, magna ciuitatis, quæ tota conuenerat, approbatione. In quattuor item alia oppida expeditiones susceptæ, Concionum & Catecheseon fruge quàm vberrima, vt alicubi fuerit, qui vnius concionis auditione decem & octo annorū pellicatus cōsuetudinem aboleuerit, eóque studio exarserit verbi diuini, vt vno die quinquaginta millia decurreret, ne sub vesperam Concioni deesset. Valentina Seniorum Sodalitas hoc anno liberauit è carcere ac vinculis cētum & septuaginta captiuos, dissoluto ipsorum ære alieno. Oppida sedecim Valentiæ circumiecta nostri lustrarunt, prima de tribus missione. Eorum oppidorum in aliquo dissipatus erat rumor, tam austeram esse nostrorum in Confessionibus rationem, vt omnes oppidani eorum aditu abstinerēt. Venit autem vni ciuium in mentem explorandæ rei causa nostrum Sacerdotem adire, cum ab eo hilari vultu, & amoris magna significatione, de peccatis esset auditus, ac deinde palam, & clara voce professus, mentiri, qui contrà sentirent ac loquerentur, animum adeundi

cæteris

cæteris fecit omnibus, & mox illi rumores sunt dissipati. Aliquot locis viri ac puellæ, grauibus impliciti noxis, cùm adiissent ad nostros Confessionis gratia, senserunt sibi adstringi fauces, occulta vi Dæmonis scilicet, vt diu connitentes eloqui non possent, perstantes tamen in consilio expiandæ conscientiæ, tandem euicerunt, quod contenderant.

Collegium Valentinum, superiorum facultatum totius Prouinciæ Seminarium celeberrimum, litterarum, & pietatis exercitationibus floruit, vt cùm maximè, hoc toto biennio. Transierunt ex his litterariis castris in Religiosorum Cœnobia egregiæ spei adolescentes: Sodalium verò se maximè probauit in omnibus, & in tuenda Castitate nominatim, cum magnis artibus appeteretur, etiam à principibus feminis: fuit autem ex hoc conuentu adolescens, qui afferret ad Præsidem Sodalitatis amatoriorum codicillorum magnam vim, manu primariæ mulieris ad se scriptam, flammis vstulandam. Misit hoc Collegium ad Superos vnum è nostris Theologiæ discipulis, egregię indolis & exempli, quo mirum quantum accenderet ad pietatem omnes, qui secum agebant. Alterum emisit quoque Coadiutorem Formatum, legum nostrarum valdè obseruantem, & laboris ita sitientem, vt ne recreationis quidem tempore de summa contentione quidquam remitteret.

GAN

GANDIENSE COLLEGIVM.

PATREM Franciscum Castillo, Gandiæ natum, hoc idem Gandiense Collegium cælo transmisit, quattuor Votorum Professum, ætatis anno quadragesimo quinto, Societatis aditæ vicesimo sexto: ætate quidem non maturum omnino, sed vitæ sanctimonia, & laborib. pro salute animorum susceptis, bene maturum. Erat laboris indefessi, alienæ salutis sitientissimus, amantissimus excursionum nostrarum, quas cum ingenti proximorum fructu obibat. Reliquit apud exteros magnum sui desiderium, & eximiam sanctitatis opinionem, vt plerique contenderent enixiùs eius reliquiarum aliquid sibi concedi.

ALTERO anno præsentem Beati Patris Nostri opem sensit vnus Fratrum, qui nono die, quàm eam ad ipsius sacellum implorauerat, pedem alterum fœdis vlceribus saucium, vt eo non vteretur, persanatum deprehendit. Quadriennio antè Madridij defunctum Ioannem Borgiam, Equitem præcellentibus virtutibus in Aula florentem, germanam sobolem & exemplum magni quondam Ducis Gandiensis, hoc anno huc transmissum, nostra in æde, magnificentissimo apparatu, condidimus. Lectissimam Conuictorum Familiam, ex principe Nobilitate Valentina & regni totius, pietatis & litterarum disciplina hic informamus, euentu felicissimo. Prorex Valentinus, cùm hac iter haberet, apud nos p ernoctare voluit.

CÆSARAVGVSTANVM COLlegium.

QVADRAGENARIÆ apud nos orationis celebritatem planè inusitatam ex eo sit facilè deprehendi, quòd omnis omnino & Sacer & Profanus Magistratus, multis distinctus Decuriis, vno tempore interfuit, quod aliàs visum erat numquã, eiusmodi concursum studiosè declinantibus eorum singulis, propter sessionis prærogatiuam, quã, alij alio iure, singuli tamen sibi vindicant, cuius tamen nomine dissensionis nihil hoc conuentu interceſſit. Seniorum Sodalitas centenos vinctos è carcere sua pecunia hoc anno exemit: opulentus mercator, huic propagandæ benignitati, millenos aureos Sodalitio legauit. Monteregienses, quorum in agro luculentum nacti sumus prædium, vulgo commemorant, & cum multa grati animi significatione, Beati Patris Nostri meritis toti suo territorio concessam immunitatem à grandine & locustis, quibus erat infestissimum antè, quàm nobis in eo fuisset prædium; qua calamitate circumiectus vicinorum ager etiamnum, & grauiùs etiam, quàm olim, vexatur. Quodam in oppido ad singulare certamen nonnulli vocabantur, libellis in foro publicè affixis; prouocationem incendia sunt consecuta, iamque aliò cogitabant nonnulli, vexationibus ferẽdis impares, nec oppidi Satrapa excitatum tumultum poterat compescere. Eius tamen auctor incendij cùm interfuisset nostrorum concionibus, pœnitentia

nitentia ductus, & se crimínum suorum atrocitate, & populum sollicitudine liberauit. Exeunte anno Pater Antonius Hurtado, Bæticus, duodetrigintà natus annos obiit, dum magna cum laude Humanitatis litteris tradendis occupatur, vix dum studiorum omnium absoluto curriculo. Ludouicus item Sora, Cæsaraugustanus, vndeuigesimo ætatis anno, magnæ spei adolescens, decessit.

SECVNDO anno Patres duo peragrarunt oppida septemdecim huius diœcesis, quorum opera Sacramentis imbuti sunt oppidanorum plus decem millia vix toto trimestri, quo tempore priuatim & publicè omni ludorum genere, ac saltationum abstinebatur: auditæ sunt iis excursionibus generales Confessiones voluntariæ mille, ac quingentæ, præter has aliæ quingentæ omnino necessariæ.

BILBILITANVM COLLEGIVM.

MIGRAVIT ad Superos Pater Antonius Belloc, Valentinus, trium Votorum Professus, in Collegium Valentinum valdè beneficus, cùm vixisset annos duos & sexaginta, in Societate viginti. Degerat ille priùs in matrimonio & honestè & splendidè, in Diuinis incedens mandatis sine querela: sed ad vlteriorem Consiliorum perfectionem accitus, coniuge ad Virgines transeunte, se Christo, & rem suam, quæ annuorum sexcentorum erat aureorum, in eiusdem Societate donauit. Homo in deliciis habitus diu, ægrè dein-

de tulit inter nos, si quidpiam singulare videretur ipsi tribui, aut si mentio inferretur eorum, quæ Societati donauerat. In sola fuit animi demissione singularis; nam exacto biennio Probationis, cùm necesse haberet præcepta Grammaticæ repetere, vltroque Superiores deferrent, vt priuatim doceretur, maluit publicam nostrorum discipulorum scholam frequentare, vbi cum ipsis discipulis & Grammatica præcepta repetebat, & vicissim disputabat. Fuit ei perpetuus sermo de morte, ac eo quidem eius fructu, vt Sacrum facienti Deus instantis obitus diem denunciarit, quo ipso die complexus eũ est affectus Apoplecticus, qui quadragesima hora ipsum exstingueret: quo in stupore liber ei relictus est linguæ vsus, vt ex eo auditum sit, singulari Dei beneficio sibi patere in cælos aditũ. Lustrata oppida quædam summo incolarum bono vbi sopitæ grauissimæ seditiones, & ex cædibus ortæ inter oppidanorum summa capita, exitiales futuræ non paucis simultates.

Insequente anno mortuus est Michaël Valpicesta, Coadiutor rei familiaris, anno ætatis quinquagesimo secundo, & vicesimo quarto ab Societatis ingressu, in quo emicuit omnium virtutum decus, ac obedientiæ in primis studium singulare. Ianitoris & Aeditui munus obiit pari pietatis, & boni exempli laude, in quo cùm suis partibus egregiè defunctus esset, suam operam Sociis liberaliter deferebat.

TVRIA

TVRIASONENSE, OSCENSE, ET Barcinonense Collegium.

VNius è nostris, Quadragesima in primaria Oscensi æde concionãtis, opera Mauritanus, Mahometanę sectæ alumnus, ad Christianã veritatẽ se conuertit, qui Baptismo deinde magno mortalium concursu initiatus; Diuinæ vocationis beneficium prudenter expendens pietatem egregiè colit. Turiasonensis Sodalis Marianus letali vulnere acceptus cùm exiret è templo, id primùm cauit per Sacerdotem nostrum, qui ad eius Confessionem accurrerat, vt omnes intelligerent, se percussori condonare, quod & apud propinquos ratum esse voluit: neque caruit mercede illa mansuetudo, nam Deipara, cui erat cliens addictissimus, ei sanitatem, præter multorum spem, impetrauit. Barcinone quidam multos iam annos peccatum celabat in confessione, qui acceptam ore sacrilego Diuinã Hostiam non potuit deglutire, vel adhibito frequenti aquæ haustu, quo casu sui sceleris admonitus, accidit ad pedes Confessarij, expiatusque, dum Absolutionis formula pronunciatur, fauces sibi mox dissolutas sensit, quæ priùs veluti duro laqueo stringebantur. Beati Patris Nostri patrocinio adiutus quidam conualuit letali ex vulnere, cùm eius salus iam esset palam conclamata. Gotthaniæ Prorex dysenterico ex morbo periculosissimè laborabat, & postulauit sibi afferri quidpiam reli-

quiarum ab eodem Patre, quibus admotis derepente sanatus est, neque se ingratum tanti beneficij præbuit, cuius magnitudinem deinde non desinebat prædicare.

Secundo anno viuere desiit Pater Melchior Miralles, Professus quattuor Votorum, anno ætatis quadragesimo tertio, Societatis initiæ vicesimo quarto, indefessus operarius, Missionum in primis studiosus, frequens in Nosocomio, & Custodiis, capite damnatorum comes assiduus. Is excepta in carcere Confessione multarum horarum, non sine suspicione pestiferi halitus contracti, febri ardenti paucis diebus est confectus. Petrus item Macipe Theologicæ scholæ auditor, annorum vicenûm quinûm, & inter Socios nouem versatus, graui & molesto ex morbo occubuit, cuius patientia in eo tolerando mirificè se probauit omnibus. Ipso Circumcisionis die venit ad nos Illustrissimus Princeps Philibertus, festo corporis cultu, stipatus satellitibus & pedissequis purpuratis, magnaque Nobilium multitudine: qui, re Diuina peracta, vnus prandere voluit apud nos, in communi triclinio, exclusis cęteris omnibus, parato suis impensis lauto conuiuio.

GERVNDENSE COLLEGIVM.

PVER cùm ageret animam, & à parente suo numeraretur in mortuis, accensa candela iacentis naribus applicita, extremum spiritum explorante, noster Sacerdos accurrit cum Beati Patris

tris chirographo. Is vbi pedem in moribundi cubiculum intulit,antè quàm sacra lipsana promeret, sensit morbus præsentem Ignatij manum: nam subitò puer, stupentibns adstantibus, lecto exsiliens, Sanctumque Ignatium ingeminans,ad nostrum rectà tetendit; & in lectum à suis coniectus, mox ex eo sanus descendit. Eius deinde mater, repentino confecta morbo, humi iacebat exanimis, rigentibus membris omnibus, marito exstinctam eam conclamante, vbi rigor ille corporis aliquot horas perseuerarat. Tum puer à Parente nostro sanatus haud ita pridem, matris calamitate permotus,procidit in genua, sublatisque in cælum manibus,hæc verba fidenter, constantique vultu iterabat: Sancte Ignati, ego volo vt matri meæ opem feras;age, Sancte, ego volo: quæ ingeminare diutiùs perseuerauit. Annuit pueri tam ingenuæ precationi Beatus Ignatius,moxque matrem filio reddidit,qui ante matri filium restituerat. Virgo castitatis Deo seruandæ studiosissima ægerrimè ferebat, sibi sponsum hominem destinari, quæ Christum legisset coniugem; quamobrem ipso Natali Beati Parentis Nostri, in eius sacello, post Diuinas epulas, postulabat à Beato, vt sibi morbum impetraret, qui vel tuendæ Castitatis facultatem, vel mortem afferret; quæ ipsomet die morbum contraxit, ex quo breui occubuit. In eius mortuæ mundo reperta sunt flagella multo cruore conspersa, quibus bis terve in hebdomade se acriter exciperet;adhæc gemina vestis cilicina,& earũ vna rigida admodum,quarab adduceret sollemnium saltationum diebus. eomni

Altera parte biennij Vrgeliam missus Gabriel Baijle, vt Humaniores litteras doceret, decubuit in via apud oppidum, & deinde occubuit. Ea fuit eius modestia, religio, & patientia, vt eum oppidani certatim viserent, animaduersaque ipsius omni actione, Sanctum vulgò appellarent, ita omnium rapiebat animos, non ipsius tantum pietatis & sapientiæ plenissima oratio, sed ex eius vultu emicans incensus quidam religionis, & Diuini amoris ardor. Renidenti ore, vt semper erat, & ad modestiam compositissimo, intuentes summopere oblectabat, accendebat autem studio rerum cælestium, quas ipsis oculis spirabat. Morti proximo oblata est Deipara, Cælitum frequentissimo septa comitatu, ac deinde Christus ipse, manibus texens corollam, quibus spectandis incredibiles animo iam prægustaret delicias. Certatum est pia æmulatione Clerum inter atque Religiosos, vtri sepulturæ ipsius & exsequiarum ius obtinerent: sed vicit meritò eius hospes, vir primarius, apud quem decesserat, & Cœnobio Benedictino eum attribuit. Omnis Clerus atque Magistratus perhonorificè ipsius funus duxit, & rapuit sibi de ipsius vestibus quilibet, quod potuit. Rogati ab nostro Sacerdote num eorum bona venia nos eius ossa inde auferremus: negarunt præcisè cuiquam se condonaturos tam sacrum depositum, quando id sibi Deus commisisset.

A
cen
plor

VRGELI

VRGELITANVM, ET ILERDENSE *Collegium.*

VRgeliæ Concionatoris noſtri dictione permoti plus quàm viginti homines, grauium iniuriarum ſuarum condonationem voluntariam publicis tabulis conſignatam eſſe voluerunt, vt ſe perſequendarum omni iure in poſterum exſortes eſſe teſtarentur, qui voluntatem nunc abieciſſent. Eodem inter dicendum vehemẽtiùs efferueſcente, ſublato in manus patientis Chriſti ſimulacro, mulier, quæ triginta annos Eccleſiaſtico viro turpiter cõſueuiſſet, fuſis lacrymis, ductiſque ab intimo pectore ſuſpiriis, à Deo culparum, & à populo veniam præbitæ offenſionis poſtulare cœpit. Eius facto tãtus in concione animorũ motus erupit, vt vniuerſus populus exclamaret, ſe quoque grauium eſſe flagitiorum reum, & alius iniuriarum gratiam hoſtibus faceret, alius admiſſorum poſceret veniam. Defecta porrò viribus mulier, humi decidit, velut exanimis, nec ſe patiebatur erigi, quia diceret, ſe Dei nunc factam, quæ fuiſſet Diaboli, Deo humi operam nauare debere: cibum verò non admiſit, donec poſtera die legitimè eſſet expiata. Sacerdos autem eius feminæ concubinarius, ſub veſperam aduocatis publicè reliquis Sacerdotibus & Magiſtratu, pronolutus in genua, Numini factus ſupplex, anteactæ vitæ pacem precatus eſt, & ab adſtantibus offenſionum gratiam; ac deinde omni

præterita turpitudine Sacerdoti se præbuit expiandum. Diem suum Ilerdæ obiit Pater Ioannes Oliua, anno quinquagesimo primo ætatis, & duodecimo ex quo venit in Societatem, Spiritalis Coadiutor strenuus, qui octauo ante die obitum suum prænunciarat, cùm bene valeret. Anno decimo quarto huius sæculi Sociis Ilerdensibus datus est aditus in nouas ædes, quò Eucharistiã sollemni ritu intulit ipse Antistes, Magistratibus, & ciuiũ Ordinibus vniuersis pompam cohonestantibus. Eodem anno Pater Cosmus Maïquez, Collegij Rector, ingenij ac virtutis præstans laudibus, exstinctus est quinque dierum pleuritide. Mirificè consensit in omnibus eius voluntas cum Diuina voluntate, ac sub obitum maximè. Nam audito pulsu campanæ, qua Patres vocabantur ad Sacram eius vnctionem, sublatis in cælum manibus exclamauit, Te Deum laudamus.

BALEARICVM, ET PERPINIANENSE Collegia.

IN Balearium maiore oppidum est Petra, quod in duas ruptum factiones ad exitium properabat, duobus oppidanis iam occisis, aliis non paucis malè multatis, pluribus fugitiuis, aliis in vincula coniectis. Pridie quàm eò venirent nostri alterũ seditionis caput in templi asylum se receperat, vbi iam versabantur contrariæ factionis duo, vt iis, quod timebant vulgo, concurrentibus, redundatura huma

ra humano cruore sacra ædes putaretur. Noster Sacerdos in eadem æde concionatus nihil omisit & publicè & priuatim, quod valere videretur, ad conciliandam eorum gratiam, sed irrita opera. Igitur postridie inter concionem, in ipso dicendi ardore geminam caluariam humanam profert in medium, & quasi essent duo factiosorum capita, eleganti idolopœia suum statum deflentia, lugubriter induxit, quantum malorum apud Inferos ex simultatibus excepissent, quàm seuerus inibi Deus odiorum vltor esset. Quo spectaculo & lamento ingens animorum commotio in auditoribus facta est, quã vt vehementiùs incitaret, Christi de cruce pendentis signum eduxit, atque factionum principes publicè appellãs, quàm humanissimè potest per Christum cruci affixum obtestatur, vt in concordiam se patiantur adduci; qua tandem oratione molliti nuper immiti pectore homines concedunt in mutuos amplexus, & horum exemplum mox cæteræ factionum manus reconciliatis animis ad osculũ certatim decurrerunt. Illa verò ipsa die omnes ad nostri Sacerdotis genua prouoluti salutari Cõfessione sunt expiati, postridiéque sacro pasti epulo, inter quam dapem, Christianæ amicitiæ notam, & pacis effectricem, noster monuit sedulò vniuersos beneuolentiæ perpetuò fouendę. Eos oppidi Rector omnes conuiuio accepit eodem die, vbi mutuò & officiosè alij aliis ministrabant, eamdemque mensæ communionem in suis posteà domibus sæpius vsurparunt. Post eiusmodi argumenta reconciliatæ penitus gratiæ, noster Sacerdos vniuer-

sos

sos secum duxit ad Proregem, cuius auctoritate pacificationis ratio publicè in tabulas est relata, renouatis apud ipsum instauratę beneuolentię omnibus argumentis, secundùm quæ Prorex omnium, quæ in leges ac Principem commisissent, gratiam fecit humanissimè.

Posteriore anno in Balearibus obiit Dominicus Iriarte, Formatus Adiutor, Nauarræus, anno ætatis sexagesimo quarto, Societatis adeptæ vndetricesimo. Humilitatem, paupertatem, obedientiam coluit ex animo vsque ad extremum diem, silentij tenacissimus, vbi res sermonem non exigeret, domandi corporis studiosissimus, cuius indices erât inflicta humeris quotidie verbera. Magno cultu Deiparam prosecutus, castitatis, & religionis erga res Diuinas egregiam laudem, ab ea promeruit. Tunetanus Maurus captus ab nostris, ex Insulariũ conuictu cœpit erga res Christianas affici, ac tanto magis cùm reuersus in patriam suorũ gentiliũ barbaros mores cum Christianorũ humanitate ac probitate conferret. Igitur hoc anno vectus prædatorio nauigio cum viginti quattuor sociis ad Baleariçum littus, se deiicit in continentem, inque propinquam turrim confugit, suumque animum aperuit, vnde ad nos adductus, iam Fidei rudimenta capessit ardentissimo Baptismi studio. Vitæ sanctitate præstans femina, noctes solidas orationibus transigebat, in magna copia deliciarum cælestium, magna Cacodæmonis inuidia, qui eam hoc nomine grauissimè diuexaret. Oblatam igitur ab Sacerdote nostro imaginem Beati Patris Ignatij, cùm

fiduciæ

fiduciæ plena ad cellæ suæ parietem affixisset, omni molestia Dæmonis se sensit continuò liberam. Post annum verò, imagine refixa ad purgandum cubiculum, passa iterum est vexationes à Diabolo acerbissimas, donec requisitam cum cura imaginem parieti denuo alligasset.

TARRACONENSE TIROCINIVM.

EXCVRRERE in duo oppida totidem Sacerdotes ex Tirocinio, quorum ex opera insignia emolumenta in oppidanos redierunt, vt instaurata morum probitate, ac in res Diuinas religione exaggerata vehementer, alia facies oppidorum cerneretur. Tironum vnus vrgentibus propinquis nobis ereptus, & in carcerem coniectus, vt ea vexatio excuteret Religiosæ vitæ studium, quod & simulauit se abiecisse, vt imponeret cognatis, à quibus domum suam abductus, ac deinde missus in Academiam ad Iuris Ciuilis studia, mox vt sui cõpos factus est, ad nos reuolauit, iamque perseuerat singulari omnium approbatione & animi sui voluptate. Missi duo Patrum ad longinqua oppida, quò nondum Societas peruaserat, vbi primùm respondere oppidani eorum se opera nihil egere; mox verò consilij factique sui pœnitentes ad se vltro ad miserunt. Omnes omnino ad Concionẽ Confessionémque accurrebant, etiã ipso ex aratro agricolæ, qui ante lucem ad templi fores nostris præstolarentur. Quasi ergo discussis tenebris lucem obortam

auidè

auidè adspexerunt, cognita fœditate sui peccati, altè concepto Dei timore, odioque temerarij iurisiurandi, exsecrationum, detractionis quibus assueuerant. Quidam post obitam Confessionem, & sumtam Eucharistiam, dubitare cœpit an ritè fuisset expiatus, adhibuitque sibi Beatam Virginem, vt eius ope doceretur, si quid omisisset; cui per somnum indicata sunt ei certa quædam peccata, quæ iubebatur recolere apud Sacerdotem. Rediit ergo ad nos, ac multo cum fletu iterum confessus, animo deinceps acquieuit, egregiè memor accepti à Magna Matre beneficij.

PRO

PROVINCIA BÆTICA.

VNDEVICINTI domicilia, & Sociorum capita quingenta septuaginta septem anno priore numerauimus, ex iisque Sociis Sacerdotes centum nonaginta octo; Discipulos nonaginta; ducentos octoginta duos Coadiutores; Nouitios quattuor & septuaginta: anno autem posteriore Socios quingentos octoginta sex, Sacerdotes centum nonaginta sex: Discipulos centum quadraginta septem; Adiutores ducentos quadraginta vnum. Nec admissorum nec mortuorum certus numerus perscribitur.

HISPALENSIS PROFESSA Domus.

ANNO priore decessit Pater Aloïsius Alcazar, Hispalensis, septuagenarius, Votorum quattuor Professus, eximium huius Prouinciæ lumen, ac Societatis vniuersæ decus, quem multæ ac exquisitæ

quisitæ ornabant litteræ, sed quarum esset in eo illud ornamentum longè splẽdidissimum, quòd rem litterariam animi demissione sic obruebat, quasi eam non attigisse planè videretur; qua quoque arte vsus est cætero omni opprimendo decore, quo maximè clarescceret. Abstrusæ eruditionis, & incomparabilis industriæ monumentum illud in Apocalypsin Ioannis, fuit eius multorum annorum fructuosissimus labor, & luculentissimum pretium operæ, cuius pauciſſima vidit mandata typis folia, de quibus verò excepta est moribundi vox illa memorabilis: Gaudeo, inquit priùs me animam, quàm illum meum codicem edere. Absolutam reliquit secundam huius operis partem, quam inscripsit Apocalyptica, quòd loca Scripturæ Sactæ contineat, quæ Apocalypseos obscuritati pleniorem lucem afferat. Integrum scilicet Canticorum Canticum, Psalmos complures, multaque alia Bibliorum capita complectitur hic commentarius, cui edendo diligens datur opera. Sed non ita hæc magna summi viri facinora, quàm maxima in eo homine sui despicientia. Erat certè popularis auræ ac humani plausus auidissimè, ac interdum perquàm facetè contemnens, despiciens ac illudens in quauis mole, vbi Diuinùs honos appetebatur. De bonis, quæ nobis peperit Christus, alto quodam animi sensu frequens loquebatur, in quo, aut simili quòpiam sermone, non sibi à lacrymis temperaret. Profecuta est hæc ciuitas eius mortem eximio doloris sensu; ad funus hominis Religiosi conuenerunt sua sponte variarũ Familiarum plerique, multi

etiam

etiam de Clero, & maximo templo nominatim, & honoratiores quidem, alij aliis per interualla succedentes efferendo humeris cadauere. Expeditiones menstruæ susceptæ ad aliquot oppida, vbi opera ingens, sed optimè collocata, cùm admotis vehementissimè ad auditorum animos dicendi facibus, continuò à concione certatim se abiicerent ad Sacerdotum nostrorum pedes Confessionis gratia; & ij quidem homines, ac iis de rebus, quibus explicandis fructuosissimè quiuis labor adhiberetur. Inuitantibus ad se oppidanorum primariis quàm humanissimè officiosissimeque, diuerterunt tamen nostri ad Xenodochium, quò inferebantur esculenta & poculenta copiosissimè, vnde nostri & ægrotis & vinctis bene facerent, & quidem abundantissimè.

Altero anno variis excursionibus ampliùs triginta oppida, & pleraque montana, lustrauimus incredibili oppidanorum bono. Sæpe contigit desertos montes obeuntibus nobis, vt diem vnum dimidiatumque aquæ nihil libaremus, tantum abest, vt cibo refici possemus: erat autem in summis deliciis panis ater ex alliato, si quando eius fieret copia. In pagos & oppida egentissimæ plebis cum ventũ esset, dilabebantur alij aliò, ne si nos acciperent, cibum sufficere aduenis cogerentur; posteà verò quàm audierant nos vtcumque viatico instructos, non futuros eis graues impensarum nomine; tum vndique concurrere in templa, & occasione sua bene vti. Fuêre non pauci, quos vel noxarum vrgeret pondus, vel metus ne multitudine prohiberentur

à Confessario, ideoque palam omnibus sua peccata vulgarent, vt ea necessitate adigeremur ad absolutionem eis impertiẽdam. Neque potuêre ab hoc instituto abduci, etiam grauium virorum suasionibus, quòd assererent, malle se apud mortales existimationis iacturam facere, quàm ea tuenda non expiari suis flagitiis, & æternis ignibus addici. Qui superiore anno in Fortunatas Insulas excurrerunt, dum Superiorum iussu reditum parant, ab Insularibus præ amore sunt ita reuersione interdicti, vt flagella in baiulos, si eorum vestes; ducẽtos aureos in quemlibet nauclerũ, si nostros exportassent, Prętor edicto sanciret; itaque iis intercluſis manendi Prouincialis fecit potestatem. Quare Lanzarotem, & Fortem-venturam, quæ solæ de septem Insulis supererant, lustrare sunt aggressi. Hæ duæ sunt Fortunaturum littori Africano propinquissimæ, vt duodecim non plùs horis transfretetur: sunt tamen egentissimæ, vt quæ pluuia vix vmquam imbuantur. Vna sola planities est arenosa, quæ, si opportunus affluxerit imber, quinquagesimum, ac centesimum etiam referat suis aratoribus. Extra tritici, hordei, cæterique frumenti culmos, in Lanzarote vix aliam stirpem, aut arbusculæ stipitem deprehendas. Quadraginta ampliùs passuum millia in longum porrigitur, in latum decem millia, & eò magis, vbi ficum vnam dumtaxat, puteo pæne immersam, obseruare licuit. Fortis-ventura Fortunatarum maxima, longa est octoginta millibus, lata viginti, & eò amplius, pauculis hortis consita, aquis plurimùm salsis vtitur, alendis gregibus maxime

ximè idonea. Incolæ sunt indigenæ partim, partim Africani aduenæ; Christiani omnes; indigenis fermè omnibus intercedit sanguinis cognatio eiusmodi, quæ matrimonia prohibeat, nisi Ecclesiæ soluantur legibus, aut Afris Neophytis copulentur, quod genus affinitatis exhorrent. Destituti sunt pæne omni procuratione, vt vix quarto quoque anno concionatorem audiant, & vnico quidem in templo tota ea Insula, quod olim Beatus Diego suis propemodum manibus integrum exædificauit; quo ex templo exspirare videtur adhuc nescio quid cælestis suauitatis, cuius illecebra in ea gente sensus pietatis fouetur. Qui ab templo absunt, manipulatim incolunt montes valleſque in summa rerum omnium inopia, vt vix decenti amictu tegantur, cuius penuriæ verecundia templo & Sacris plerumque abstinent, alij verò viæ longitudine, quæ viginti millium est in plerisque locis. Hanc siluam tam horridam aggressuri duo de nostris, duobus aliis in Canaria versantibus, dum Fortem-venturam occupare tentant, ea nebulis excipitur, perque imprudentiam nautarum ad Lanzerotæ littus appelluntur. Ibi dum onerariæ duæ se parant ad nauigandum, omnes Epibatæ expiantur: inde, tota lustrata Insula, in Fortem-venturam traiiciunt, eamque vniuersam percurrunt. In multa ignorantia Christiani officij, & tanta destitutione subsidiorum, facilè sit coniicere quàm locuples materia exercendæ industriæ nobis sit oblata, insularibus certè rem suam nauiter gerentibus, vt ne breui discessuris nostris excluderentur Sacro-

rum opportunitate; quibus deinde abeuntibus omnium indigenarum fletus sunt consecuti. Inde traiecere in Canariam, vbi Natalem Beati Patris Nostri celebrarunt incolæ apparatu ac frequentia Confessionũ, quanta in maximis Hispaniæ vrbibus posset exspectari. Ad hunc modum perlustrandis septem Fortunatis Insulis, res indigenarum ea felicitate procurata est, vt vulgo dictitarent, suas Insulas eo nomine verè dici posse Fortunatas. Pater Stephanus De Hogeda per illud tempus è viuis excessit in Professa Domo Hispalensi, cui vita obtigerat in Societate annorum duorum & quadraginta, septuagesimum & sextum nato cùm mortuus est inter Professos Votorum quattuor. Cùm adiit Societatem, eo nomine in Salmanticensi Academia erat, vt ad summos magistratus apertum iam sibi videret aditum; cuius auctoritatem & exemplũ secuti plerique Academicorũ, in nostram militiam se adscribendos dedere. Professus annos aliquot Theologiam, mox deinde ad regendum adhibitus, reliqua fere vita in eo munere summa cum laude versatus, eximiæ prudentiæ fama concitauit viros quosque principes in grauissimis negotiis ad suum consilium exquirendum. Vt tutandæ Societatis fuit perpetuò studiosissimus, ita eam defendit strenuissimè sua gratia, auctoritate, consilioque in rebus sæpenumero grauissimis. Comitate, summissione, religione in Deum, Instituti sui obseruantia, orationis studio, asperitate victus, vestisque in paucis excelluit, vt meritò visus sit apud externos etiam clarere opinione sanctimoniæ.

HIS

HISPALENSE COLLEGIVM, Probationis Domus, & Anglicanum Seminarium.

SCHOLARVM noſtrarum Diſcipulus, Hiſpalenſis ciuis, Comitiali morbo laborabat infeſtiſſimè, cui Pater vnus de noſtris cùm aſſeueraret habere ſe potentiſſimũ ei malo pellendo amuletum, & eueſtigiò promeret æreum ſigillum, effigie Parentis noſtri cælatum, & acceptum puer religiosè oſcularetur, repentè illo moleſtiſſimo affectu exſolutus eſt, iamque decem menſes eo immunis perſeuerat. Idem puer Quartana pridem peſſimè habitus, eidem Sacerdoti aliquando occurrit, poſtulatque ecquod haberet aduersùs febrim præſidium. Quidni poteſt, inquit Pater, qui te abſoluit Comitiali moleſtia, febrim quoque abigere, ſi quidẽ tu eadem Fide vales, qua tum valuiſti? Excitauit in ſe Fidem puer vt potuit, & preces adhibuit Paréti Noſtro, moxq; iuſſa Quartana exceſſit. Eius pueri amita, quinquaginta iam annos Comitiali vexata, vbi de puero ſanato inaudiit, miſit ad eùmdem Sacerdotem, qui exprimeret iconem, ſalutifera impreſſam effigie; quam miſit Pater, ſed, iuſſa muliere, rem Diuinam præmittere, tum malè affecto cordi admouere ſigillum; quo appreſſo mox fugatus eſt vetuſtiſſimi morbi contumax affectus, iamque quattuor menſes intactam relinquit mulierem.

Altera parte biennij vita functi duo; alter Scholaris, Gaspar de Velasco, cùm ætatis annum vigesimum, Societatis quintum, Philosophiæ secundum perageret: alter Bartolomæus Gonzales, temporalis Adiutor Formatus, ætatis anno tricesimo quinto, Societatis decimo sexto, ambo Granatenses, disciplinæ Religiosæ studiosi ambo. Tirones admissi ad Probationem quadraginta duo. Ex Seminario duo Sacerdotes missi ad populares Anglos, in Fidei negotio studiosè iuuandos: duo item ex eis alumnis in Benedictinam Familiam commigrarunt. Ex Anglia porro tribus his annis Hispalim venere alumni omnino sex & triginta, quibus tredecim eôdem rediere ad Fidem propagandam: sed hoc postremo anno accepimus inde tredecim, septem eò dimisimus, qui operæ hic positę pretium apud suos facerent. Habitæ sunt ab alumnis ad Britannos Hæreticos & Catholicos Aduentu & Quadragesima conciones, & plerique reuocati sunt ab Hæresi ad Catholicam fidem.

CORDVBENSE, ET GRANATENSE *Collegia.*

PRODIERE duo Sacerdotes ad menstruam operam in celebri oppido ponendam, vbi alias institueramus Sodalitium ex oppidanis, cuius ea sunt incrementa iam & frequentiæ & pietatis, vt vno die Sacram Mensam adierint plus trecenteni Sodales. Anno secundo migrauit è vita Pater Fernandus Rodriguez, Votorum quatuor Professus,

Lusita

Lusitanus, clarus quidem cæteris virtutibus, sed paupertate, meditandique vsu valdè conspicuus. Egerat multis annis concionatorem magno audientium fructu, quos quotidianis etiam sermonibus pietate singulari conditis ita in Deum afficiebat, & sibi demerebatur, vt eum amarent, & venerarentur maximopere. Ad egentium excipiédas Confessiones ferebatur ingenti ardore, in quibus Christum suspiceret veriùs ac suauiùs. Hic denique vir omnino magnus eximiam multarum virtutum decuriam purissimo flore virginitatis ad mortem vsque coronauit, quam vitæ apprimè similem excepit valdè alacriter.

Granatæ valet ac viget quàm maximè ciuium pietas in Beatum Ignatium, quam prodigia frequẽtia exaggerant non parum. Quemdam iliacus dolor vexabat acerbissimè, qui sibi visus est videre ac audire Beatum ita loquentem: Ades animo, nam tuo in me studio hunc à te dolorem statim abire Deo placitum est. Verba continuò sequitur sanitatis fides, quæ suspicionem somnij amoueret. Multa sanguinis copia coëuntis ad fauces pueri vitam ita dubiam fecerat, vt desperarent medici: sed appensa collo ægroti Lipsana Beati Patris causam morbi morbumque ipsum momento discussêre. Alius aciem oculorum tantumnon amiserat, orat confidenter Beatum, quasi vnus de Familia, quòd Scholarum nostrarum esset alumnus, continuoque vim luminum integram recepit. In huius regni quadam vrbe viri primarij degebant procul ab vxoribus, inductis earum loco concubinis, & manabat res exẽ-

plo virorum dignitate præcellentium, nemoque serpenti malo medebatur, tametsi grauissima erat omnium offensio. Noster concionator fœdum illud vlcus tam acriter agitandum sibi sumsit, dum fœtore permotus excitaretur aliquis, qui penitùs exscinderet. Egit itaque toties, tam vehementer, tam multis locis aduersùs eã gangrenam, vt ad supremum Consilium Regium deueniret fama, vnde mox missa est syngrapha ad Prætorem, vti concubinas exterminaret, quibus confestim exactis, gratulatum est publicè primatimque Sacerdoti nostro, cuius acri expostulatione illa pestis esset excisa. Excursum in summota viginti oppidula, quæ Iesuitas numquam viderant, rarò alios animorum procuratores, vbi operæ plurimum fuit in summa indigenarum ignorãtia, & peccandi consuetudine, sed acuebat animos nostris, viresque sufficiebat in rudi admodum plebe summum proficiendi studiũ, vbi admonita fuerat, quæ suarum essent partium, & procul quotidie accurrebant nũcij ex aliis oppidis longinquioribus, qui ad suos inuitarent, ad quos cùm iter intenderetur, prodibant certatim obuiam primarij quique oppidanorum, suam nobis & sibi gratulantes faustitatem. Quodam in oppido passim iacebant, & exstinguebantur populari morbo, copia fœtidi sanguinis obstruente fauces & strangulante; quod in oppidum vt pedem nostri miserunt, nemo eorum qui iacerent periit, nemo eum affectum contraxit, vt mox tota regione vulgaretur, nos omnibus morbis facere medicinam, & reuera fecere sigilla Beati Patris, cæteraque huiusmodi.

MON

MONTELLANVM, ET BAEZANVM Collegia.

EXCESSIT è viuis Pater Alphonsus De Siuanez, Latinæ linguæ Professor eximius, cuius singularis ea fuit virtus, vt cum ad superiores Disciplinas esset non parum idoneus, in quibus præclarum dederat sui specimen, cum & in alio genere posset plurimum, maluit multorum magno emolumento ei se totum dedere. Virtutis autem reliquæ vt erat studiosissimus, docendo instillabat suis Discipulis per litterarum suaues illecebras solida documenta omnis religionis. Quo in studio dũ prouehitur ardentiùs, cupiditate communicandæ suis auditoribus doctrinæ accuratioris, præmaturũ sibi obitum accersiuit. Inuocati vocatique perreximus Montella in propinquos summotosque pagos & oppida, mirabili mutatione morum Conciones & Catecheses consequente, alicubi verò institutam rectè viuendi disciplinam Magistratus pœna sanciuit, vt qui nostris legibus mores non direxerit, plectatur, vt assuetudine rectè agendi virtus condiscatur. Secundo anno decessit Franciscus Ferrer, sexagenarius, rei domesticæ Procurator egregius, cui muneri præfuit annos plus triginta, singulari sollicitudine, ac magno virtutis exemplo. Coluit studiosissimè tranquillam in aduersis patiẽtiam, ac in diuturnis præsertim, molestisque morborum vexationibus: Feminarum allocutionem sic perpetuò vitauit, vt neminem admitteret, ac si quid

opus esset dicto, per interpretem id curaret.

Baëzanis Sociis sua vetus manet apud ciues, & vrbis accolas existimatio reuerentiaque, vt nihil operosi negotij cuiquam vel consultandum vel decidendum sumatur, cuius consultatio & arbitrium apud nos & per nos non transigatur. Nostra etiam opera multum est vsus Cardinalis Archiepiscopus Toletanus, suæ diœceseos obeundis oppidis & pagis, & diuidendis in egenos copiosis pecuniis, quarum excursionum vt laboriosissima fuit ratio, ita laboris seges amplissima lætissimaque. Descendenti ex concione Sacerdoti nostro processit obuiam mulier, & enixè rogare institit, vt se mox audiret confitentẽ. Narrabat autem cum multo fletu gemituque se pridem somniare solere, sibi demersæ in luto vnum de nostris funem porrigere, quo apprehenso ipsa emergat, sed multa conanti nihil succedere, quin altiùs mergi: se autem sæpe miratã, ac sæpissimè quid sibi vellet somnium illud, capere nó potuisse, donec concionem Patris audierit. Nunc autem intelligere versatam se annos decem in luto inquinatissimæ cõsuetudinis, vnde sit eam eductus Pater. Aggressura deinde Confessionem, mox oppressa est velut torrente quodam lacrymarum, vt reiicienda fuerit in pomeridianum tempus, quo procurata est quã opportunissimè. Degebant nostri die quodã in egentissimo oppidulo, vbi post multũ laboris nihil eis cibi aderat, quo reficerentur: sed eodem tempore Diuina Prouidentia rem eorum sedulò procurabat. Nam in vicino pago vir probus & opulentus occulto instinctu sentiebat se vehementer

menter impelli vt nostris Patribus ferret esculenta, quam motionem vt assiduam esse aduertit, cuestigiò paruit, copiosamque annonam attulit Dei militibus, labore ac inedia exhaustis.

MARCENENSE, ET MALA-censé Collegia.

BEati Parentis Natalibus edita domi singulari arte simulacra, quibus illius res gestæ symbolico emblemate proponerentur cogitandæ spectatoribus, magna ipsorum vel voluptate animi, vel vtilitate. Marcenæ contrà laboratum seriò, vt quædam abolerentur, prauo inducta vsu, quorum esset publicè ac priuatim exemplum pernicioſum in primis. Sodalitium Sancti Spiritus vt numero frequentissimum, quadringentos enim & septuaginta Sodales excedit, ita rebus præclarè gerendis clarissimum, ciuitatique fructuosissimum esse perseuerat: nam quot eius Collegij capita, tot morum Censores in plebe sunt, vt nemini liceat iis conscíis dicto aut facto delinquere, quin ex tempore Censoria nota, sed perquàm suaui & amica multetur.

Malacæ quattuor Hæretici, quorum duo annos triginta, duo non minùs quattuordecim, suos errores in animo fouerant, ab Sacerdote nostro Anglo ad Catholicos traducti sunt. Nonnulli etiam ab impietate Mahumetana transiere ad Christianos. Altero anno Pater Guillelmus Ionsonius, Anglus,

Vota

Vota quattuor professus, decessit, vir omni virtute, ac religione in primis clarus, cuius caritas non ad Anglos solùm, ac alienigenas, quos ex professo tractabat, sed ad indigenas etiam porrigebatur. Tredecim ipsos annos id munus obierat, magno cum nostrorum, tum externorum exemplo; quibus amori pariter & admirationi erat, & eius cum Deo familiaritas, cui magnam diei partem tribuebat, in tractandis hominibus, faciendisque percursionibus industria. Viget eius memoria non in animis solùm Malacensium, quos arctè sibi deuinxerat, nec in Anglorum, quorum plurimos attraxerat ad fidem, sed in multis etiam congregationibus, quas variis in oppidis coëgit. Impetratum à nostris vt Indos viginti quinque, bello captos, Angli libertate donarent, nostrisque in Fide instituendos relinquerent.

GADITANVM, ET XERIENSE, ac Triguerense Collegia.

GADIBVS summa est habita ratio aduenarũ, commeatus aut commercij causa in portum perpetuò appellentium, vt eorum animis bene fieret, quæ nostra sedulitas felicem vsque eò exitum habuit, vt Hæreticis quoque nonnullis studiũ cultusque Catholicę Fidei sit persuasus. Vtroque autẽ anno susceptis in vicina & lõginqua oppida expeditionibus, nostrę operę copiosis onustæ manipulis reuerterunt. Nostra in æde Xerienſi colitur religiosissimè

ſiſſimè ab indigenis Beata Virgo, quam de Papulo vocant, cuius ſuæ religionis opimam plerumque referunt mercedem. Mulieris mammas teter exedebat cancer, quæ, à medicorum auxiliis prorſus deſtituta, confugit ad Beatæ Virginis præſidium: cuius lampadis oleo vnctam aciculam cancro ter ſignum crucis exprimens admouet, ſtatimque illius Fidei reſpondet euentus; nam ſeſe habere bene cœpit, paulliſperque omnino nullo morbi veſtigio manente ſanata eſt. Puella in ſcalas delapſa caput atrociter labefactauerat, quæ à medicis & chirurgis pro mortua derelinquebatur; accurritur ad eamdem Virginem; cùm igitur nocte caput ſic malè habens medico oleo inungeretur, apparuit puella ſequenti die, rei peritis ſtupore maximo attonitis, reddita omnino ſanitati. Haud aliter accidit famulo aſſiduis febribus laboranti, & præ imbecillitate rationis experti, qui hoc ipſo oleo perunctus conualuit.

Anno ſequente Hiſpanienſis Claſſis in reditu ex India non procul Gadibus adiit præſentiſſimum naufragij diſcrimen, vt iam naucleri ſalutem deſperarent, quos noſter Sacerdos ad Beati Ignatij opem implorandam adhortatus, protulit eius imaginem, quæ malo affigeretur. Mox circum eam omnes in genua prouoluti voto ſe adſtringunt nudis pedibus adituros ad illius aram, ſi ſe naufragio eximeret; quo concepto deferueſcere primùm fluctus, mox ſedari, & deinde amœniſſima redire tranquillitas. Xerienſis noſtra Virgo fecit & hoc anno variis ægrotis medicinam ex eius lampade Sacro

perun

perunctis oleo. Apud Triguerienſes Socios Beatus Parens Noſter ſuam opem expoſcentibus non paucis à Febrium vexatione quietem impertiuit.

ASTIGIENSE, CAZORLANVM, ET Vvedenſe Collegia.

EX Cazorlanis Sociis Pater Paullus De Villa alta feliciter curſum vitę, anno triceſimo quarto ætatis, abſoluit, Vota quattuor Profeſſus, vir quidem propter indolis bonitatem, quam admodum vtiliter ad Societatis referebat functiones, omnibus amabilis. Quemdam collectum multis annis ſcelerum pondus grauiſſimè premebat, dum exonerare cupit, moleſta eum deſperationis incurſat cogitatio. Implorat ille Dei Matrem, interim grato ſopore corripitur, videre ſibi viſus eſt Angelum, qui ad bene ſperandum hortaretur, & vt adiret ad noſtrum Collegium, erat autem aduena, vbi apud Miniſtrum Collegij ſarcinam deponeret. Tũ expergiſcitur cum pauore, ſine mora venit ad nos, Miniſtrum offendit, eiq́ue magna ſua voluptate patefacit omnem conſcientiam. Vvedenſes noſtri vicina oppida obierunt cum ſingulari eorum fructu, ſed præcipua excurſio complexa eſt Obulcum, vetus oppidum, & bene frequens, cuius operæ maxima pars ad eius oppidi vniuerſum Clerum pertinuit, cuius bene multi generali Confeſſione luſtrati ſunt. Quòd noſſent in ſe non pauca nec leuia reprehendi, cupierunt eorum mentionem non

non inferri publicè, sed de iis haberi ad se simul coactos priuatas allocutiones; quæ ratio nostris visa est æquissima, quam & amplexi sunt magno Clericorum gaudio, & ipsorum ingenti emolumento. Altero deinde anno Cazorlensis Familiæ Sacerdos Illiturgim adiit exercendarum functionũ nostrarum gratia, vbi tantò fructuosior nauata est opera, quòd Illiturgenses pridem sunt nostræ Societatis adsciscendæ studiosissimi.

FREGENALENSE, GVADIGENSE, Antiquariense, Accitanumque Collegia.

FREGENALIM venerat flagitij perpetrãdi vir Nobilis ab sexagesimo inde millario, cùm vidit adeuntem ad se puellam, mira venustate & modestia insignem, quæ ipsum seuerè increpans, tristi vultu hæc diceret; Tune istud sceleris, cùm, in foro tibi cognito, Patrem N. vnum de nostris appellabat, exhortantem audieris, audeas committere? Perterritus homo, & grauiter dolens conceptum à se facinus, cum magna celeritate ad nos venit imminente iam nocte, Sacerdotem eumdem accersit, euentum aperiens ab eo summissè ac enixè petit, vt statim totius anteactæ vitæ Confessionem suam audiat; res in crastinum differtur, vt opportuniùs curaretur, confessus est, ac deinceps homo in noua vitæ institutione, haud vulgari exemplo, perseuerat. Oppidi cuiusdam princeps femina, Gubernatoris vxor, Societatis haudquaquam amans,

amans, incredibiles partus dolores triduo iam ferebat, cùm votum Sancto Francisco nuncupatum sui fetus eidem deuouendi per angustias instauraſſet, nihilque promoueret, Beati tandem Parentis Ignatij effigiem à nobis petitam sibi applicans puerum incolumem edidit. Parens omnésque propinqui euentum admirati, Beatum Ignatium votiuis donis ornandum, eiusque nomine appellandum infantem decernunt. Antiquarienses Socij duos Agarenos, domi studiosè institutos, Christianis documentis Ecclesiæ lustrandos Baptismo tradiderunt. Sequenti anno Mahumetanæ sectæ terna capita iidem Socij Christo adiunxerunt. Apud Accitanos Sacerdotem eò impulit inopia & auaritia, vt se totum Dæmoni mancipandum offerret, si eius opera ducentos aureos acciperet. Dæmon ad hæc, cùm primùm Sacerdos per schedam sibi erit deuotus pecuniam numeraturum respondet. Stat fœderi Sacerdos, Dæmon verò accepta schedula, nec pecuniam soluit, nec ei visus est ampliùs. Ad hunc Sacerdotem, triennium iam Dæmoni adstrictum, accedit ignara Latinæ linguæ pia femina, eique ré vti gesta erat explanans Latinis verbis, suadet, vt ab eo statu receptum sibi quærat. Rei nouitate perculsus in nostrum se Collegium statim recepit, vbi, re tota vni ex Sociis patefacta, per totius anteactæ vitæ Confessionem animum expiauit.

MIS

MISSIO IN FORTVNATAS Insulas.

SACERDOTES tres de Societate, assumto Fratre vno Adiutore, in Fortunatas Insulas designatum ipsarum Episcopum, eius rogatu, sunt consecuti, qui anno huius sæculi decimo tertio ab Hispali soluentes, Aprili mense, die septimo in Canariam, Insularum maximam, ad eiusque Insulæ vrbem principem Palmariã, à palmarum frequentia dictam, appulsi sunt. Numerantur Insulæ septem, Magna Canaria, Ferraria, Fortisventura, Gomera, Teneriffe, Palma, Lanzarotte, quarum situs is occurrit ex Hispania venientibus, vt prima omnium sit, quam postremam nominauimus, & vltima quam primã: cæteræ aut mediæ sint intes has duas, aut ad dextrum latus. Prouinciam lustrandarum Insularum ita sunt partiti Patres, vt qui cæteris præesset, in Canaria subsisteret cũ Adiutore Fratre, reliqui duo sex alias insulas, aliam ex alia, obeundas susciperent. Ratio excolendæ Canariæ fuit, vt matutinæ vespertinæque conciones aut continuarentur, aut essent admodum frequentes, nec omitterentur pueriles Catecheses; certæ diei horæ tribuebantur grauium difficultatum explicandis nodis, cuiusmodi multa incidebant in vrbe principibus de Clero, Nobilitate, ac Foro, frequentissima: instituta recens Mariana Sodalitas, præceptis imbuebatur, quique in eam allegendi essent, comparabantur idoneis ad eius normam institutis: ea

verò cùm paucis diebus centum & quinquaginta facta esset capitum, in quibus censeretur ipse summus Insularis Prouinciæ Prætor, omniumque Ordinum primarij plerique viri, non poterat ea procuratio nō valdè occupatum habere Patrem. Principibus huiusmodi hominibus, quorum ex recta disciplina penderet publicæ rei status, affirmandæ solidiùs ipsorum religioni erga Deum, informandisque sanctiùs moribus, commentationes Diuinarum rerum tradere aggressus Pater, quòd res bellè procederet, eo contentiùs, & assiduitate maiore negotium vrgebat, cuius fructus vberiùs posteà in multos funderentur. Muneribus porrò quæ multa & ampla mitterentur penitùs abstinuit noster, vt nec esculenti nec poculenti quidpiam vmquam admitteret. Lautius quiddam vir præpotens cùm aliquando misisset, vitandæ offensionis gratia noluit remittere; sed nunciari iussit, vt eius bona venia, opsonium delicatius ferretur ad Nosodochiū, quod libenter ille annuit, abstinentiam nostri demiratus, quam deinde tota vrbe, multo cum præconio, euulgauit. Narrabant interea Patri Canarienses quamplurimi, se pridem ardentibus precibus, ieiunio, lacrymis, clementiam Numinis obtestatos, summitteret aliquem facturum pessimè affectis animis suis medicinam, quo cum trāquilla mente ac fidenter intima pectoris communicarent: fuere autem, qui sexaginta ipsos annos continentes, alij quinquaginta, triginta, viginti in eiusmodi votis transegerint; quorum facti compotes, incredibili lætitia Deo, Patribus, ac ipsis sibi gratulabantur.

labantur. Optimatum nonnullus admirandam mutationem morum in tota vna Insula obseruauerat, cuius rei mentio cùm incideret, inusitatis exsultabat gaudiis, & mera se prodigia vidisse multis cùm lacrymis affirmabat. Is autem erat vulgo sermo in ore omnium, hactenus se nescisse quænam essent Fortunatæ Insulæ, nunc verò se opera nostrorum, ingentibus suis commodis, eius appellationis didicisse rationem, experimentóque comprobasse. Visi sunt sæpenumero grandi natu, & canis venerandi senes, prouoluti ad nostrorum pedes, multo cum fletu & lacrymis, per Deum, & sacra quæque obtestantes, si salutem sitirent animorum, si laborum asperitatem in Dei causa consectarentur, ne alibi Iaponios & Sinas, Peruanos & Brasilos, quàm in Fortunatarum agro malè fortunato exquirerent: videte per Deum, ne nos vestra præsentia & cura destitutos coniiciatis in tristem illam omnium præsidiorum solitudinem, in qua tamdiu obtorpuimus; possumus de nobis hoc nobis polliceri, & vobis recipere, dum aderitis, facilè nos leuioribus etiam noxis vacaturos, absentibus autem vobis sperare nihil possumus. Æthiopum ingens est numerus totis his Insulis, quorum pueritiã Frater noster Catechesi cùm imbuisset, habebat valdè docilem, & ad omne genus virtutis propensam, quam iubebat obuios Sacerdotes impensè venerari, & postulare ab eis osculandam manum, in quo ei simplex illa ætas parebat diligenter, cúmque per illud officium ab nonnullis Ecclesiasticis parum vrbanis pueri alapis cæderen-

tur, & magiſter præciperet alteram malam obuertere, obuertebant tranquillis animis magno ſtupore ſpectantium. Exſtitere in omni genere profligandi flagitij exempla pæne infinita, ſed illuſtria nonnulla ponemus dumtaxat, vnde fiat coniectura cæterorum. De primaria Nobilitate vir perditiſſimis moribus, ad cæteram vitæ turpitudinem id adiecerat, vt repudiata vxore pellicem adſciſceret, publicéque domi iam haberet multos annos, Epiſcopo, & cæteris proceribus annitentibus omni conatu, vt eum à flagitio & offenſione deducerent, ſed irrita omnium opera. Noſter igitur hunc hominem omni officiorum genere ita ſibi conciliat, multis vt hebdomadis mentionem non iniiceret concubinæ; quodam verò die ſub veſperam, eum inducit ſecum in conuentum piorum hominũ flagellis terga cædentium, in ipſo autem verberum ardore, contenta voce Pater exclamat, Breuis vita, certa mors, æternum ſupplicium. Præterquam quòd immanis plagarum tergo incuſſarum crepitus audientis ferum licèt animum emollierat, horrenda Patris vox, quam is deinde aſſeruit prætuliſſe ſibi extremi iudicij ferale carmen, ſic hominem conterruit, vt ſui compos non eſſet. Adiit ad eum poſteà Pater; iam apertè loquitur, hortatur ad Confeſſionem; facit optionẽ Sacerdotis quem maximè velit; dat ille manus, expiatur, exigit pellicem, coniugem recipit, viuit cum ea concordiſſimè, totus eſt in religioſarum actionum muneribus. Mulier obſtinauerat animum non aperire flagitium in Confeſſione, & quidem iam ter vt deſperata

sperata eius vita sacro inuncta oleo, atque ipso etiam sceleris conscio summittente ad eam Confessarium, cui mulieris crimen retexisset, quod ipsa obtegere instituit præfractissimè. Intereà enixè supplex erat Dei Matri, vt eius opera mitteretur alicunde quispiam, minimè sibi notus, cui ea nihil esset celatura: quæ vt nouit nostros ad Insulas applicuisse nauem, ingeminauit preces, vt eos suum in oppidum Deus destinaret, quibus eò appulsis, vnum eorum mox adit, simul dolore, simul gaudio tota lacrymis colliquescens, summóque studio animum Confessione procurat, nec deinde finem facit Beatæ Virginis benignitatem prædicare, quã sibi magnis quidem officiis demeruerat, non iis tamen quibus tantum boni se speraret impertaturam.

Alij duo Patres, cæteras Insulas percurrentes, deprehendere primùm de Fortunatis Insulis fabulosissima esse quondam prodita Græcorum Scriptorum vanissimis commentariis: nam earum Insularum plerisque nihil est infecundius, nihil desertius, nihil aridius; quibus autem inest soli bonitas quædam non prorsus aliena Fortunatarũ nomine, eædem quoque sparsæ sunt quibusdam regionum tractibus planè incultis, vastis, & asperis. Insularium fermè victus ac vestitus, tectum, & res familiaris est, quæ esse solet egentissimorũ hominũ, nisi sicubi vrbium frequentia, negotiatio, soli amœnitas lautiora præbet incolis cultus & vitæ subsidia. Ipsi certè Palmariæ, non Insulæ modò Canariensis, sed Insularum omnium vrbi nobilis-

simæ, circumiecta sunt oppidula plurima omnibus humanæ vitæ præsidiis propemodum destituta. Deinde Sacerdotum incredibilis paucitas, eorum saltem, quibus cordi sit aliena salus, indigenis affert incomparabilem sacrarum rerum ignorãtiam; vt si nostri sibi nollent indulgere, patentissimum nacti essent campum industriæ in multos annos negotiosissimè exercendæ. Cæterùm est indigenarum Canarinorum indoles ad disciplinam idonea; cuius ab Insulæ oppidanis initium fecere sementis Diuinæ iaciendæ duo Patres, duobus aliis Palmariæ residentibus. Antè verò quàm Canaria egrederentur, tentarunt adirum cuiusdam oppidi, eorum instituto valdè opportuni, de quorum aduentu cùm esset nunciatum, Instituti Religiosi vir pro concione in nostros est inuectus asperè; alius quidam in circulis cœpit nobis crebriùs & acerbiùs maledicere. Hic cùm perseueraret, in ipso flagitio grauiter in capite læsus est imprudentia pueri saxum emittentis temerè, quam Diuinæ vltionis esse animaduersionem omnes conscij asseuerarunt. Inde Cœnobita ille factus cautior, assumto teste vno ex oppidanorum proceribus, procubuit deinde ad Patrum genua, & popposcit contumeliosè dictorum veniam, multamque posteà semper erga nos adhibuit beneuolentiam. Tamen quoniam hæserant in oppidanorum animis iactata in nos petulantiùs, inde ad Episcopum missa est legatio ciuiũ honoratorum, qui peterent, ne Antistes in suum oppidũ destinaret alterius instituti Religiosos homines, quàm cuiusmodi iam haberent. Hærente,

pro

propterea à Episcopo, vrgent nostri vt sinantur eo venire suo periculo, expressaque tandem venia, eò deducuntur à Palmariensi primario viro. Telde oppidi nomen est in Canaria, solo amœnissimo, hortis & vinetis vndique obsitum, pulcherrimis conditum ædificiis: vbi nostri quattuor dies pænè siluerunt, sed habitis Dominico die concionibus manè ac vesperi, mox Senatum vniuersum ita sibi demeruere, vt totus ille conuentus cum familiis ad Confessionis officium vltro se offerret, quem illico reliqui oppidani consequerentur in eodem munere. Ex oppido posteà proficiscentibus nostris, quantumuis repugnantibus, dedere se longinquæ viæ comites Prætor ac triginta equites, Patrum discessum, vt suam orbitatem, multo fletu prosequentes. Sed vt paucis multa complectamur in re prope infinita, hi duo Patres septem mensibus totis, non die non nocte vacationem ab contento labore nacti sunt, nisi quantum necesse modico cibo ac somno esset, Diuinisque perpetrandis. Qua operæ assiduitate ac contentione peragratis omnibus Insulis, omnium indigenarum animis erga nos ingeneratum est studium eiusmodi, vt nostro decessu dolerent acerbissimè, cupidissimè reditum postularent: Palmarienses autem seriò inirent rationem instituendi sua in vrbe Collegij Societatis. Quòd verò Patribus præfinitum esset expeditionis tempus, & Præsidum eos litteræ ad se aduocabant, proficiscendum eis fuit, de quorum egregia virtute, fructuosissimisque laboribus perscripsere Magistratus earum Insularum, virique primarij,

marij, non litteras modò commendationis honorificentissimæ, sed integros propemodum rerum bene gestarum commentarios: & actiones gratiarum luculentissimas ad Societatis in Bætica Præsides.

PRO

PROVINCIA SARDINIA.

DOMICILIA quinque, ipsisque circumiectum agrum, coluere primo anno Socij centum septuaginta quattuor, altero tres iis ampliùs; hoc transcripti in cælum decem, adscripti ad nostrum numerum quattuordecim; illo admissi vndecim, vnus amissus.

SASSARITANVM COLLEGIVM.

CAROLVS Falconerius, Lyciensis, rei domesticæ Adiutor, annos natus quadraginta obiit, quorum dimidiū egerat inter nos in assiduis vigiliis ac laboribus. Illud in eo admirabile & imitabile spectabatur; ortij declinatio tam exacta, vt priore quandoque fractus labore, pro quiete ad alium statim accingeretur, sollicitato ad id enixiùs Superiore, vt alteri negotio adhiberetur, gemina palma, & obedientiæ, & fortis operæ simul insignis. Missionum continentes ferè labores fuerunt,

& messis non modica, quibusdam verò locis prodigia concionum vtilitatem comprobarunt. Quidam audita concione, consilium inierat vitæ sanctioris, cui noctu in lecto vigilanti oblatus est eleganti forma iuuenis, multo splendore radians, qui se ita compellaret; Heus tu, audistin' Sacerdotis illius nuper concionem; quòd si audieris, ne quæso patiare iactum semen tuo in pectore, vt hactenus, interire. An forte illius criminis, id autem disertè designabat, oblitus es, quod quindecim abhinc annis admissum, Confessione tamen, ô miser, expiasti numquam. Quin tu nunc posito alieno pudore Sacerdotis pedibus aduolutus, veniam à Deo efflagitas? quid cunctaris? Nec plura cælo missus adolescens: tum verò dolens ille vir neglectũ ab se officium in re tanta, vix orto sole ad Sacerdotem nostrum expiaturus animum aduolat. Vir primarius à plebeio homine violatus colapho ante biennium, alebat odium, & aduersarij aspectum declinabat; ex auditis tamen Concionibus eo vsque profecit, vt procurato animo per Sacramenta, festo die, sub concionem in æde sacra, spectantibus ciuibus hominem ad se aduocat, suauiter amplectitur, testatus Christi caussa pro veteri simultate omnem in posterum beneuolentiam.

Altero anno Pater Ioannes Barba, Saffarensis, ætate ac ingenio florens, concionator egregius, ab recondita doctrina, & oratoria facultate, quam editis scriptis celebrarat, in primis clarus, ætatis anno tricesimo & altero, sic occubuit, vt omnes huiusmodi dotes vna plaga exstinctas eius ciues

non

non mediocriter ingemuerint. Neque enim Pater ſpecioſa quædam, ad magni nominis vmbram, ſed vtilia, & ad mores potiùs attinentia in Concionem afferebat, vt meritò illius obitus tam externis quàm domeſticis fuerit luctuoſus. Federicus Vitalis, in Apulia natus, domeſticæ rei Adiutor, vnum & quinquaginta natus annos, quorum alteram ex æquo partem in Societate vixerat, in munere præſertim Æditui ſummo cum ſtudio ac diligentia: Coſmus Maringius, Sardus, item Adiutor, Fabrilis lapidariæ peritiſſimus, poſitis annis viginti exſtruendo nobis ædificio: ac Marcus denique Pugionius, ſexaginta & ſex annorum, operæ domeſticæ gnauus adminiſter, felici clauſula vitam terminarunt. Oppidi cuiuſdam ciues in geminas factiones diſtraxerant vetera procerum quorumdam odia, & quidem annos iam quattuordecim; contigit autem, vti per Bacchanaliorum licentiam eorum nonnulli prodirent armati, quibus animaduerſis vniuerſum oppidum velut dato ſigno ad arma conuolauit, & iam ſtabat vtraque acies ad conflictum parata ſub veſperam. Interea Sacerdos noſter ignarus ſeditionis, eò properabat, quem ex itinere multi retrahere conati ſunt in ſuas ædes hoſpitij nomine, quòd via longior videretur, quàm eò poſſet pertingere. Vrgente tamen occulto quodam inſtinctu Numinis, quod aliàs facturus non eſſet, beneuolentiſſimis hominibus oblatum hoſpitium præcisè admodum renunciauit, ſuumque iter inſtitit vehementiùs concitare. Vt pagum attigit, omnes regiones armatorum globis obſeſſas

depre

deprehendit, obuersas contrarias acies ad prælium expeditas & instructas, vt præsentissimum exitium oppido immineret. Irruit ergo in conferta agmina eques, seque inter infesta tela, ausu non humano, medium inserit; cuius repentino aspectu, verbis, & præsentia perculsi animi euestigiò, summa quiete ac silentio domos repetunt, mussitante nemine. Arma quidem, non odia tamen, exuunt, vt postera die semel iterumque ad arma concursaretur, sed interueniente Patre omnia mox sedata, cuius opera pænè iam compositis rebus, tertiò concurritur, sed priùs intercedentibus nostris, quàm vulnus cuiquam intentaretur, vbi obiurgatione accepti liberaliùs, patiuntur se tandem in templum induci, ad quos facta verba pro conditione rei, feros animos ita demitigarunt, vt, ipso in loco positis simultatibus, ad reconciliatæ gratiæ indices amplexus derepente omnes conuolarent, tanta voluptate Cleri ac reliquorum oppidanorum, vt festo æris Campani crepitu, & sollemni cantico Numini haberetur gratulatio.

SASSARITANVM SEMINARIVM.

ARBORENSIS Archiepiscopus, præter vicena librarum millia, Sassarensi Collegio augendo attributa, Seminario constituto ter mille librarum annuis vectigalibus, eius nobis administrationem, pro sua in Societatem beneuolentia, concredidit, quam vt illustriùs proderet, splendi-

dum

dum Gymnasium iam pænè affectum, veteribus benefactis adiunxit. Alumnorum bene amplam copiam Seminario suo destinauit, quoque suum beneficium latiùs pateat, ex variis Sardiniæ locis, ac nonnullos etiam ex Corsica legendos edixit. Ei regendo Seminario septem de nostris præfecti sunt, Rector, Procurator, Confessarius, quaternique alij disciplinam & litteras curaturi. Huius instituti vberem lætamque frugem sibi gratulantur omnes Insulares Sardi, & eò adspirant vehementiùs, vt tam salubri educatione sui impertiantur liberi; & fuit Eques Nobilis Sassarensis, qui aureorum sex millia legarit Seminario, vt de suis propinquis sex pueri deinceps perpetuò educentur in eius alumnorum contubernio.

CALARITANVM COLLEGIVM, ET *Probationis Domus.*

MONSERRATVS Rouello, Musei Satrapa, Societatis amantissimus, eiusdémque firmissimum præsidium, singularis in eam beneuolentiæ geminum in morte documentum hoc anno, cùm popularium suorum Sardorum res præclarè gestas, quas accuratissimo complexus esset commentario, edendas, si nobis ita videretur, huic Collegio tradidit, insuper sex millium voluminum exquisitissimorum Bibliothecam, grandi pretio ab se conflatam, testamenti tabulis eidem huic Familiæ legauit. Puellam decem annorum, quæ præceps

præceps è feneſtris in ſubſtratum pauimentũ delapſa, caput propemodum comminuerat, cùm chirurgi grauitate vulnerum territi non auderent curationi manum admouere, Beatus Ignatius incolumem præſtitit. Eius puellæ hera, religioſa in primis mulier, medicorum ope deſtituta, primò ſigillum Beati Patris effigie impreſſum, capiti peſſimè affecto alligat; deinde ſibi oleum ex eiuſdem Patria lucente lampade afferri iubet, quo magna fide, adiunctis etiam precibus, ſemimortuæ caput & pectus inungit, tum derepentè fluxus ſupprimitur cruoris, puella redit ad ſeipſam, heramque atque adſtantes incipit agnoſcere: poſtridie aduocati medici iubentur inſpicere, ecquis reliquus ſit curationi locus; caluariam attrectant, quam pridie nulla parte cohærentem ſenſerant, nunc verò ſanam integramque deprehendunt; quo euentu obſtupefacti, prodigium adeſſe pronunciant, heræ ſuam ſaluam gratantur ancillam, ac mirè læti abeunt.

Inſequente anno ad Concionum munus in Põtificio templo gerendum ſumus reuocati, vnde proximo biennio quorumdam maleuolentia & calumniis excideramus, quorum ingenio perſpecto Antiſtes ab eorum ſententia ſibi putauit eſſe diſcedendum, noſtroſque Aduentus & Quadrageſimæ ſollemnibus Concionibus in ſua æde præfecit, tota nobis plauſum dante ciuitate. Iulianus Serra, Saſſarenſis, de hac Familia vnus deceſſit, ingenio, pietate, Inſtituti ſui accuratiſsima obſeruatione inſignis adoleſcens, vndarum impetu abreptus, dum, Sacerdoti datus viæ comes, obuium flumen traiiceret,

ceret, graui oppidanorum mœrore, quos congressus comitate deuinctos egregiè ad pietatem informabat: sed Clericis in primis carus, quibus nocturnam in æde sacra diuerberationem hebdomadariam persuaserat. Summopere semper abhorruit ab iis sermonibus, vbi Sociorum existimatio tantillum perstringeretur, vt mox rubore suffusus è corona loquentium se subtraheret, si quæ huius generis verba cuipiam excidérent. Hunc secutus Sacerdos, item iuuenis, Pater Iulianus Fadda, quem tantisper ab studiorum contentione vacantē, Quadrageſimæ diebus, excolendis paganis adhibitum, incitatissimus alienæ salutis procurandæ ardor eò prouexit, vt letalem sibi morbum accerseret, qui annua vexatione hominem conficeret, multiplicium que virtutum ei præbita materia, meritis clarissimum in cælos eueheret. Leonardus Pōducius, Sardus, hunc excepit, lenta consumtus phthisi, ingentibus relictis, per diuturnam ægrotationem, animi planè Religiosi argumentis. Quartus & postremus excessit è viuis Pater Gabriel de Campo, Hispanus, Vota quattuor professus, in concionibus habendis versatus diutissimè, in Societate verò annis vndequadraginta. Æstuabat Diuinæ gloriæ promouendæ flagrantissimo studio. Amor in B. Virginē spirabat singulari iunctus pietate, in eius Concionibus, scriptione, sermone familiari, cuius ardorem iis, quibuscum ageret, instillabat. Aliquot menses ante obitum phrenitide occupatus, sæpe animaduersus veluti cum Dæmone contendere de animi sui statu; sed remisit deinde illa

mentis

mentis alienatio, vt quàm tranquillissimè morte defungeretur.

Expeditionum susceptarum ab Tirocinij Patribus in varia oppida constitit & præsens fructus singularis, & eius in posterum continuandi spes haud vulgaris. Apud Galtellinenses nostro Conciones habente, in Crucifixo, prodigiis iampridem perillustri, se ostendit inusitati moris portentum. Sub ipsam rem sacrã, die Inuentæ Cruci sacro, cœpit illud Christi Domini simulacrum multo cruore diffluere membris totis, vt obstupescerent, qui spectaculo intererant. Noster vbi primùm de re prodigiosa nuncium accepit, dedit operam, vt interposita Magistratus auctoritate, qui miraculo adfuerant, iurati profiterentur, quod eis esset compertum, eorumque testimonium in publicas tabulas referretur. Hoc & sequenti quoque anno variis excursionibus initis instituta sunt frequentissima Sodalitia totis pagis, oppidisque, quorum ex rectissima disciplina, & multo virtutum vsu, in reliquos indigenarum conuentus, vt ex sanctitatis seminariis, rectè viuendi præcepta derivarentur.

ECCLESIENSE COLLEGIVM, & Alguerense.

ECCLESIENSIVM Sociorum opera extra vrbem fuit multorum animis perquàm opportuna fructuosáque. Quodam loco in fratris vxoré tam

tam iniquo erat animo aliquis, vt nec fratrem etiã alloqueretur, aut videret. Sed Patris noſtri hortatu ita vehementer ad inuiſæ nuper mulieris amorem eſt accenſus, vt eius impetu quodam actus, ne ſalute quidem dicta noſtris, ab eorum colloquio digreſſus, ad fratris & coniugis pedes aduoluere-tur, ac veniã poſtularet præteritæ ſimultatis. Inde glorioſum per eos pagos, Societatis nomen euulgatum eſt, & laborũ fructus exſtitit tam illuſtris, vt Parochus, homo haud vulgaris, aſſerere non dubitaret, binas ſibi ſingulis annis ſufficere noſtrorum conciones, ad rectam pacatamque ſui gregis gubernationem. Sequens annus infeſtus propemodum vniuerſæ Familiæ fuit, Sociis aduerſa valetudine tẽtatis, quibus deinde recreatis de morbo, vnus Rector, Pater Baltaſar Saquello, Sardus, morbo conceſſit, eodem planè recurrente die, quo triceſimo quinto ab hinc anno, in Societatem venerat. Erat vir miræ ſuauitatis, qua ſubditorum ſibi animos conciliaret magnopere. Eccleſienſes homines ita ſibi deuinxerat, vt eius præſentia geſtire tota ciuitas videretur.

Alguerenſes Patres concionibus habendis ſuæ contentionis illuſtria tulerunt nec pauca præmia. Sex annos vnus expers confeſſionis excubabat in occaſionem inimici occupandi, quem è medio tolleret, mox deinde ad Confeſſarij prouoluturus pedes: ſed audita de hoc argumento Sacerdotis noſtri concione, ab ſcelerato conſilio deſciuit. Alius inimicos ad ianuam intento arcu præſtolabatur, quos de ſua nece agẽtes audiebat: tum verò redeũ-

tibus in mẽtem quibuſdam Concionatoris noſtri verbis, detento arcu inde abſceſſit. Inimicitias mutuas duo exercentes, fortuitò alter alteri occurrunt in aperto loco, conſerendis manibus, vbi hic illius impetum occupaturus videbatur: ſed dexteram vterque continuit, & in mitiſſima erumpens verba, ad demitigandum aduerſarium compoſita, præſens periculum in concordiæ, ac beneuolentiæ ſuſcitandæ occaſionem conuerterunt. Rogatus poſteà vterque, quodnam frenum tam ferocibus animis iniectum eſſet, nullum aliud reſpondent, quàm ab Concionatore intentatas minas, & incuſſa iacula, in ſimultatum auctores, & iniuriarum memores. Altero anno interiit Pater Ioannes Baptiſta Stephaninus, anno ætatis triceſimo quarto, decimo ſeptimo ab inita Societate, qui principes huius inſulæ vrbes concionibus excoluerat, non minùs exemplo, quàm verbo potens. Nefandum ſcelus quidam animo agitabat, eodemque tempore ingreſſus noſtram ædem, incidit in Sacerdotem, qui Diuinam Hoſtiam ſupra caput adorandam attolleret, in qua vidit Chriſtum affixum cruci, & denſa obtectum nube. Horruit viſo tam inuſitato perculſus, & ſuum deteſtatus conſilium, vix abſoluto ſacro, accidit ad pedes Confeſſarij.

PRO

PROVINCIA PERVANA.

NVNC octoginta septem, nunc septuaginta octo Socij supra trecentos occupauerunt sedes quindecim in hac tota Prouincia : vndecim priùs desiderati sunt, decem & octo posteriùs; vtroque anno vndesexaginta in Socios adscripti sunt.

LIMANVM COLLEGIVM.

IOannes de Bazco, rei domesticæ administer, raro humilitatis exemplo, culinam cùm exercuisset annis viginti, & alia insuper munera, feliciter obiit. Peruuianus Prorex, cùm domum nostram vniuersam summa humanitate lustraret, miratus est maximopere coquinarij instrumenti nitorem incredibilem, multò verò magis Fratris illius sapiens & pium responsum, quòd percontanti sibi, quò spectaret tanta mundities in culinaria supellectile, is retulisset, vt sibi ex ea opera quæreretur tanto maior cum Deo familiaritas. Ex eo responso

cœpit Prorex ita virtutis desiderio commoueri, vt longè aliam vitæ rationem inire statuerit. Deinceps verò quoties Frater ille ipsi venisset in conspectum dicebat, augustum nescio quid sibi ante oculos obuersatum. Ianitoris munus exercuit non approbatione modò, sed summa quoque omnium admiratione, vt cæterorum ministeriorum curatoribus imitandum Præsides perpetuò proponerent. Res difficillimas, quas attigissent alij, effecisset nemo, precibus ille ad Deum fusis, corporisque macerationibus, ingenti omnium stupore perfectas, sæpissimè reddidit. Huius obitum mox est consecutus decessus Patris Stephani Paëz, Hispani, quadraginta quinque annos in Societate versati, quibus pæne totis Præsidem in ea egit summa cũ laude, nam aut certæ Familiæ, aut Prouinciæ alicui cum ordinario extraordinariove imperio præfuit. Eius in gubernatione grauis suauitas mirum quàm ei obnoxios omnium Sociorum animos reddiderit, quàm felicem eius omnem administrationem fecerit. Apud omnes viros cuiuscumque Ordinis principes sapientiæ ac virtutis inusitatæ commendatio eum posuerat in summa gratia, qua non vteretur, nisi vel ipsorũ res, vel Diuinus cultus exigeret, veluti cũ alicuius imminẽs lapsus illorũ occupatus beneficẽtia prohiberi poterat. Ei mortuo cùm parentaretur, femina sanctitatis opinione celebris supra ipsam aram à Beato Ignatio processum obuiam, & summa exceptum gratulatione posteà narrauit, illudque visum ab se præsente, spectanteque liquidò obser-

natum

natum asseruit. Eodem die iusta soluta sunt Fratri nostro Petro Vrdambra, Limensi, ætatis anno vicesimo secundo, quinto ex quo factus erat Socius, qui sex menses febri iactatus, doloribus, quos summa constantia toleraret, defunctus, maximis, de vitæ huius statione decessit. Iuuenis hic naturæ concessit, verùm Pater Antonius Gonzalez, Zamorensis: Pater Ioannes de Leon, Salmanticensis: Consaluus Bellomontanus: Petrus de Salazar, Cordubensis, naturam satietate viuendi expleuisse videntur, qui octogenarij obiere, omnes insigni florentes laude pietatis. Salazario illud mirandum obtigit, vt cùm priuatim oraret, animoque cogitaret beatorũ sedes, Angelos audierit fidibus canentes, quos augusta specie secutæ Virgines, quæ rogarẽt: Numquid vellet. Estné cordi, inquit Barbara, quam de facie ac nomine illico nouit, in cælum proficisci, vbi placidissima quies, & vita viget sempiterna? Est sanè cordi, respondit, vt nihil magis: tantis scilicet huius ærumnosæ vitæ defungi periculis. Paullò pòst in morbum incidit, satis vehementer, diuque ægrotauit, deinde vrgente malo, die Barbaræ Virgini sacro, vt ipsa promiserat, feliciter occubuit. Chinchachochanis populis, qui à fide defecerant, ad Christiana sacra reuocandis, diutissimè occupati Patres quattuor euicerunt, vt ab sacrilegio suo desciscerent. Qua in procuratione Pater Benedictus Arroio laborum magnitudine, ac pestilenti afflatu confectus, interiit. In oram Quibi duo de Sociis missi vim Barbarorum ingentem ad Christum

traduxere, vbi acres aduersarios habuerunt Religionũ Antistites, qui Dæmonis instinctu nefaria eius gentis sacra ijs maximè diebus celebrãt, quos Ecclesia in primis sollemnes habet. Præbent aures confitenti populo, quem adeò dementant, vt is eos loco parentum habeat, & omnem eis adhibeat venerationem.

Anno insequente Hispanus genere nobilis, de cuius salute conclamatum erat medicis, cùm Congregationi nomen dare, si conualescceret, apud se firmiter decreuisset, statim & ex insperato conualuit. Alter nobilitate non inferior, sed parum Religiosus ac pius, vt Sodalibus se adscribi permitteret semel & iterum rogatus, Dominica quadam die concionem auditurus ædes nostras adiuit, quo tempore Sodales ingredientes sacellum nomina notabant in tabella. Quod illorum studium irridere, vt superuacaneum, cœpit, & ineptissimum Theatinorum inuentum appellare, cum petulanti oris sono, motuque corporis inurbano: ac deinde quasi merito offensus pedem referre, ac discedere. Sed non abiuit impunè hominis intempestiua procacitas: nam insequenti nocte in manifesto adulterio deprehensus, traiectus ense, nullis procuratus Sacris, infelicem animam exhalauit. Sub auspiciis Pueri Iesu excitata est Sodalitas Pusionum, quæ iam censeat plures quingentis, quorum plerique vix cunis excesserunt, eo fructu illius ætatis, ea voluptate & approbatione vniuersorum ordinũ huius ciuitatis, vt nihil pridem eis ab Societatis industria fuerit iucũdius. Vnum de Fratribus

tribus nostris tam peritum & sedulum huius disciplinæ curatorem & artificem nacta est pueritia, vt quàm ardenter & sollicitè suum munus obeat, admirationeque sui instituti,ac iucundissimarum exercitationum totam ciuitatem rapiat in sua spectacula. Florentissimarum Academiarum dignitates & sollemnia omnia munerum Academicorum non modò sibi adsciuit, sed imitatur etiam tam scienter, venustè, ac grauiter, vt stupore compleat suos auditores : neque sibi potuerit temperare ipse Prorex, quin quasi supplex rogarit, vt ad id spectaculum adhiberetur, vnde tantum solidæ voluptatis hausit, vt magnopere nostris Patribus, ac toti Peruuio gratularetur tam salutare institutum Religionis Christianæ puerilibus animis penitùs inculcandæ.Quinis expeditionibus non modica illata est ruina vel palam vel occultè reuiuiscenti Idololatriæ,sed apud Checranos maximè,in Prouincia Limano Antistiti obnoxia, vbi Guacarum mirè luxuriabat adhuc soboles exsecranda. Guacæ huius gentis vocabulo sunt excelsissima montium, vbi asseruantur Idola, & coluntur,hoc est lapilli, figura hominum,quadrupedum, volatilium, vel arte, vel natura efformati, quos habent Penatium Deorum loco. In eorum Numinum Religionibus hæ inter cæteras vigent cærimoniæ : gemelli fetus tonitruo geniti putantur: eorum parentes sale, pipere, vsu coniugij totum annum iubentur abstinere : eo vero ritu ipsi gemelli tonitruo, vt germano parenti,consecrantur, quibus eo nomine Iacobi nomen ambitiosiùs af-

fectatur: Confessionis apud eos mentio vsusque multiplex animaduertitur, & eius ineundæ ritus impendio ridiculus, qui est huiusmodi. Ante lucem conueniunt frequentissimi vastissimam in conuallem, vbi aduersum contuentibus montem obuersatur Antistes Sacrorum, qui mystici cuiusdam lapilli ostentatione Confessionis inchoandæ tempus indicit: hic autem lapillus herbaceo insperſus puluere mox abolendarum noxarum symbolon exprimit. Expleto Confessionum longiore circuitu, procedit Rex Sacrorum cum suo symbolico lapide ad profluentem, in quâ simul lapillum, simul coactum noxarum aceruũ demergit, sollemni præfatus carmine, abolitas perinde animorum sordes per confessionem fuisse, vti puluis aspersus lapillo, quem demersum eat, vento difflandus sit, vt penitùs euanescat. Eo defunctis piaculo traiectus est in patentissimã planiciem, vbi cantu, saltu, potu, crapula, libidine omnis generis, Deis suis, ac ipsis sibi expiationis gratulationem liberaliter faciant. Persuadentur hæ gentes Erebo Doctore Confessionis vsum, qui sit Hispanis communis, alteri hominum generi non esse necessarium, Hispanis autem politica quadam necessitate esse impositum: humanum genus non ab Adamo & Eua originem ducere, sed à Guacis, & riuorum capitibus, aut saxis eductos, quibus eo nomine Religiosus cultus debeatur: Mortuorum animos nec Cælo nec Inferis destinari, sed Vpaïmarcam, hoc est vmbrosum locum petere, per traiectum flumen crinali contex-

tu

tu,vt ſublicio ponte, iunctum, vbi ſint cumulandi voluptate omnium iucundiſſima.Sexcentæ ſunt aliæ Tartarei eius ritus ineptiæ quàm fatuiſſimæ, quas recenſere pretium non eſt operæ. In eos immiſſi anteà fuerant, qui ex legum ſanctionibus ſeuerè agerent in Chriſtiani dogmatis olim ſuſcepti violatores, tetrorum ſcilicet veneficiorum, ac Idololatriæ compertos, ferro ac flamma graſſati, haud mediocriter perculerãt animos reliquæ multitudinis. Quæ conſternatio eam nobis aduenientibus multò mitiorem obſequentioremque,immò & beneuolentiorem fecit, quòd noſſent noſtram agendi rationem illius ſeueritatis nihil ſecum inuehere.Noſtrum ergo aduentũ cantu,ſaltatu,plauſuque accipientes illius tractus indigenæ, obuiam proceſſere multa cum ſignificatione gaudij. Proximi oppidi incolæ plùs milleni trecenteni omnis ætatis ſceleribus expiati, publica diuerberatione, & huiuſmodi aliis argumentis non paucis, prætulerunt ingentem interioris animi pœnitudinem. Qui prauis moribus corrupiſſent multitudinem, qui ſacrilegi cultus ei ſe magiſtros præbuiſſent, priorem pertæſi vitam, ſponte, ac palam populo,exſecrati ſua culpa inuectam corruptelam morum ac Religionis, profitebantur eò ſe adductos auaritiæ ſtudio, auctoreſque fiebant adſpernandi ab ſe flagitij, quod malè adſciuiſſent: quæ res docilitatem nobis conciliabat in populo longè maximam. Dùm hæc fructuosè ac tranquillè curamus apud Checranos, Quæſitor ille Capitalis, qui ante nos obiuerat Checranenſem agrum,

versabatur apud Andaxenses, vbi Guacarum, ariolorum, sacrificulorum, cadauerum pro Diis habitorum, infinitam vim deprehenderat: nondum tamẽ idoli omnium sacratissimi. LLiuiecancarchi latebram diu scrutatus exploraverat, donec à sacrificulis in equuleum sublatis expressum est, in summo vertice cadauer eius in sacrario delitescere, magnifico cultu corporis insigne. Inde promtum illud, & alia virorum insignium in ea gente cadauera, ducẽtenorum ferme annorum, Limam adsportata cùm essent visendi gratia, reportari placuit ad Andaxenses, vt, Numinibus suis carnificis manu in pyra deflagrantibus in foro medio, ipsi condiscerent, quanti momenti esset in ea Diuinitatis inanissima vmbra, quæ se flammarum iniuriæ non subtraheret. Centum ac septem arioli ex vna tantum parœcia pœnitentium habitu adducti ad excelsum theatrum, spectante indigenarum autHispanorum corona ferè quater millenum capitum, quò & nos ex Checris sumus accersiti, iussique ipsi Quæsitori assidêre. Dixit ad eam concionem vnus ex Patribus Checrensis Missionis, oratione tam varia, vehemente, plena animi, plena spiritus, vt audientes oculos pænè corrumperent lacrymarum vbertate. Quo ex spectaculo alios videres toto animo ad Christianam Religionem sese applicare: alios Guacis addictissimos, ne Christi quidem nomen ad aurem admittentes, toto vultu iram & contumaciam spirantes, dirissima quæque suis capitibus imprecari, nisi Guacæ acceptas ab Hispanis iniu

iniurias acerbissimis ac perpetuis suppliciis vlciscerentur. Vanitate porro ariolandi nimio plùs confisi, denunciare non verebantur iis, qui ad Christianos transirent, toto anno obductum iri cælorum cataractas, vt omnis perfidorum ager ariditate marcesceret, quod esset pœnarum exordium, quas Guacæ Religionum violatoribus inurerent. Sed ariolorum inanitate luculentiùs patefaciendæ in vulgus, & Andaxarum seu vetustis seu nouitiis Christianis ad alacritatem Fidei maiorē erigendis, Deus per eos dies misit largissimū imbrem ipsorum regioni, quo agri copiosissimè irrigarentur. Ad eos verò nostri cupidissimos cum transire per illud tempus non possemus, quoniam tamen nostros flagitabant auidissimè, iniecta est nonnulla spes futuræ propediem apud ipsos missionis. Intereà foris decesserunt de nostris aliquot, non leui Prouinciæ huius incommodo: quorum primus Pater Christophorus Ouandus Gerez, in veteri Lusitania ortus, qui Romam Procurator missus, apud Carthaginem Indicam in continenti tentatus periculoso morbo, adhuc æger denuo conscendit, ne occasionem nauigationis amitteret, dumque fœda tempestate laborat classis, febris æstu flagrans, ac ferè siti exstinctus, vbi de Auanæ portu cœpit cogitare, triduo quàm Carthagine soluerat, longiore traiectu in cælum trãsfretauit. Vir fuit excellẽtibus dotibus, & ad Societatis tractanda munia cœlesti quodã dono expressus: quod eius in Societate triginta, & sex annorum labores eximij apertè ostendunt, quem amissimus

am isimus quinquagenarium. Eugenius Sanctius, patria Toletanus, Formatus adiutor rei domesticæ, ac comes peregrinationis, comitem se illi præbuit in reditu ad cælestem patriam. Carthagine relictus valetudini firmandæ, nactus deinde nauigandi occasionem, Hispaniam versùs transmisit ad Sacrum promontorium, in ora Lusitaniæ, vbi cum nautis in scapham desiluit ad terram applicaturus: sed vix ingressi erant, cùm resupinata scapha in profundum omnes effudit, quorum nemo exstitit deinde. Erat annorum quadraginta & sex, & quindecim Procuratorem egerat Professarum Domuum summa Religione. Peregrè quoque cõtigit funus Patris Franciſci Berlini, nati Mantuæ Carpetanorum in Hispania, anno quarto & quadragesimo ætatis, & vicesimo sexto ab adepta Societate. Philosophicis, Theologicisque tradendis disciplinis, administrandis Collegiis, expeditionibusque obeundis illustre documentũ suæ virtutis dederat. Michael Romenge, Paraquavienſis, adolescens trium annorum in Societate, phthisi correptus dum versatur in stadio Logico, peregrè missus salubrioris aëris gratia, feliciter apud montanos occubuit. Domi decêssere, Pater Ludouicus Stella, Cantaber, qui septuaginta è Professorum numero duorum duos supra septuaginta posuerat in Societate. Franciscus Fernandez Nauarræus, externorum operum Formatus Administer, anno vitæ suæ sexagesimo octauo, ætatis actæ in Societate vicesimo sexto. Ille multis ad frugi vitæ rationem traductis, & morbis, doloribusque molestis

leſtis patienter latis : Hic ſui abnegatione, extremæ pleuritidis, aliorumque laborum tolerantia nobilis. Patris quoque Martini Pelaez, huius Collegii Rectoris, obitus incidit in hoc tempus, domeſticis externiſque triſtiſſimus. In Hiſpania natus, in agro Laminitano, Societatem Toleti amplexus eſt, Diuino quodam viſo ad eam, decem annorum puer, antè aduocatus. Quam vocationem ex animo cùm aboleuiſſet æſtus adoleſcentiæ, viceſimum primum deinde annum agenti bis oblata in ſomnis Pueri Ieſu ſpecies eadem ſuaſit, quæ olim, atque niſi ſuadenti obſequatur, grauiſſima ſalutis diſcrimina ex ætatis conditione oſtendit. Gerit morem imperanti, & in Societatem ingreſſus, ſilentij, & alienationis à rebus mundanis ſpirantem imaginem cunctis ſe præbet. In Mexicana deinde Prouincia Rectorem, Magiſtrum Nouitiorum, Prouincialem, Procuratorē Congregationis Romam ſumma egit cum laude. Ante annos ſex in Peruuium remiſſus, Cuſquenſi ac Limenſi poſteà Collegio præfuit cum omnium approbatione, atque in hoc vltimo quidem, quattuor modò menſibus, quibus præſedit, omnium domeſticorum voluntates ſibi magnopere deuinxit. Per morbum ſe Chriſtus ei viſendum dedit pueri habitu, vnde intellexit ſibi migrandum è vita, quo ex tempore non admiſit vllam cogitationem prorogandæ vitæ, ad quam ſi quis hortaretur, ſeipſe inſimulabat, quòd eam ad diem & ſe & ſua omnia Diuinæ Prouidentiæ non penitus permiſiſſet. Eius funus cohoneſtarunt optimi

quique

quique, ac Ordines Religiosi nominatim, ipseque Limanus Antistes magna beneuolentiæ ac doloris significatione.

LIMANVM TIROCINIVM.

NOmen Societati dedit Hispanus adolescens, cuius animo idemtidem obuersabatur cogitatio, num satius esset supplicio Crucis affectum Christum sequi, quàm hominum vitia imitando consectari: sed ille, vt hæc recurrerent frequentiùs, animumque haud leuiter afficerent, aliò tamen curas auertit, iuuenilis ætatis inconstantia. Cùm verò posteà in lecto conclamatus iaceret, secundùm quietem videre visus est strata passim mortuorum corpora, ex iis autem, qui ad lectum ipsi aderant numerosa multitudine, subinde non paucos occũbere: audire verò vocẽ hominis ignoti, qui ex se percontaretur: Ecquid causæ haberet adolescens, cur salutaria suadenti nollet acquiescere. Quo viso, quibusque verbis, adeò est permotus, vt simul atque meliùs paullò habuit, Societatem studiosissimè appetiuerit, ad quam admissus, congruenter illi primo ardori cursum suscepti stadij promouet.

Sequente anno commutauit vitam cum morte Nouitius ille, cuius sinceræ mentis, & ad omnem pietatem propensionis exemplo commilitones reliqui accendebantur, Alphonsus Ouandus, Merellinensis, in Beturia. Fuit hic octo mensium Tiro,

Tiro, in magna spe frugis lætissimæ repentè succisus, septemdecim annos natus, qui ante vnum & alterum ex Hispania aduentarat, & in Beati Martini Collegio apud nostros Latinitatis posuerat Tirocinium. Ibi erat animi, sensuum, ac motuum custodiæ ita imminens, vt eum Collegæ non suspicerent modò, sed vnicum bonarum artium exemplum clamitarent. Eius illud erat indicio, quòd si quando ea lege domum egressuris socium eligendi daretur optio, vt in virtute clariorem eligerent; Quandum vnum, suppresso nomine, sibi comitem dari iudicabant. Huius adolescentis eximias virtutes in Tirocinio demiratus Pater veteranus, satis expertus, ita de eo ad domesticos loquebatur, vt eum nobis breui ereptum iri ostenderet, & maturum cælesti mensæ pomum sponte casurum. Alter adolescens de anteacta vita eum stimulante molesta religione, Deum sæpius cum lacrymis precabatur, vt quid se vellet fieri, declararet: nec diu factum est, cùm nocte per quietẽ, se Christo è cruce pẽdenti à Magna matre præsentem sisti sensit, & eius clientelæ commendari: ac eiusdem Virginis hortatu ad nostrum Ordinem impelli, si quidem absolui cuperet animi angustiis, & humanæ vitæ periculis. Cuius audito consilio, ita institit apud nostros Præsides, vt admitteretur, & eius ratio ea esse perseuerat, quæ sit affirmatura immissam ab Dei parente vocationem.

SEMI

SEMINARIVM S. MARTINI, ET Sedes B. Iacobi ad Limam.

EX Martinianis alumnis centenis ac quinquagenis, seu Philosophiæ, seu Theologiæ dant operam quinquaginta. Emeriti decem in Theatro Philosophico suam eruditionem explorantibus probauerunt. Horum vnus de Academiæ vacua Cathedra dimicantibus sex aduersariis palmam eripuit, ampliùs quingentis suffragiis supra eos ablatis, cum insigni commendatione nostri Seminarij. Tredecim annos huius Collegij alumnus fuerat, cui perquàm grato animo cum sua omnia retulisset accepta, egregiæ voluntatis in illud, ampliùs testificandæ, quidquid sibi mortuo vsquam esset fortunarum, publicis tabulis declarauit ei Collegio se iam tum destinare. Ad Beati Iacobi Sedem non leuiter laboratum, vt indigenis sua Fides sarta, tectáque conseruaretur, cui occultas insidias collocari à perfidæ mentis hominibus nostri sentiebant: effectum autem est Dei summo beneficio, vt nemo vnus sit adhuc visus ab integritate Christiana defeciſſe.

CVSCHIENSE, AC POTOsinum Collegia.

EX CVSCHIENSI Familia profecti Socij ad propinqua oppida non modicum terrorem

æternorum suppliciorum inuexere, quod sit maximè potens telum sceleribus ex hominum mente depellendis. Sollemne nostris est in expeditiones prodeuntibus æternos Inferorum cruciatus in tabella depictos circumferre; quibus picturæ explicandis emblematis capiuntur Indi vehementer, & vt abducuntur à vitio per eas descriptiones, ita facilè ad virtutem concitantur. Inda Virgo, extra vrbem, via deserta, obuium habuit virum deprauatissimis moribus, cuius nequitias olim experta, nunc se destitutam omni humana ope, valdè cœpit horrere, tum implorato Numine, inducit animum fortiter pro castimoniæ laude propugnare. Ille autem barbarus, vbi precibus ab castissimo pectore nihil extorquet, tam crudeliter eam habet, vt semimortuam relinqueret: cuius allatæ in vrbem puriſſimus animus postquàm Sacramentis est studiosè procuratus, integer hilarúsque ad sponsum Christum euolauit. Altero anno crudeliſſimè grassata pestis est in Cuschienses, quorum non pauciores millibus duobus exstinxit, è Dominicanis autem sedecim, è Franciscanis quattuordecim; nostris reliquis decumbentibus, quattuor integri perstiterunt, qui suam operam in domesticos & externos partirentur quàm opportuniſſimè. Nihil ab eis prætermissum, quod in ciuium animos corporáque conferri posset auxilij, quod non sedulò adhibuerint, toto oppido à prima aurora diligentissimè lustrando, vt non minùs inuocati, quàm vocati subsidio venirent egentibus. Quattuor denique de nostris sęua lue sublati sunt,

quorum nobis opera perquàm vtilis futura fuerat, niſi aliud Numini viſum eſſet. Pater Ioannes de Alua, Hiſpanus Metinenſis, ab naturæ gratiæque dotibus vir planè inſignis, Quamangani Collegij propemodum auctor, cui deinde præfedit ſumma cum laude. Indigenarum idiomatum, vt Aymarai & Quichüi, fuit peritiſſimus, vt eorum ipſe diſciplinam inſtitueret, alióſque commodè doceret: Sanctorum verò res geſtas eadem lingua complexus, quibus indigenæ iuuarentur, propediē prælo deſtinabat: ſed præpropera mors ætatis anno vndequinquageſimo, quarto & triceſimo quàm ſtrenuè laborabat in Societate, illum præclarè cœptis auocauit. Pater Petrus de Vedoya, Bæticus Baezanus, proximè ſecutus eſt, cùm ageret quadrageſimum quartum vitæ, adeptæque Societatis viceſimum octauum annum. Fuit & hic ſcientiſſimus Chiquuani ſermonis, vt in eo nemini mortalium cederet, quem ſolandis ægrotis hilariſſimè occupatum peſtilens afflatus inuaſit confecitque. Ioannes de Alua, quem hic Pater ſocium habuerat in ægrotis procurandis, eumdem honeſtæ mortis & æternorum præmiorum ſibi Collegam quoque adiunxit. Antonius de Cardenas, externorum operum induſtrius exſecutor ſeptimo anno ſupra octogeſimum, poſtquàm ſeptem ac viginti traduxerat, è viuorum numero ſublatus eſt. Extra Familiam mortuus eſt etiam ex halitu peſtifero Chriſtophorus Placa, in ipſo itinere, quod iuſſus iniuerat Cuſchio in Iulidem. Hoc eodem anno Chuſchienſis Antiſtes Seminarii ab ſe recèns

cèns instituti curam nobis commisit. Potosij homo Hispanus, genere iuxta ac vitiis nobilis, cui stupri ganeæque lubido incesserat, multa nocte Collegii Rectorem compellabat, velle se æs alienum grande legitimis dominis restituere, Rectoris adit cubile, quò vbi peruenit, eius pedibus aduolutus Christi Domini exspirantis in cruce simulacrum ostentans, cura sedulò, inquit, ô Pater, hanc animam tot peccatis irretitam Christo vindici per pœnitentiam reddere, quando Societatis præsertim viris animarum cura est commissa. Metus principiò Rectori obiicitur, qui hominem cerneret ferreis catenis arctè constrictum; sed cùm sese collegisset, consolantis officio diligenter functus, per Sacramentum Pœnitentiæ hominem in pristinam gratiæ dignitatem vindicauit. Alterum tum inopia, tum deprauati mores sæpius induxerant ad diuitiorum compilandas domos, cui per quietem oblatum est extremi iudicij tribunal, vbi summa frequentia Cælitum Dæmonumque ingentium furtorum conuincebatur, vnus autem de nostris proximè Iudicis tribunal assistens redhibendæ omnis interuersæ pecuniæ obsidem se ipsi præbebat. Non citiùs homo perditus euigilauit, quàm horrendi tribunalis euanuit ipsius ex animo memoria. Redintegratur nocturnum illud somnium haud multis inde diebus, & adsunt ei Custos Angelus, & idem ille de nostris, quorum vehemens fuit adhortatio ad meliorem frugem: quamobrem nihil amplius cunctatus ad nos adit in ædem sacram, Sacerdotem illum inter reliquos

facile internoscit, ad eius pedes aduoluitur, & ritè expiatus nouum vitæ genus instituit. In excursionibus vtiliter cum multis est opera posita, cum aliis non item: sed nonnullorum contumaciam excepit præsens Numinis vltio. Pellicatu fœdè implicitos Hispanos seriò iampridem admonebat noster Sacerdos, flagitium ab se depellerent, eiusque apud vulgus non minùs turpem offensionem: sed surdis canebat. Adfuit tandem Numinis vindicta, quæ alterum in agresti casa iacentem fulmine planè conficeret, quo iudicio supplicioque territus alter mox se pellicatus labe absoluit. Inauditam post homines natos deierandi licentiam in Hispano coercere potuerat nostrorum nemo, cum ei Fratrum Adiutorum vnus intrepidè ita comminatus est: Futurum sanè auguror, mi homo, repentina te morte à Deo esse multandum. Planè vera fuit præsagitio: incedit enim ferina quædam rabies nequam hominem, vt ipse se multo cum eiulatu vnguibus dentibusque concerperet, cúmque duraret aliquantum ea laniena, nemo interim vnus adesset, à quo impii animus posset iuuari.

ARE QVIPANVM ET CHVquiabense Collegia.

INiere à ciuibus non vulgarem gratiam Arequipani Socij, sublatis per eos inter Religiosos viros seditionibus, quæ ita exarserant, vt, multis frustra

frustra tentatis ,vix locus tranquillitati reliquus putaretur. Desideratus ex nostris Frater vnus, Andreas Amadosius,cum aliis virtutibus insignis, tum paupertatis maximè laudibus, quem Deo visum est non procuratum Sacramentis, delapsum in altam terræ labem, & oppressum terrena subsequente mole, interire. Chuquiabi auxilium nostri Sacerdotis deposcebat homo Hispanus, ad eius prouolutus genua; vti suas noxias aperiret, quas multo nitens conatu non posset exprimere. Diu dubitatum est ab nostro num vir ille ab Cacodæmone insideretur, qui tanto in nisu eloqui nihil posset, & rictu præferret insanientis speciē. Suasus demùm à Sacerdote, Mariam inuocaret, & erogaret in pauperes tot aureos, quot Maria litteras in suo nomine censeret. Nihil ille cunctatus, promit aureos quinos, & diuidit, moxque illi adfuit expeditissima facultas sua enunciandi peccata. Secundus annus Arequipanis ciuibus pestilens, nostris valdè operosus fuit, inter perpetua funera versantibus, quorum vt esset ad ægros, inopes præsertim, aditus suauior; copiosè suppeditauit nostris pius Canonicus, quidquid esculenti, poculenti, ac medicamentorum necesse fuit. Eodem anno Chuquiabi pestilentia nobis abstulit Ildefonsum De Luera,quattuor mensium Nouitium, florenti ætate; nondum enim quartum vicesimumque annum egressus erat, sed qui amore virtutum inter cæteros domesticos emicaret, vt non parum pudoris veteranis afferret. Dum autem vis morborum ciuitatem vrgeret,

mirificè probata est ab omnibus eius in solandis, & iuuandis ægris industria, pietas, constantiaque.

CHVQVISACANVM, ET *Guamanguense Collegia.*

CHuquisacæ indigena, vir coniugatus, decem annos totos Confessionis officium defugerat, ac fere tantumdem vxori esse iniquus perseuerarat, pellici turpiter addictus, cuius hominis statum Sacerdos noster cùm resciuisset, eum ad Confessionem inuitat, eiusque obeundæ diem indicit. Stipulanti Patri certæ diei Confessionem ille quidem spoponderat sibi destinatam, sed promissi deinde pœnitens eam non obseruauit, quin tota vrbe otiosus cùm ad satietatem vagatus esset, domum regreditur, cui occurrunt derepentè sex ingentes simij teterrimo aspectu ac minaci, quos ponè sequens ageret squalidus homo, facie horrenda, ardentibus oculis, meram spirans crudelitatem, quem Ingarum aliquem esse sibi persuasit, qui olim dominarentur in Peruuios. Euestigiò autem iubentur simij ab illo suo magistro pallentem & contabescentem pauore hominem vinculis constringere, adstrictóque acerba flagella incutere, quod liberaliùs etiam faciunt, quàm iussi esse viderentur, pessimèque affectum pro depositò miserum relinquunt. Fortè vxor abfuerat, quæ domum repetens coniugem humi iacentem, immo

mo emorientem offendit, mox domum noſtram reuertitur, Confeſſarium euocat, qui adſit animam exhalanti. Accurrit noſter, & ſenſibus defectum cùm inueniſſet, exſpectat dùm ſe qua via oſtendat, qua iuuari miſer valeat, cui cùm ſenſus rediiſſet, tumeſcenti atræque linguæ vis defuit ad eloquendum, oculis dumtaxat emiſſitiis circumluſtrabat omnia tacitus, valdéque attonito ſimilis, ignarus vbi eſſet, & ſimiorum integrato aſpectu perculſus ſupra modũ, quò ſe verteret, planè non habebat. Conſilium erat Stygiarum ſimiarum homini terroris ac deſperationis tantum iniicere, vt eo ſtatu inquinatiſſimum animum rectà in Tartarum abripiendum emitteret: quare ſiquando intenderet in Crucifixum oculos, circummiſſæ belluæ atrociſſima quæque infelici minabantur. Noſter idemtidem luſtrali aqua cubiculum adſpergebat: at eò grauioribus terriculamentis infeſtabant ægrum ſimiæ: donec Sacerdos promtas è theca Beati Patris noſtri reliquias ita eius ori applicuit, vt linguam quoque contingeret, Beati ſuffragium adſtantibus interim ſuppliciter poſtulantibus, ſecundùm quas preces æger flatum vehementem exſpirat ex pectore, cuius graueolentia, omni tetrior Mephiti, circumſtantes procul abegit. Spiritus ille teter eduxerat ſecum vim animum occupantis Stygij tyranni, ſed non vniuerſam: detumuerat lingua, vox redierat, rigebãt tamen liuida immodicis plagis bracchia, vt nec erigi, nec colligi ad Crucis ſignum efformandum valerent: verumtamen eis admota Beati Patris Lipſana ſuum

mox calorem, ac deinde vigorem omnem accipiũt. Satis ſuperque documentorum in hac calamitate hauſerat, vnde diſceret miſer, Numini nequaquã illudendum eſſe: agnouit ingenuè temeritatis impietatiſque ſuæ magnitudinem, eueſtigióque purgauit animum ea flagitiorum ſentina, quam tota vita collegerat, multa cum deteſtatione ſuperioris ætatis, ſponſioneque melioris frugis in poſterum. Chuquiſacenſi populo ad Religionem ac frequentiam Sacramenti piacularis vehementes ſtimuli acceſſere, tum ab contagioſi morbi periculo, circumiectis oppidis ac pagis lue paſſim laborantibus; tum ab fulgetrorum frequentia & acerbitate, quibus interiere paucis horis quinque hominum capita.

Guamanguæ Hiſpanus ſcriba ſæpius ab noſtro Sacerdote inuitatus, vt vel in vita ſemel Sodalitium Marianum ingredi ne grauaretur, vt ſe tandem eius rei mentione omni abſolueret, reſpondit, ſcire ſe ingenioſis hominibus periculi nihil eſſe ab Tartareis incendiis: ideò ſibi, qui eſſet ingenioſiſſimus, vt non periclitaretur ex eo capite, ita nihil opus eorum ſubſidiorum eſſe, quibus ille caſus declinaretur: has ergo nænias reliquo mortalium vulgo eſſe concinendas, eas verò ſe iure ſuo habere habuiſſeque ſemper deſpicatui: poſſe quidem ſe culpa pollui, quæ animum ſuum Orco addicat, ſed prouiſas habere animo rationes, quibus, vel ſub ipſum exitum è vita, ſe hoc expediat diſcrimine. Tam veſanam ac tumidam arrogantiam Deus inultam eſſe noluit, cùm enim de

via

via domum rediret, quinque annorum puer contenta vòce ipsum inclamabat, caueret sibi ab immanissimo tauro cornibus infestis imminente, ac mox impetituro; quam vocem, vt ab irridente missam, accepit, nec aliud pensi habuit, ea tamen fuit vltimi fati denunciatio, si nequam ille intelligeret, desubitò namque in eum morbus inuasit, qui nec opinantem, & imparatissimum exstinxit. Idololatrarum vis ingens ab Sociis Guamanguensibus Christo adiuncta, idoneo & constanti adhibito labore, vt ijs etiam locis, quibus insita est maior obstinatio erga cultus impietatem, fuerint numerosissimi Neophytorum manipuli.

IVLIDENSIS, ORVRENSIS, & Sanctæ Crucis sedes.

IVlidensium Sociorum fructuosissima opera enituit in aduocandis ad Christum ab Ethnica impietate Neophytis, quorum hoc anno salutaribus aquis tincti trecenteni quinquageni, præter tricenos ternos ætatis iam prouectæ. Orurensium quoque labor feliciter cecidit erga Indigenas, Hispanosque, sed in eo felicissimè, quòd ipsorum hortatu Hispanensis excellens pietate vir, vt claritudine generis, ac copiis instructissimus, animum liberalissimè adiecit ad exædificandum Xenodochium, quod & sumtibus longè maximis absoluit.

In Iulide sequente anno sæuiit admodum pestilentia, vt plus mille capitum vnus mensis exhauserit, qua in procuratione non potuit otiosa esse nostra Familia, quæ, supra cæteram munerum turbam, Parochorum quoque subit omnem administrationem, & ea fuit ipsius sedulitas, vt tanto ex numero nullus non expiatus obiuerit, vna dũtaxat excepta muliere, ad quã maturè non sumus vocati. Sed huic mulieri, cùm se vrgeri morbo sentiret, singulare adfuit Confessionis desiderium; quando enim, inquit, abest Sacerdos domesticorum ignauia, deponam apud Sanctissimum Ignatium noxarum sarcinam. Facessere domo iubet totam Familiam,& ex suo strato exsiliés, Ignatij papyraceam imaginem deripit è pariete, procumbensque in genua, dat se totam in lacrymas, Beatoque Ignatio, quasi præsenti, audientique, quantum ab vltima pueritia commeminisse potest, noxias omnes exponit. Tum ad eum oratione conuersa, impetra quæso, ait, peccatorum veniam, & mox impertire: hæc tantum venere in mentem; occurrissent plura, non suppressissem. Sub hæc verba inclinauit caput, quasi exceptura formulam absolutionis, in eoque corporis positu placidissimè animam exhalauit: quo ipso articulo temporis Sacerdos noster ingressus nitentem adhuc genibus inuenit, remque, vti gesta erat, ab domesticis, ex occulto explorantibus, accepit. De nostris audierant Virgines duæ, genere quodam defungi Martyrij, qui peste affectis ministrantes tetro halitu exstinguerentur, quare in-

gen

gentibus animis ad illud officium tam Christianum se,& ardétibus studiis accingunt,præter alias non paucas studiosas eiusdem muneris. Harum vna, nomine Catherina, contracto pestilenti halitu, vnde postea occubuit, Beatæ Virginis, puerum Iesum vlna gestantis, dignari meruit suauissima præsentia, & alloquio officiosissimo, quæ instante obitus ipso articulo audita est his verbis Dei Matrem affari: Domina mea, vnde mihi tantum dignationis, vt hac vilitate muliercula tuis pascar vberibus? Quæ cùm diceret,hiatum oris aperuit, velut papillam acceptura, & in ijs verbis animam efflauit, insignis virtutum omnium laude, ac Virginitate præsertim, quam pænè ab incunabulis sacratam Deo,integerrimam ad extremum conseruauit. Anna, Virgo altera, dimidia antè hora, quàm excederet è viuis, vt nemo sociæ obitum nunciasset, ipsa tamen è cælo significatum agnouit: nam, quorsum, inquit, mihi celastis sororis meæ decessum: ecce adest cum Beata Agnete, ac duabus aliis, aut tribus Virginibus. Conopeon demitti iussit,vt Cælitum chorus commodiùs ad se adiret, quem suauibus exceptum verbis rogabat accedere, tùm ad Virgines, exspectate me Dominæ, iamiam vos sequor. Deiecta deinde in solum nudum, sublatisque in cælum bracchiis, ait, malle se inde ad sponsum transire, quibus dictis tranquillissimè decessit. Diro hoc halitu domestici contacti ferme omnes, exstincti duo, Pater Ioannes Ponsalius, & Pater Diegus Majera, ætate ferè pares, pares studiis ac

ſollicitudine in ægris adiuuandis. Ille quidem tricesimum ſextum ætatis, in Societate dimidium vitæ omnino ex æquo; hic nobiſcum vixerat annos ſeptemdecim, alterum tantum fuerat inter mortales: vterque Noſodochiis præfectus, perpetuò ægris aſſederat, indeque letalem auram contraxerat. Orurenſes operæ, præterquàm quòd funeribus ſuorum exemti ſunt, omnia fecerunt paria cum reliquis Collegiis, nam, procurandis peſtilenti vlcere ſauciis, laboratum eſt apud eos diutiſſimè, periculoſiſſimè, ſed fructuoſiſſimè nihilominùs. Ad Sanctæ Crucis, omnes Socij verſati quoque in pari alea, in qua cùm etiam Ethnici iactarentur, & noſtri eis auctores fierent, vti hac occaſione ſalutem animi gratis emerent, grandi natu viri mulieresque Baptiſmo abluti mox in Chriſti gregem, ac cæleſtem quoque ſocietatem ſunt tranſlati. Numerus omnium, quos Baptiſmus Chriſto adiunxit, ad ducentenos quinquagenos peruenit, adultorum verò ex ea turba fuit ſexaginta & duorum lectus manipulus.

PRO

PROVINCIA MEXICANA.

DEGVNT in hac Prouincia quinque ac viginti supra trecentos, distributi viginti domiciliis, quorum septemdecim ad nos recèns è mundo adscripti sunt, sex felici obitu decesserunt, anno huius sęculi decimotertio: nam insequentis anni litteras non accepimus.

MEXICANA DOMVS Professa, Collegium, & Seminarium.

IN sollemnibus erga domesticos, ciues, extraneósque muneribus, hæc Domus ita tenuit suum vetus institutum, vt quoniam hoc anno splendor quidam in singulis eorum eluxit singularis, seipsam & superiores annos rectè factorum magnitudine superasse videatur. In Collegio Sociorum tres, Pater vnus, duo Fratres in vitam meliorem

liorem demigrarunt. Omnium primus decessit Pater Ioannes Adamus, Coadiutor spiritalis, Instituti Religiosi, Obedientiæ in primis, patientiæ, orationisque studiosissimus vir: sed sui in omnibus altissimè deiiciendi perpetua sollicitudine clarissimus. Numquam visus in alium culpæ cuiusquam causam deriuare, sed sibi omnia errata tribuere: tanta mansuetudine in cęteros, seueritate in se tam insigni, vt ferè modum excederet. Obitus nuncium admirabili accepit alacritate, qui eius vitæ maximè consentaneus, placidissimo somno simillimus fuit. Hunc est subsecutus Franciscus Ximenez, ætatis anno vicesimotertio, dum Logicæ studia decurrit, quem, tametsi firmis viribus, repentinus insidens morbus, octauo vix absoluto die consumsit. Singulos domesticos sibi demeruerat, cùm cętera virtus, tum singularis in obsequendo alacritas, vt omnium vel iussa, vel rogatus propensissima gratificandi voluntate præueniret. Purissimus eius animus se ab omni culpa pridem ita abalienauerat, vt vel tenuissimæ noxiarum vmbræ illum anxium mirè haberent, si quid earum aliquando sibi accidisset nec opinanti. Præsagiit diem horamque decessus, & se cum germano Fratre, qui proximè obiuerat, futurum prænunciauit, nec temerè; nam ea nocte, quæ occasum præcessit, auditus est colloqui cum illo suo germano, velut qui attulisset mortis propinquæ nuncios, ad quos mirificè exsultauit, postridieq; inter suauissima Crucifixo impressa oscula lætissimus occubuit. Petrum Perez tertio loco beata sors excepit,

cepit,cùm viginti annos egisset in Societate, rei domesticæ Adiutor Formatus, in summis perpetuò versatus oecupationibus, & summa cum religione ac fide, quarum obtentum numquam interponeret, vt se priuatis exercitationibus familiæ subtraheret, quibus tribueret constantissimè, quidquid à grauioribus suppeteret otioli. Seminarium Mexicanum ex centum sexaginta egregiè moratis alumnis sex & viginti produxit in publicum, suo merito laureæ prærogatiua donatos, cum honorifico testimonio industriæ in disciplinis vtiliter collocatæ. Huius Seminarij Rector, Pater Emmanuel de Sandoual, cùm decederet, non mediocriter eius statum conturbauit, quem sanus egregiè anteà tuebatur. Vixerat omnino annos duodequadraginta, in Societate autem duos ac viginti, quattuor Vota professus, vir planè omni genere virtutum eximius, quarum vim singularem hauriret ex intima illa, & perpetua cum Numine coniunctione, cuius assidua familiaritas sic animum hominis componeret, vt non sit animaduersus commotæ mentis signum edidisse. Iliosus pridem erat, acerbissimis, frequentibusque doloribus obnoxius, quorum tamen sæuitiam ferendo silendoque premeret: quo eum affectu exstinctum sit credibile, cùm eum tres dumtaxat ægrotationis horæ confecerint. Eum Nobilitas Hispana, Mexicanus populus, sed Alumnorum conuentus, cœtusque Sociorum, multis grauissimisque de causis luxit, lugetque.

SEDES

SEDES SANCTI GREGORII.

QVaterni Socij, duo Sacerdotes, Adiutores duo, popularis linguæ periti, agunt in hac Sede, adiuuandis indigenis, maximè instituenda suburbana, & vicinorum pagorum pueritia, quæ huc confluit ad Christianæ doctrinæ, litterarum, ac Musicæ haurienda rudimenta; grandiores verò festis diebus ibidem Sacramentis imbuuntur. Egestate laboranti plebi, aut morbis malè affectæ, non modica subsidia, iis leniendis incommodis, ex hac itidem Domo subministrantur. Gemina quoque piorum virorum Sodalitia in hac Sede coire solent, haud sanè vulgari pietatis incremento, cuius in dies existunt argumenta singularia. Eduntur quoque diuinitùs exempla seueritatis in contumaces, ac pœnitudinis opportunæ contemtores. Adolescens pridem turpiter mulieri consueuerat, ægrotare autem cœpit, dum nefaria intercederet consuetudo, perque ægrotationem, instante morbo, Sacramentis procuratus, velut vsurpandæ modò consuetudinis gratia, infeliciſſimè defungitur, & detruditur in Tartara. Concubina morte inopinata sui amasij perculsa, vt de mortui animo faceret bene, insistit ei preces & sacrificiorum vim adhibere: sed is de nocte mulieri decumbenti assistit, multo cum gemitu & lamentis monet sua supplicia non minui, sed augeri orationum accessione, quæ sibi destinarentur: quare iis deinceps abstineat mulier, se namque addictum

æter

æternis Erebi cruciatibus: ipsa verò suis rebus caueat maturè, alioqui in societatem supplicij deuoluturam. Intereà tumultus ex propinquo auditus, velut aliò vocantium, moxque horrendus catenarum increpuit fragor, & miser ille abreptus euestigio, miserabili eiulatu complens omnia, deuolutus est in barathrum, cuius flagitiorum consors mulier, tam acerbo illius casu territa, mentem appulit seriò ad res suas constituendas, statimque se generali Confessione nostris expiandam præbuit.

ANGELOPOLITANVM COLLEgium, & TepotZotlanum.

ANgelopoli adolescens Gymnasij nostri alumnus, cùm ingenij vel imbecillitate, vel stupore, inter æquales non posset emergere, Beatum Gonzagam, vnius è nostris suasu, sibi patronum delegit, eique certum precationum pensum cœpit persoluere; atque ita se adiutum sensit, vt deinceps, in studiorum cursu, multos eorum, quibus natura benignè fauerat, facilè anteceſserit. Indus ebrietati maximè deditus, nostrorum consuetudinem, Congregationemque vitabat, ne cogeretur domesticum amicumque vitium deponere, cui vxor numquam suadere potuit, vt nos adiret Confessionis gratia. Nocte igitur intempesta eum adiit Æthiops nescio quis, à quo vehementer primùm territus, acerbissimè deinde ver-

beratur, quoad blanda pulcherrimi pueri ſpecies terrorem abſterſit, Æthiopíque imperauit, vt faceret verberandi modum: Deum enim, nefarij hominis miſeratione commotum, concedere ipſi tempus pœnitentiæ, quem mox iubet adire ad vnum de noſtro Collegio Confeſſionis gratia. Venit ille quidem plagarum adactus ſeueritate, ac perterritus ſummoperè, caſum ſuum aperit, plagas recentes oſtendit, exſequitur quod iuſſus fuerat, & mores mutauit in melius. Michaël Bolignaga, Formatus Adiutor negotij domeſtici, ætatis duodeſexageſimo, aditæ Societatis quinto ac triceſimo anno, ſtrenuus in ſua conditione operarius, nobis deceſſit, cùm diu ægrotaſſet, eiúſque morbus talem eum oſtendiſſet erga Inſtituti obſeruationem, cuiuſmodi ſemper valentem noueramus.

Tepotzotlanis morbidus fuit hic annus, contagioſa quadam febri, quam Ceocoliſtli populares appellant, indigenis ferme peſtilenti, quæ dum regionem omnem peruagatur, infinitâ hominum multitudinem lecto affixit, noſtróſque omnes iis iuuandis magnopere occupauit, & exercuit, dum animis remedia, egentiúmque corporibus medicamenta & cibi adhibentur. Iam prætereunte faciendæ ſementis tempore, nullo pridem rigata imbre terra culturam reſpuebat, marceſcebat verò quidquid iam eſſet terræ commiſſum; quare ad preces ac vota deſcendendum ſibi eſſe ſtatuit vniuerſa ciuitas. Supplicatio maximè ſollemnis indicitur ad Parentis noſtri effigiem, vbi publicè ſeuera diuerberatione certatum eſt à frequentiſſimis

mis ciuibus, neque sine præmio: mox enim densatum nubibus cælum, tamque opportuna & copiosa expressa est pluuia, vt nemo benigniorem exoptaret.

GVAXACENSE, GVADALAXENSE, *Vallisoletanum Collegia.*

EXCVRRERE Guaxacenses Socij Xalatlacum, in remotum oppidum, suæ clientelæ ac fidei commissum, vbi Ieiunio Quadragenario habitæ sunt Conciones Catechesésque fructuosissimæ. Iuuat in primis labores nostros indigenarum in Socios beneuolentia reuerentiáque, vt eorum respectu multum remittant de barbaris moribus, quia se nobis probare cupiunt, quales cupere nos pridem ostendimus.

Guadalaxæ Indus in populares pestiferum virus eiusmodi effuderat, vt eis persuaderet, Crucem Indis esse in primis pernicioſam, tametsi Hispanis valdè salutarem, cuius sermonibus dementati homines idiotæ Crucis signum quacumque regione obuium maledictis exsecrationibúsque insectabantur, obruebant lapidibus, donec adfuit Deus vltor iniuriæ, nam auctor sacrilegij loco præcipiti delapsus, fœdè in ipso casu, interiit. Noster autem pro concione grauiter inuectus in flagitij principem & conscios, nefarij ruina iam magnopere attonitos, omnes redegit ad mentis sanitatem, qui vt damnatæ culpæ suæ monumen-

tum præsentibus posterísque statuerẽt, altissimam Crucem multa testificatione religionis erexerunt. Cacodæmon Indigenis quibusdam imposuerat, vt vana spe fretos exponeret inermes vulneribus necique, intereáque sacræ Crucis ludibrium crearet. Si vellent, vel ipsa cute corporis obiecta, quantacumque vi libratum telum retundere, iubebat eos quotidie læua manu signum Crucis sibi imprimere, sic fore cuiuis ferro impenetrabiles: quod eatenus à barbaris creditum est, dum omnium maximè temerarius se nudum obiecit armatis, quorum mucronibus transuerberatus suã deinde amentiam nostro Sacerdoti, ad Confessionem vocato, explicauit.

Vallisoletanorum Sociorum vnus repentè conualuit, implorata Dei Matris ope, & eius sacri Conceptus imagine capiti adhibita, cùm anteà salutem ipsius medici conclamassent.

PASQVARENSE COLLEGIVM, *veræ Crucis, Zacatecana, Guatimalensis, S. Ludouici, & Guadiana Sedes.*

PAROCHI duo, Regij Magistratus totidem, & alij duo viri primarij, temporibus alij aliis eò discordiarum processerant, vt explendis paucorum odiis multorum manus ferro armarentur, alterutrius partis, aut etiam vtriusque futuro exitio: sed nostrorum Pasquarensium ea felicitas fuit,

fuit, vt, Diuina ope, auctores dissensionum inter se reconciliarent, ac deinde factionis vtriusque assectas. Ad veræ Crucis portum classibus, seu Mexicanis, seu Hispanicnsibus, vtroque vel euntium, vel redeuntium commeatu, fructuosissima semper annis superioribus, sed hoc anno etiam fructuosior opera est nauata, quoniam ita tulit occasio. Apud Zacatecanos serua mœrore oppressa statuit laqueo vitam finire, aptatóque func corpus suspendit è trabe, in quam iam mortuam, aut mortuæ similem, casu incidit hera, quæ spectaculo perculsa grauiter restim abscindit, & quoniam indicium vitæ nullum apparebat, apponit iacenti Beati nostri Patris imaginem, eiusque opem enixè deposcit, móxque illi miseræ aut vita, aut intercluſus spiritus restituitur, vt valida exsurgeret. Fratrum vnus è Guadiana Sede peregrè missus pij negotij causa, in diuersorio viri Nobilis incidit in puellã tabido capite, ac cæteris membris affectam pessimè, vt ex corruptissimo eius corpore teterrimus fœtor exhalaret. Eius miseratione ductus Frater, spei plenus, effigiem Beati Patris nostri admouet, cuestigióque vitiatorum ossium, dentium putridorum, & corrupti sanguinis vim non modicam emittit, simúlque pleniſſimam sanitatem assequitur. Inde aduocatur idem ad aliam conclamatam ægram, cui repente præsidio eodem eamdem medicinam facit. Alius quidam ab feroci & indomito equo humi diu raptatus, triduum iacuerat velut exanimis, & vndeuiginti posteà dies in acerbissimis doloribus egerat, cuius collo ap-

pensum sigillum Beati Patris ab eodem quoque fratre repentinam contulit sanitatem.

TOPIENSIS, S. ANDREAE, Cinaloensis, Tepehuana, Parraliensis Missiones.

SAcerdote nostro Topiensibus fructuosissimè concionanti visus est Orcus ferre impatientiùs se vereri exactum statione, nostrísque ac indigenis extremam moliri perniciem, commouendis ventorum turbinibus, imbrium, fulminúmque tam horrendis tempestatibus, vix vt ab orbe condito quidquam adeò fœdum potuerit accidisse. Post multorum dierum immanes Austros ac procellas, die quodam tanta vis aquarum è proximis montibus cœpit exundare, vt oppido subiecto, nobísque omnibus præsentissimum exitium immineret, nisi Deus extraordinaria nos ope tueretur: & reuerà nouo quodam genere molis ac munitionis auertit Deus ab oppidi excidio immanis torrentis formidabiles aquas, cùm vicina è rupe vastior petra, eo impellente, delapsa est in grassantis torrentis alueum, diuortiísque aquarum inductis periclitantem vrbem exemit certissimo exitio. Confugerant nostrum in templum oppidani, è nostris audituri quid opus facto videretur, quos Sacerdos ad Fidem excitandam, ardentésque concipiendas preces cohortatus cùm esset, ij non defuerunt officio, neque Deus auxilium negauit pe-

petentibus. Aurifodinas loco periculosissimo habebat vir Nobilis potensque, in quibus ne periclitarentur domestici, rapiebat vi ex oppidanis, qui suo periculo eius familiæ incolumitatem præstarent, de quo scelere vt inaudiit huius nostræ Familiæ Præses, intrepidè ac palàm viri factum coarguit: non esse vtique parandas diuitias certa Christianorum, ac liberorum hominum pernicie, quibus ipse Christus non vteretur vt mancipiis. Cùm neque sic hominis auaritia & crudelitas desineret, Deus arefecit ipsum fontem insanæ cupiditatis, nam repentè omnis auri vena vertit in merum silicem, illéque Midas vel inuitus miseros oppidanos subterraneo eduxit ergastulo. Cinaloensis populi siluestris ferinúsque victus in montibus ac speluncis adeò animos efferauit, vt traducti licèt in pagos maximo nostro labore, atque ad societatem vitæ ciuilis, tamen inter eos etiam hoc anno quidam fuerint, qui nostri Sacerdotis, qui frequens apud eos versatur, de medio tollendi agitarint consilia. Ex ea gente Tehuëci latam regionem occupant, nuper translati ad Christianum ritum, qui hoc anno Euangelij, & Hispanorum pertæsi, sumtis armis templum suæ regionis euerterunt succenderúntque, quibus cùm arma excuti de manibus non possent, ferro omnes mactandi fuerunt. In hac Missione interiit hoc anno Pater Ioannes Baptista Velasco, Professus Votorum quattuor, qui nouo hoc in orbe natus, adhuc puer Societati adscriptus est. Simul ac morbum sensit, sibi moriendum esse iudicauit, quare Sacramen-

torum frequentia se ad profectionem diligentissimè comparauit. Iam duos ac viginti annos agrestes horum barbarorum mores tractabat summis laboribus, quos moderatione ac patientia sic mitigabat, vt in eis vix feritatis vestigium appareret. Summa assiduitate vrgebat creditæ sibi plebis institutionem, ac rudibus erudiendis oblectabatur maximoperè: vnde omnium existebat in eum summa beneuolentia, quòd suam salutem auidè appeti ab eo, séque amari facilè intelligerent. Sub exitum vitæ aduocatis ad se indigenarum proceribus, Caziquas vocant, documenta saluberrima deposuit apud eos, quæ in populum vulgarentur, ex quibus cùm animaduerterent, quanti eos ipse fecisset, facerétque, dici vix potest quàm acerbus dolor Zinaloensem gentem vniuersam in eius funere occuparit, quàm studiosè ipsius exsequias celebrauerint. Tepehuanensibus haud absimile ingenium est iis, quos nunc memorauimus, sed sedulitate ac longinquitate culturæ sumus assecuti, vt iis æquis docilibúsque ac beneuolis vtamur. Indigenarum quidam, generis nobilitate & prudentia reliquis suæ gentis longè anteibat, sed omnem hanc latè regionem crudelissima vexatione infestabat, cæde, incendiis complebat omnia. Risu, scommatis, plagarum etiam comminatione accipiebat nostros, si quis Christiani ritus adsciscendi mentionem iniiceret: manfuefecit tamen Deus sua manu immanitatem incomparabilem tam crudelis feræ, ac leuiori quadam plaga, sed quæ mox indomitum illud pectus demi

demitigaret. Inuasit in hominem pectoris inusitatus dolor, quo derepentè sic fractus est, vti ad Sacerdotem nostrum iret, séque in illius futurum potestate asseueraret. Data sedulò est opera per nostros, vt homini, multorum atrociúmque flagitiorum comperto, ab summo Magistratu admissorum condonatio impetraretur, quod vt factum erat, & hic mox adhibitus est conciliandis cum Neophytorum corpore, suis nuper commilitonibus & emissariis, quorum pridem atroces vexationes in Neophytos exstitissent, cuius illi auctoritate se passi sunt eò adduci, quò maximè vellemus.

*

PROVINCIA PHILIPPINA.

IN hac Prouincia Socij versantur nonagintaduo, decem domiciliis diremti, quorum decessere duo, quinque ad Tirocinium adlecti sunt.

MANILLANVM COLLEGIVM.

BAttauorum nonnulli capti nuper nauali prælio, dum hîc attinerentur, ex Hæretica perfidia traducti sunt à nostris ad Catholicam Fidem, quorum tres vt ægrè se debellari permiserint, manus tamen denique dederunt, duóque ex iis mox vita functi salutem tuto loco posuerunt, tertius omnium nuper obstinatissimus, nunc docilitatem, probósque mores cum recta Fide induit. Mense Octobri Molucis insulis ex hac ferebant subsidium ad sustentationem & bellum onerariæ quinque naues, & duæ triremes, onustæ rebus ad bellum conducentibus, ac, præter alia, saccorum

ory

oryzæ octo millibus,& ponderum argenti viginti millibus, acie duplici militum, cum Capitaneis, armis,tormentis,puluere,ac globis. Sed quinque naues, ita Deo disponente, ac triremis primaria, sæuissimis iactatæ fluctibus, atque summersæ sunt prope insulam Mindorum: hominum pars periit, pars confisi tabulis & natatui proximum Mindori littus appulerunt:tantùm salua nauigauit triremis secunda, Sancto Patre Ignatio eam liberante, cuius auxilium præcipuè militum Præfectus, Don Petrus de Almazan, deprecatus est. Is à periculo ereptus, missis ad Manillam litteris, miraculi permultos fecit certiores,in litteris verò ad sorores sic habet: Refer,ô germana,incessanter gratias Sancto Patri Ignatio, qui me in tanto periculo cum manifesto miraculo liberauit, quando vis remigum omnino defecerat; præclarum habemus Aduocatum, erítque mihi, dum vixero. Inter naufragos proximum introierunt montem nonnulli, arborum fructus ad esum quæsituri, quorum Capitaneus Oribe, ac tres milites inciderunt in remiges ac fugitiuos seruos, numero ac viribus potiores,à quibus pulsi deiectíque sunt ex celsa rupe in subiectum littus, & ipso casu conquassati obtritíque, quartus tamen eorum Franciscus Lopezius,cùm restitisset aliquantulum,grauibúsque plagis esset confossus, præcipitatus tandem est, non tamen interiit. Tredecim totos dies pænè exanimis iacuit in littore, computrescente humi corpore, omníque meatu corporis erumpentibus vermibus, eo interim suppliciter Deum

ob

obteſtanti, ne ſe Confeſſionis expertem pateretur occumbere, quod & impetrauit. Ea enim triremis, quam diximus euaſiſſe naufragium, ſedata licèt tempeſtate, nullo remigum conatu tres dies totos potuit deduci ex eo littore, vbi Lopezius moribundus iacebat, cuius aliquando auditi gemitus è triremi, & vox indigenæ de illius caſu admonentis, exciuere Fratrem Petrum de los Cobos, Religioſum Franciſcanum, vt eò ſcapha traiiceret, qui deinde narrabat, viſum ſibi velut alterum Iobum iacentem in ſterquilinio, ac totis membris tetra ſanie manantem. Is hominem affatus, quæſiit, an cuperet expiari Confeſſione; annuit ille factóque ſigno Crucis cum parte digiti, quæ in dextra ſupererat, diſtinctè, ac integrè, magna doloris ſignificatione confeſſus, & poſt puſillum in aliam vitam feliciter tranſiit. Eſt autem obſeruatum, à Confeſſione illam corporis horridam ſpeciem trāſiiſſe in aliam amœniorem, quæ ſpectantibus deinde deuotionis ſenſum & lacrymas cóciaret. Obiit diem ſuũ Februario menſe, huius ſeculi anno quarto & decimo, Ioannes Camillus Salim, Neapolitanus, Adiutor Formatus rei familiaris, annos natus quinquaginta, quorum ferè dimidiam partem in Societate poſuerat, qui eis virtutibus maximè excelluit, quæ Fratres noſtros ſpectant. Mira in eo ſinceritas effulgebat ſimul cum intelligentia rerum agendarum, quæ illi per Obedientiam committebantur. Humilitatis & ſilentij virtute pollebat. Artis ſuæ lignariæ vſum ad extremum vſque vitæ tempus in Societate retinuit.

Aſſi

Assiduus fuit deuotionis exercitiis, vnde ortum habuit singulare patientiæ documentum, quod nobis reliquit.

Missionum prima fuit ad Quiapum, cuius tria sunt oppida prope Manillam: sub cura Sæcularium Clericorum. Ibi promulgato nostrarum missionum Iubilæo, auditæ sunt Confessiones mille & octingentorum hominum, atque multis locis exciſæ veteres Ethnici moris reliquiæ. Inde ventum est ad Balaïanos, quibus insita viuendi licentia, & inopia Christianæ culturæ grauem intulerat labem. Aggressus Sacerdos Missionem hanc ab rudimentis Fidei, in tabella descriptis, & ad ædis valuas affixis, indigenarum plerisque occasionem præbuit ea sibi describendi vnde magnopere proficerent, cum in cæteris tum ad instituendum serio Confessionem. Portum Cauite, incolis & aduenis celebrem exinde lustrauimus, vbi tanto plus corruptelæ deprehensum est, quòd eò affluit, & diuersari solet ex omni conditione hominum fœda colluuies: eò missi Sacerdotes duo, quorum Tagales, seu indigenas vnus, vnus Hispanos curaret, quorum omnium fuit insignis sedulitas suis animis procurandis, tametsi per eos nauibus profectionem adornantibus, vniuersi valdè occuparentur conuehendis in ipsas suis mercibus. Magnus fuit omnino animorum motus, vel ab ipsa prima concione, cùm est animaduersa vndique audientium comploratio, & perseuerauit deinceps incrementis maioribus, vt etiam sua sponte milites triginta suas pellices Iudici tradiderint,

derunt, vt eius auctoritate diuellerentur in perpetuum. De breuitate vitæ, mortisque incerta hora & conditione agebat in Concione Sacerdos, in qua tandem ardore dicendi prorupit in hæc verba: Quid? scitisne vtrum obstinatus, qui me audit peccator, die crastina Deo de factis rationem reddet? atque ita contigit. Miles famæ non bonæ proximo manè prope nauim, quæ fabricabatur in littore, leui occasione iratus cùm transiret, ac verbis pessimis eiuraret, fortè decidit à summo proræ lignum, quod subitò hominem, iuramenta repetentem, interfecit. Secundus etiam fuit, in cuius periculo alij sapierunt, qui peruicaci animo amicorum consilia repudiabat, qui à pellicatu eum educere conabantur: stulto autem homini pro responso fuit hæc fatuitas: longum restat Quadragesimæ tempus. Verùm statim ac verba dedit, breuiati sunt dies ei, qui longos sibi restare ad pœnitentiam putabat: nam statim concidit exanimato similis; paruoque temporis interuallo caput, manus, ac pedes motare cœpit, ac si epilepsiam pateretur. Huc & illuc circumspectabat tam rabido aspectu, vt ijs qui aderant magnum terrorem incuteret: ita enim faciem cum timida voce aliò auertere absconderéque conabatur, vt qui terrentem se Dæmonem adspiceret, quæ rabies, absque vllo pœnitentiæ signo, durauit horas circiter duodecim, donec abscissam dentibus linguam pariter & animam exspuit.

ANTI

ANTIPOLANA SEDES, ET *Silanensis.*

MVlier Antipolana, cuius fetus in vtero exanimatus, magno parturientis detrimento, expelli non poterat, Sanctum Ignatium inuocans statim ac eius imaginem piè coluit, sui & eorum, qui aderant, admiratione, putridum eiecit cadauer, dolore simul & periculo liberata. Alius cuius agrum & oryzam, circumiecta sepe nihil prohibente, apri & cerui deuastabant, Crucis sanctæ imaginem in medio constituit, & ex tunc hæc animalia pij hominis sata fugiunt, vicinioraque depascuntur. Silanensi domicilio attributi sunt populi Maragondones & Indani, cuius sedis occasione vsi siluestres & montani mira feritate homines Itæ, ad nos interdum deuoluuntur è iugis montium ad animæ salutem exquirendam. Senem quemdam amici hortabantur, vt filiam mortuam loco sacro sepeliret; quibus ille barbaro more; prope, inquit, flumẽ est, cuius aquis eam mandabo. Ei post paullò mortui sunt fratres, quorum funera potationibus, ritu ethnico celebrauit, quod factum deinde in templo Sacerdos noster acerbè reprehẽdit, adstantésque preces iussit fundere pro defunctis duobus fratribus, quod cũ facerent reliqui, senex ille vnus furenti similis inde excessit, ambulatumque concessit ad ripam profundi fluminis, qua in deambulatione aquis haustus interiit, eodem sepulcro, quod proximis diebus filiæ suæ destinauerat.

uerat. Quidam noctu nauiculam plenam mercibus aliunde portabat, quas tamen tempestate suborta in mare mersit: sæuire autem cùm pergeret oceanus, aduersis ventis abreptus est, quò noller portitor: inter enim spissos scopulos, & fluctus exaltatos in manifesto fuit periculo. At ille Christum Dominum, quo potuit affectu, inuocans, clarè inter noctis obscuritatem vidit nauiculæ proram ducentem puerum, alba ac præfulgenti veste, & pulchritudine inexplicabili, deduxitque hominem cum filiolo, & compluscul is, citissimè in portum, ad quem tranquillo etiam mari peruenire experti nautæ impossibile iudicabant.

ZEBVANVM COLLEGIVM.

HVius Collegij Rectorem, Patrem Franciscum Gonzalez morbus nobis sustulit, natum apud Aragonios, in vrbe Tarraconensi, Vota quattuor professum, ætatis anno quadragesimo sexto, vicesimo quarto impetratæ Societatis. Fuit insignis animarum zelo, ijs præsertim temporibus, quibus Bisaiarum ministerio vacauit, & Otonensis Missionis superior fuit, vnde cùm ad hoc regendum Collegium vocatus est, magnus exstitit incolis illius loci animorum sensus atque dolor, Zebuanis verò ad quos veniebat, hilaritas & lætitia. Humilitatem & paupertatem maximè coluit, mirumque in modum gloriabatur, quòd nullus

lus esset in Societate proprietati & ambitioni locus. Finitis exercitiis spiritalibus, quæ clausus plus solito, habuerat, mortifero fuit morbo correptus, & cùm aduersus febris violentiam nulla remedia efficaciam haberent, denique ritè dispositus, & ad Dei voluntatem conformatus decessit. Ad prosequendam Missionem in Butuanos Sacerdos ijt, magno indigenarum bono: tristis enim illos morbus inuaserat, qui senes crebro ac debiliores absumebat: quorum alij recèns baptizati, alij Pœnitentiæ Sacramento parati, decesserunt. Itum quoque est in vicinum montem, ad Manabas, ferinum genus hominum, qui, vno arcu & sagittis freti, solo venatu vitam tolerant; qui, vbi non succedit, in proximum littus, ad piscatum deuoluuntur. Incidit in littore Sacerdos noster in triginta natu grandi, ac viginti pueros Monabos, qui rectà ad ipsum profecti reuerentiæ causa ei manum deosculati sunt, & risu lætitiam indicante familiarem sermonem conferebant. Pater offerens munuscula, vt hamos, & acus, eorũ voluntates Christo capiebat; hæc enim suscipientibus Sacerdos Sapientiæ Dei thesauros aperuit: quibus rebus attentas aures præstiterunt, magnam Christianæ legis concipientes existimationem. Manobos sola carnis certis diebus apud Christianos abstinentia deterrebat à Fide suscipienda, non enim se idolis seruire, sed Deum omnium conditorem, Christum Redemtorem reuereri aiebant: illam tamen abstinentiæ difficultatem superaturum iri dicebant: ideoque desiderabant, vt ad

eos Pater aliquando rediret, quem honoris gratia ad nauim comitati sunt.

SEDES APVD PICTOS *Insulares.*

MIndanaüs Mahometanus Pictis Insularibus triplicem calamitatem, eamque acerbissimam, proximè intulit, & prima contigit quidem Augusto mense, in Leite insula aduersùm Dulachianam sedem, & duo oppida Abugo ac Vito: altera in Balanguigan, vbi Turcica immanitas in Christi Domini, eius Matris, ac Cælitum reliquorum imagines gladiis transverberatas, humique raptatas, sæuiit atrocissimè: domos & sata combussit: & quidquid occurrit furenter est demolita: quadringentos è primariis homines, Datos vulgò appellant, in captiuitatem abduxit: cæteræ multitudinis magnum numerum trucidauit. Tertia incursio hostilis magnum nobis, supra cæteras, vulnus inflixit, nam præter oppida Leitæ Insulæ rapinis exhausta, sexcentos homines in seruitutem redegit, & triginta septem biremes spoliis nostrorum oneratas Mindanaüm retulit. Huius piraticæ classis præfectus fuit Hispani nominis antiquus hostis Pagdalanus, qui sæpe ex Mindanao insula ad Pictos debellandos erupit. Cùm Dulachianos primos expilasset, audebat vlteriùs tendere ad interiora insulæ, versùs oppi-

da

da Tambucum, & Ruraguen, sed Ruragueni obuiam prodeuntes, vias arundineis muricibus abunde conspersérunt, quibus confixi hostes restiterunt. Hinc flexere viam ad insularum vnam, cui Samar, id est infima, nomen est, vbi est Tinagobensis nostra Sedes, sed cùm flumen Palo salutassent, à quo flumine nomen est oppido, scapham Paloensium piscatorum deprædatus, ex eis didicit nostrum Sacerdotem, & eius socium in oppido tùm versari, quo lætus nuncio, flumen ingressus in imparatos incolas irrumpit. Mulierum in aperto deprehensarum ingens fuit captiuitas, cuius in manus quoque venit Pater Pascalis De Acugna, Dulachianæ Sedis Rector, necdum à periculosissimo confirmatus morbo, cuius vis eò ægrotum deduxerat, vt sacro oleo inungeretur. Paloensis & Dulachiani oppidi templis, ac cæteris ædificiis manus abstinuere Mahometani, vt eorũ opportunitate allecti oppidani, denuo ad incolendum redirent, sicque nouæ paterent populationi atque iniuriæ. Remigrabat interim cum classis parte Pagdanus, cuius deprædationum conscius, dux strenuus, Franciscus Hernandez, Nauarreta, qui in Leite Prætorem Regium agebat, zelo concitus, tribus Hispanis militibus comitatus, in scapha mari celeriter se commisit, hostemque secutus, saltem Patrem Rectorem de illius manibus eripiendum, vel sibi moriendum esse decreuit. Pagdanus in mare conclusum insulis se receperat cum decem biremibus: exploratores præmissi ei renunciabant duas apparere nauiculas

uiculas, quæ in portum proximiorem introïssent: mox nauiculam ad se venientem obseruat, & eius marginem plenam multi fomitis igniarij, statim stratagemate cognito, pauciſſimi sunt, inquit, Hispani numero, plures ignes. Tunc biremem suam expediri ad pugnam, tormenta parari voluit: altera biremis huic modò adiuncta præ metu discesserat. At verò Hispani inimicam biremem sua nauicula circumeuntes bombardis quattuor, tot erant pugnantium capita, Duce Prætore Hernandez, semel iterumque disploſis, aliquos ex præcipuis occiderunt, & primum Ternatensem vnum, rei tormentariæ bene peritum, qui tormenta ibi curabat. Mùltis Hispanorum spiculis immissis frequentes in biremi vulnerabantur, & ipse Pagdanus in dextro bracchio læsus est grauiter. Nec solùm hic fuit Hispanorum animus, sed, cognita in hostibus multa turbatione, duo cum Mindanaiis manus conserere ausi sunt, birememque ingressi ea fortitudine, ac dexteritate ensem hac illac circumferentes, vt hostem ad fugam coegerint, quem omnis animus & industria, præterquàm ad fugiendum, defecerat. Similiter & nouem aliæ biremes, qua potuerunt festinatione, se fugæ commiserunt. Patri vero de Acugna, in biremi Archipiratæ captiuo, periculum necis non defuit, cuius mortem Mindanaij decreuerant, sed, acinace an lancea eum tollerent, ambigebant: quemque relictum medium præterierant Hispanorum manu missæ glandes, confossis illius dextra siniſtraque duobus Mindanaensibus, quorum

cruor

cruor eum aſperſerat. Et cùm Pagdani ſeruus dominum ſpiculo percuſſum videret, cucurrit properè, vt Patrem appeteret ad necem, nequiuit tamen etiam manibus ambabus admotis Campilanem, genus eſt grandioris acinacis, ad vulnus attollere. In ea captiuitate didicit idem Pater ex Mindanaenſibus, quòd quando SANGILES, ſunt inſulares populi Mindanaenſibus finitimi, annis ſuperioribus Carigaraniæ Reſidentiæ oppida diripuerunt, ſecum inter ſpolia paruam Ieſu pueri deferebant imaginem, quæ in nauigatione barbaris Mahometanis Sangilibus ludibrio erat, ipſam enim ad aquam ſuſpendebant, flagris diuerberabant, & deſpiciebant omni irriſionis genere. Sed ſtatim pœnas dedere tantæ impietatis, nam ſuborta tempeſtas naues & homines perfidos vndis obruit, & malè perdidit, ſaluis pauculis, qui nũc dicunt illã fuiſſe pœnã ſacri pueri, qua ſe vehemẽter in Sangiles vindicauit. Huc caſu deuenit præcipuus quidam Caragenſis, Gumaras nomine, notus Capitaneo Alfonſo de Pedraza, Zebuano Prætori, in cuius amicitiam ſe inſinuare deſiderabat. Hic vt Patrem à ſeruitute in libertatem reſtitueret, putans hoc facto Prætoris amicitiam contrahendam, non modicam diligentiam adhibuit: tandem pretio quadraginta ponderum eum redemit, & parata nauicula, donatumque duabus campanis, quæ illi genti in æſtimatione ſunt, in ciuitatem Zebuanam liberum redire permiſit. Verſabantur Zebuani in magnis metus anguſtiis, ſi ad eos veniret Mindanaius pirata, qui bonis auda-

cior euentibus superbierat, cum præsertim milites, qui in huius ciuitatis cūstodia sunt, & commendatarij ciues, ad Manillam vocati essent, vt inde ad Molucas contra Hollādenses expeditionem facerent. Rem hanc, & Bisaïensium calamitatem, vt cum Domino Insularum Gubernatore tractarent, missi sunt ad vrbem Manillam, Reuerendissimi Episcopi, quem infirmitas ad eundum impediit, & totius ciuitatis nomine, Pater Franciscus Vincentius in Pictis Iusulis Superintendens, & Pater Pascalis de Acugna, qui ab hostibus recens venerat. Ibi egerunt, vt milites, & ciues commendatarij in sua ciuitate permanerent, addita denuo acie militari duplici, vt vrbem illam, & Insulas pictas, quæ Bisaïensium, seu Pictorum sunt, à quocumque impetu tueantur, dum ad Mindanaenses expugnandos parantur necessaria.

BOHOLANA, DVLACHIANA, & Tinagobensis Sedes.

BOholanis hoc anno tranquillitas fuit ab hostium incursionibus, tantoque maior Patribus nostris facultas salutis indigenarum procurandæ. In Dulachiano agro, in oppido Dagami, quod caput est reliquorum, baptismo lustrati sunt adulti omnes, qui adhuc in infidelitate perstabant, sed eorum numerum non assignant; ante Baptismum autem moniti, seruis, qui leui ex causa serui erant liber

libertatem reddiderunt. Areſcebant Dagami, quæ creuerant, oryzæ ſata, defectu pluuiæ, quæ multis iam diebus in deſiderio erat. Indicta ſupplicatione publica, longo ſe flagellantium ordine, ſanctiſſima Virgo, cuius imaginem præferebant, ita deprecantibus præſto fuit, vt tribus diebus continuis imbrem non ceſſantem habuerint. Horum exemplo, & miraculoſo euentu commoti ſunt Paloenſes, qui pluuijs etiam indigebant, itaque ſimili ſupplicatione vix, qui flagris terga verberarunt, domum redierant, cùm copioſus imber è cælo decidit, qui abũdantem dedit fructuum perceptionem. Conſcius Sacerdos, quod ſenex antiquitatis ſuæ tenebris adhuc obſcuratus, pro ſalute filij Dijs ſacrificium obtulerat, eum grauiter reprehendit, & ad pœnitentiam adducere conatus eſt: ſenex inueteratam ſacrificandi conſuetudinem occultauit, ac negauit factum: Deus autem ſupplicium de ipſo manifeſtum, in aliorum animaduerſionem ſumſit: ſimul enim ſenex & filius, cuius ſalutem nefario ſacrificio quæſierat, impœnitentes interierunt. Tinagobenſi Reſidentiæ, quæ ſubijciuntur Inſulæ, à SAMAR, vt ſuprà diximus, nomen habent, quod idem valet, atque Infimæ Inſulæ. Vix in hoc toto tractu veteris infidelitatis vlla indicia reperiuntur: idololatria funditus eradicata eſt, & aucta Fides cum deuotionis & pœnitentiæ operibus. Ferè ſemper, ſed in Quadrageſima præcipuè, per noctem in templis diuerberationis cauſa conueniunt: & multi per calles, tunica induta Europæorum more, vſque ad

sanguinis effusionem funibus se flagellant: Cruces alij portant super humeros, alij aliis pœnitentiæ modis se exercent, & communiter omnibus insedit amor pietates similes frequentandi. Quidam per incuriam die Festo sacris non interfuit, ferebatque aliò nauiculam sale plenam, & cùm longiùs iam esset à littore parum abfuit quin in vndis vento concitatis summergeretur. Tunc ille omissionis suæ pœnam pertimescens Diuinam misericordiam implorauit, sedatur tempestas, sed cùm portum appelleret, quietum mare cernentibus omnibus, & ipso in terram exsiliente, nauiculam hausit.

Ex captiuis, quos Mindanaenses piratæ tulerant, Lusitanus quidam & indigenæ quinque redierunt, qui ita gloriosè loquuntur de aliquibus huius Residentiæ mulieribus, quæ in captiuitate sunt, vt rectè de ipsis illud dici possit: Custodierunt animam suam, & non sunt contaminatæ in escis Gentilium, & memores sunt Domini in toto corde suo. Præit illis exemplo probatæ virtutis mulier, quæ in oppido est Piratæ HINVC, quæ antiquam recitandi rosarij consuetudinem ita retinet, vt sphærulæ precatoriæ numquam ferè de illius manu decidant: manè & vesperè vnius horæ aut duarum spatio, flexis genibus, & leuatis ad cælum manibus, orationi vacat; dies Dominicas, & Sanctorum festa sibi nota sanctificat, idque ipsum concaptiuas admonet, & præcipuè in Fide perseuerantiam, & in virtute conseruanda constantiam crebro suadet. Vna earum mulierum,

ado

adoleſcens, & egregiæ venuſtatis, ſtatuit apud ſe potius morti tradendam, quàm turpitudine candorem Chriſtiani animi maculandum, perſiſtitque in ſuſcepta conſtantia, quæ inhumaniter à Domino ſuo tractata nec minis nec verberibus adduci potuit, vt non contemnat illecebras. Altera ab ipſo Hinuc Pirata, cuius domi eſt, improbè ſollicitata, vt repudiato coniuge, qui in hac Reſidentia ex nobilioribus eſt, ipſi inter concubinas ſit, conata eſt monitis tam peruerſi hominis intemperantiam corrigere: quod cùm non ſufficeret, vt eùm ab intenta nequitia auerteret, magna conſtantia ab ſe procul abegit, & hac de cauſa eam flagellis quotidie, pugnis, & virgis ita malè afficit, vt ſæpe pro mortua relinquatur, facieſque ipſa pallida vulneribus & vibicibus rem demonſtrant. In noctibus lucta eſt maior, ſed pia mulier in tanto diſcrimine noctes agit pænè integras, ſedēs, plorans, & caſtiſſimæ Matris Virginis opem implorans, ſicque firmatur Diuina gratia. Semel Hinuc ira percitus & furore, quòd à muliercula ita deſpiceretur, acinacem arripuit, quo illam obtruncaret; illa ſtatim maxima alacritate genua flectens, iunctiſque ante pectus manibus, & ſublatis oculis, percute, inquit, pro Chriſto morior. Hinuc ſpeculum iſtud admiratus, mutauit animum, priuauitque Chriſti famulam corona Martyrij, quod in votis habebat, fortè vt maioribus meritis, & longiori patientia pulcriori laureola perfruatur.

SPIRITVS SANCTI, ET Carigana Sedes.

IN Sancti Spiritus, siue Palapagi, administri sunt nostri Patres oppidorum decem, quæ amplæ insulæ Zabao, & duabus minoribus circumiecta sunt, regioque hæc satis ampla Sancti Spiritus nomen habet, sed quoniam in oppido Palapag primum fuit Fidei præconium, hinc est, Vt Residentia Palapagana dici soleat, non aliter ac aliæ Residentiæ, quibus multi ad ministeria assignati sunt populi, à præcipuo appellationem sortiuntur. Numquam ad hanc regionem Mindanaenses peruenêre, tum quia magis distat, quàm aliæ, tum quia maris nauigatio est perdifficilis per angustum fretum, & velut ostium, per quod mare ad insulas istas funditur, & refunditur, refluuntque vndæ in seipsas ea velocitate ac impetu, vt certum sit ignaris illac nauigandi periculum. Rebus itaque pacatis huius Residentiæ, fructus etiam pacatissimi percipiuntur, vt hoc anno ad Baptismum mille ducenti sexdecim adducti sint: trecenti paruuli, vnde nonnulli paullò post feliciter defuncti sunt: ex adultis quadringenti & octoginta duo consuetis Ecclesiæ cærimoniis matrimonio coniuncti. Indigenæ quidam venationis causa montem ingressi, gurgustia quædam idolorum cultui dicata videntes, ancipites ac dubij esse cœperunt, an vera essent, quæ de idolorum inanitate nostri prædi

prædicauerant, & ſtatuto ad ianuam idolo, comperiamus, aiunt; vtrum proauis noſtris, an Euangelij prædicatoribus adhibenda ſit fides: ſi cernuum ceperimus, ſtandum erit antiquæ doctrinæ. Tunc exeuntes, hac illac perueſtigantes, ſub veſperum nihil venati redierunt: & Crucē ſanctā idoli loco ſtatuentes, addiderunt, vera fatebimur, quæ Patres de Chriſto nos docent, ſi ceruū venati fuerimus. & ad venationē exeūtes ante horam ceruū magnitudinis ingentis deprædati ſunt, quod ipſi admirati, multis aliis & noſtris etiam retulerunt, & errorem dedocti ſunt. Carigaræ bellici quidem rumores terroris nonnihil pepererunt, non ita tamen, vt miniſteria noſtra prætermitterentur, quāquam populi frequentia minor aliquando fuit, ſed ipſe tandem timoris turbo indigenarum ardorem pietatis excitauit, maior enim deinde fuit ad Sacramenta concurſus. Indigena quidam multo auro & mancipiis opulentus, ab amico pietatis cultore admonitus eſt, vt depoſita auaritia, tandem Deo ſe dederet: memineris, inquit, quod in concione audiuimus, qualiter Deus peccatores punit, quos diluuio quondam perdidit; cui reſpondit auarus iocator: Aurum habeo, quo ſcalam fabricabo ita ſublimem, vt ſi mundus iterum aquis obruatur, ad ætheream regionem poſſim aſcendere. Non multò pòſt eum riuulum pertranſiret, in paucas lapſus aquas interiit.

PRO

PROVINCIA LVSITANIA.

ANNO priore fuimus sexcenti septuagintasex Socij, posteriore decem & nouem illis pauciores; Sacerdotes ducenti triginta; Scholastici centum nonaginta circiter, Coadiutores centum septuagintasèptem, octoginta Nouitij, Familiæ decem & octo.

OLYSSIPONENSIS PROFESSORUM, ac Tironum Domus.

IN Professa Domo tres occubuere, omnium primus Nicolaus Pereira, rei familiaris iactura insigni, cui se vltrò, Musis valere iussis manciparat, cui primas operas debet succrescens Nouitiorum Domus, quam valdè iuuit, visurus propediem absolutam, nisi dura illa manus vnco

tra

traxisset in Libitinam, meritis grauem, natum annis sexaginta quinque, nobis iunctum triginta sex. Crudum adhuc vulnus infricuit Alfonsi de Proença proximus discessus, eodem vitæ genere, & fide, quibus ille superior, quo mortuo magnum nobis reuixit magni illius Ignatij Martinez desiderium, cuius lateri viginti ipsos annos tractandis pueris adhæserat: plures etiam colligenda nobis stipe posuerat: mite ac mãsuetum ingeniũ: cõpositi ad modestiam oculi, animorũ illices & amici, cælestium rerum commercio viam muniebant; viuum amauit, mortuum suspirat Olyssipo, cælo inuectum post ætatis annum primum supra quinquagesimum, Societatis secundum supra tricesimum. In ipso ætatis flore nobis præreptus est Guillelmus Monisius, primo adhuc Tirocinio multus victoria. Conimbrica Olyssiponem missus morbo corripitur, nec inter morbi deliria omnino desipuit, quin duriora quæque Obedientiæ nomine prosequeretur; de cętero summa innocentia, & quæ in illa ætatula parum negotij ad Superos facessat. Annis vixerat septemdecim, primo Societatis defunctus. Sacro fonte lustrati ad septuaginta Hebræi, Turcæ, Mauri, Hæretici vitio emuncti: Duo insigniores, alter Maurus Dynasta, alter Morabitus Cacisius: copiis ille, & potentia Nobilis: iste litteratura, & Alcorani commentis superbus: lustralem aquam apud nos suscepere: Episcopus Septensis lustrauit: de fonte suscepere primates Lusitani sollemni cęrimonia. Indica nauis ad bonæ Spei promontorium horrendo aquarum

pro

procursu ad Syrtes & breuia impegit, in summo discrimine mox omnes cælum ac Superos fatigare: pendet, nutat, & mole sua stat oneraria, dubia quà ruinam trahat: tum qui aderant Virgini, cui à fine religio, haud illepidè in fine vitæ votum nuncupant: ædiculæ id nomen est, haud procul Olyssipone, fastigiato promontorij isthmo, & in Oceani prospectum pharus altera. Resilit subitò inter vadosa nauigium, ac velut cælesti manu ductum viam tenet, & portum; dissimulare interim solutionem debitores: noster vnumquemque adire, aurem vellere, insimulare voti damnatos, donec collatis symbolis lychnus aureorum ducentorum & quinquaginta confletur & affigatur. Ridebat adolescens omnem rationem Sodalitij petulantiùs, cuius flagitij cùm à Sodalium vno seueriùs argueretur, Age, inquit ille, schedulam mihi vnã, hoc mense, Rhadamantus aliquis ex vrna moueat apud vos, & si quidem Sancti tutelaris mihi nomen obtigerit, ea syngrapha sit, me nomen daturum vestro albo. Ergo dies aderat, demittuntur in vrnam nomina, sortitò educuntur, eo ipso, quo optauerat, nomine schedula illi exiit, perculit animum adolescentis oraculum, & homines, qui se tam ritè inaugurarent, dato nomine, persequitur, ad virtutem impigrè æmulatur. Lectulo affixum, Sodalem grauis morbus opprimebat, sed enecabat maximè nausea, cùm deplorata valetudine cælestis Mater adblanditur, visendam se ægro cum puellulo per speciem obtulit, puer calathum gestabat pomis grauem, tum ad irritamentum gulæ

offerre

offerre homini fastidioso. Leuat ipse impiger corpusculum, dat se in genua venerabundus, & in puerum ruere capit impetum, subitò autem inter manus tantum delicium elabitur, mox autem nausea depulsa cum morbo est.

Insequente anno ademtus est è numero Fratrum in Professa Domo Bartolomæus Aluarus, Formatus in re domestica. Adiutor, in Deum & rem sacram pronus, vnde illa ad augendam templi supellectilem industria, cuius manu si partum dixerim princeps totius sacrarij instrumentum, à vero procul non erit. Vt tamen cum manu animum intenderet, nullam Aluarus diem à psallendi officio duxit vacuam, Sacerdotibus, quotquot posset, facientibus ministrare, & pietatis occasionem, quantulacumque se daret, premere solitus. Cęterùm quàm piè in Deum affectus foret, apud externos planè docuit; quæ enim ægrotus post Eucharistiam vomuerat, nixus genibus Aluarus exhausit, tactus metu, ne si quid sacri subesset, minùs castè haberetur. Mira eius in ægrotos caritas, quos annis ferè quadragenis apud nos procurauit, & quidem aperto capite, vultu placido, vt in eo negotio nullius opem operámve exigeret, tametsi liceret per ætatem, & labores, Iaponiis laboribus destinatus, & ab Antistite Sebastiano Moralio in Sacerdotem selectus, amplexus laborem, honorem constantissimè remisit. Morbo tandem afflictatur, quo pressus morbo, sacrum Beato Bartolomæo diem confecit vltimum. Ex Hæretica licentia quinquageni Christi se Fidei credidere: ex

Ma

Mahometano & Hebræo luto quini viceni sacra vnda lustrati: terni tamen, eiurata clàm Hæresi, Christo ac Fidei restituti: & in iis natione ac vita domestica Maurus vnus, licèt quadriennio iam publicus Theologiæ auditor. Vnus aliquis inter reos capitis damnatus, causam à prophano Senatu ad sacrum vertit, quòd se familiarem Religiosi Ordinis, & Sacerdotem assereret, idque firmaret testibus. Hinc exorta inter vtrumque Senatum pugna acerrima, vt iam propè ad manus & ferrum veniretur, dum vtraque pars reum ac eius iudicium sibi vindicat. Verùm vbi patuit paratos ab reo testes, quibus causa niteretur, ducitur ad supplicium, eoque mittuntur cum lictoribus instructi securibus Magistratuum apparitores, ne quid tumultus oriretur. Coëunt etiam populares relictis operibus officinisque, pro sacro Senatu pugnaturi, si quid moueretur, tanto mortalium concursu, vt dena millia in armis essent. Quid fieri oporteret in tanto rerum motu ægrè succurrebat: à nostro tamen homine factum, vt reus suas artes cum fide referret: quo dicto omnes discussi motus euestigiò, & reus iniecto laqueo suspensus dignum moribus exitum inuenit, non tamen leui salutis argumento. Similis pænè nostrorum industria in altero, ac similis euentus. Nobilem peculatus reum indicia & iudicia oppresserant, vt res ad restim pertineret, qua parata, commotus grauiter, vel doloris puniendi, vel leuandi criminis gratia, multa in libello nomina conscribit, quibus sceleris affines ex ipso supplicij loco nominaret, &

iu

iudicio committeret. Res multorum famam offendebat grauissimè, ciuium animos turbabat, quos ad spectaculum viri Nobilis pœna exciuerat. Hominem vt ab ea mente demoueret, è nostris vnus aggreditur, & reus licèt primùm non respondet, ad extremum tamen precibus vincitur, libellum rescindit, nihil de sociis agit, à piaculo purgat animum, & crucem subit pientissimo in posterum exemplo. Hisce rebus permoti ciues prædicant homines Societatis publico natos bono. Pater Ignatius Martinez nuper vita functus, is qui totam ætatem in pueritia instituenda collocauerat, his diebus oculos cæco puero restituit. Puer annorum duorum, Emmanuelis Lacerdæ ac Franciscæ Aragoniæ filius, in morbum incidit, ex quo perdidit oculos. Deploratam filij salutem pater à Deo parandam censet, petit ab nostris, quos obuios primos habuit, ecquid reliqui ab Ignatio Martinio habeant, cuius sub vexillis puer Lacerda adoleuerat, cuiusque sanctitati multum & nobilissima & deuotissima Domus tribuit. Affertur schedula ex Ignatij manu, quam Lacerda excepit nixus genibus, nec sine lacrymis in magnam spem erectus, puerique oculis admouet; mirum dictu, admota schedulà cæco repentè oculos restituit. In Seminario Hibernico decessit anno priore Pater Eduardus à Costa, in primaria nobilitate natus, magnisque ditatus redditibus, cœlibem vitam ad quadragesimum secundum vitæ annum magna laude egerat, inde Societatem ingreditur, & quoniam ætate grandior, effetis

viribus, nequibat quibus volebat copiis Deum demereri, eis statuit, quibus posset. Quare in Collegij fundationem fortunas omnes corrasit, fortunatissimus vel maximè hoc nomine, quòd Fundatoris encomio viuus & mortuus breui interuallo potitus est. Cùm enim de loco ac sede Collegij consultaretur, sedem ipse mutauit, & egregios viri conatus inexorata illa necessitas intercepit, postumamque feturam Societati reliquit, posteris documentum insigne pietatis. Memorant, in summa illa facultatum licentia, vsque adeò alienos oculos præcauisse, vt etiam famulorum conspectu in corporis adminiculatione sit verecundatus. Inde morti accinctus, ingeniosus pudoris Athleta, sacro oleo perungendus, vnum enixè petiit; tum se prolixiori gaudio delibutum fore, si sacra ea litura, inuiso corpusculo, nullo pudoris dispendio, admoueretur: ita mortem, placidissimo somno similem, eluctatus est, anno ætatis quadragesimo, Societatis septimo. Secundum ibi amisimus Patrem Andream Aluarez, emeritum totius Prouinciæ Procuratorem, eumdemque dexterrimum, & virtutis studio spectatissimum. Quamuis graui confectoque corpore præcipitaret ad senium, viarum difficultates crudus viridisque superabat. Mortem mira animi voluptate excepit, ætatis suæ quinquagesimo sexto, nostræ Societatis sexto supra tricesimum. Tertius discessit Pater Dominicus Pirez, annis natus quadraginta duobus, egerat in Societate duodecim, Spiritualium Adiutor minimè malus. Morbi improbi

bitate laborum Iliadem exsorbuit. Quartum mors abstulit Antonium Emmanuelem, bonæ indolis adolescentem, qui phthisim obfirmato ad mortem animo ita pertulit, vt vitam præ illa sibi iam molestam fore dictitaret. Obiit anno ætatis vicesimo sexto, nobiscum nonum absoluerat. Quinto loco desideratus est Franciscus Aluarez, rei domesticæ Adiutor, Diuinæ etiam cupidissimus, cui vnius suauissimè inhiauit, longo senio assecutus est. Vltimus numerum expleuit Alfonsus de Boim, eodem vitæ genere, iisdem morbi molestiis diuexatus, sed breuiori cursum tenuit, triginta annis natus, quorum octo apud nos summa laude traduxerat.

CONIMBRICENSE COLLEGIVM.

PHTHISIS vnum & alterum nobis exstinxit: Primum Antonium Ferreiram, læuo an læto anni auspicio dubium: primo scilicet anni die vltimum habuit in humanis, in Diuinis prorogaturus. Rerum domesticarum Adiutor fuit sanè strenuus, sed vitæ compendio vires fregit, cùm expleſſet vicesimum sextum ætatis annum, Societatis quintum, & virtutum omnes numeros. Secundus Emmanuel Correa fato acerbo extabuit, sed hilari vultu in pertinaci laniatu dolorum: Philosophum agebat bonæ spei; Religiosum minimè malum: ætatis annum vicesimum secundum: in Societate sextum. Sodales, elaturi fune-

re aliquem ex Collegis, albati coëunt in commune sacellum, vnde posteà ordine procedunt ad exsequias. Quòd igitur Sodalium vnus insigni rectus amictu non venerat, Sodalitij Censor ceream faculam ei negauit multæ nomine. Animaduersio huiusmodi hominis animum adeò exacerbauit, vt in verba licentiùs prolaberetur. Cæterum ab eo stomacho vbi deferbuit, tanti piaculi luendi optimam iniit rationem, nam cùm Sodales coiissent, frequentésque omnes nullo vestis insigni assiderent, ipse alba iam penula insignitus ingreditur, tum defixis solo genibus temerariam linguæ procacitatem palam profitetur, multísque incusat: optare se à Censore illo duriùs obiurgari; cæterum veniam illo habitu & poscere, & sperare, nec immeritò assecutus est, & ingenui pudoris amatorem omnes mutuo amplexu exceperunt. Femina triginta ipsos annos libidinum cœno volutabatur, neque satis fidebat Confessariis: inde sacris passim temeratis in desperationem adducitur, & iam infernates vmbræ prætendebantur, miseram vt portentis ludificarent, cùm supernates affulsere splendores. Pernox cùm ea semel facinorum conscientia discruciaretur, somno occupatam Virgo cum Puellulo IESV circumuenit, oculis & vultu seuerioribus obiurgat: tum Puellus, eia, inquit, hosce vide minimè suspectos: duos ille nostros Sacerdotes digitulo commonstrabat, quibus peccata tutò credas: nec plura Puer, sed cum amica quadam indignatione discedit. Enigilat mulier cum eiulatu, & reliquum noctis producit insom

insomnis: vixque illuxerat, cùm in ædem nostram properat: ibi lacrymabunda ante Virginis & IESV aram supplicabat: & ecce tibi duo illi nostri, tùm primùm ad oppidum prouecti, templum ingrediuntur. Hæsit diu stupore defixa mulier, ob rei insolentiam, quod videt, non satis credit: vbi tamen recognouit, domum repetit, mox totius vitæ inita ratione, peccatorum turpitudinem expendere, in comperendinum dictura parare: nec multò pòst ad pedes nostri Sacerdotis mandata facessit: tum & illa animi turbatio penitùs facessiuit. Nostris peregrè versantibus concionum gratia nuncius est allatus, luporum cateruam saltu degressam in homines inuadere, septem iam mortales eorum laniena interiisse, plures etiam commorsos contagio laborare, sed illud stupendum inter cætera. In vicino oppido Germello famosam feminam vulgato corpore lasciuire, quam lupi omnium primam confecerint; nam ipso meridie lupi cateruatim lupam in lupanari inuadunt, & inuerecundum illud os ore vesano, fœdóque laniatum relinquunt.

Anno altero aliquot Sociorum exstincti febre: in iis primus Emmanuel Pinarius, nec Philosophiæ curriculum, nec octauum in Societate annum, bonus sui hostis peregit. Post hunc Antonius Godinius, religiosè viuendi, & meditandi amans, decurso Philosophiæ spatio, & nonum Societatis, & supremum vitæ annum expleuit.

Tertio loco elatus est, Angelus Borgius, Italus, curandæ rei domesticæ ita deditus, vt ex pulmone

sanguinem labor excusserit, laboris ita amicum, vt imminente fati die adhuc non cessaret.

Quartus excessit Ludouicus Rebellus, Humanitatis studiosus, in humanis tamen decimum nonum, in Societate tertium annum vixit, totius virtutis cura notus, verum pietatis & pœnitentiæ ardore notissimus. Præcipuam duxit curam, se premere & deprimere: atque ita ad occasiones intentus, vilissima quæque exercebat. Cognatorum tam piè abhorrens, vt è nostris vnum, auctoritate & gratia non modicum, minùs curauerit, quem sibi cognatum nouerat. Quidquid temporis à reliquo negotio suppeteret, in contemplandi otio collocabat, eáque erat inter Socios de Ludouico opinatio, vt quæsitum nemo nisi nixum genibus, & meditantem inueniret. De obitu monitus nihil mouetur: tam lætus de eo disserit, vt nihil in votis aliud habere videatur, ita de patriæ bonis certus, vt cùm Sacerdos vnus illa Iobi ederet oracula: In carne mea videbo Deum saluatorem meũ: semel & bis adderet Ludouicus: Quem visurus sum ego ipse, ego ipse: atque ita cùm paullatim deficeret, inter piorum preces tranquillissimè exspirauit, tam læto oris habitu, vt cùm efferretur, viuus videretur. Suam quoque in Tirones manum iniecit mors acerba: Emmanuel enim Foïus, Olyssiponensis, genu exulcerato decubuit, & occubuit. Is quidem erat, quem morbi vis satis molesta commendauit, spe & patientia probatum. Foïum sequitur Sebastianus Aluarus, Adiutor optimo patientiæ nomine; cùm perpetuo totius

cor

corporis dolore vexaretur: laboris patientissimus, quem non exiguum in prædiorum cultu posuit. Ex Patribus tres & morbus & mors abstulit; vnum in primis Emmanuelem Tauarium, Eborensem, anno Societatis quarto & vicesimo, morbi causam ab ægro iam quadragenarius contraxit, quem audierat confitentem. In Insularum stationibus Theologiam de Moribus docuit, & Concionatorem egit bona totius Societatis fama. Alterum rapuit Franciscum de Faria, quattuor Votorum Professum, & quadragenarium, duos & viginti annos in Societate agentem, totius vitæ cursu totius etiam virtutis nomine prædicandus. Paupertatis ita studiosus, vt eam in paruis æquè ac in magnis amaret. Caritatis & pacis adeò amans, vt pro odio gratiam redderet. Meditationibus ita mancipatus, vt Deum semper versaret animo.

Postremò obiit ille totius Prouinciæ magister Sociorum parens, & nouum sanctimoniæ exemplum Georgius Rigius, quem tamen beatorum sedibus adscriptum vitæ benefacta, & præclara omnium dicta probant. Eius ætas ad annum octogesimum septimum processerat, cuius in Societate septimum & sexagesimum expleuit, trium Votorum Professus. Ab inito Sacerdotio in Collegij Ministrum cooptatus, eam potestatem ad prouectam iam ætatem tolerauit: quænam verò ibi sanctitatis signa fecerit, supremus Professorum gradus monet, quem sibi decretum obstinatissimè recusauit, illud iteratò dictitans, satis sibi suóque nomini quæsitum, si in secundis consiste-

ret. Diuinis rebus ita vacabat, vt nec morbus, nec vlla rerum cura meditandi curam ſolueret. Nam cùm grauiter affectus decumberet, rogatus de valetudine, reddidit bene ſe valere, dictum ex eo firma tum arbitratus, quòd ſtata meditandi hora, licèt lecto affixus, meditaretur. Quo in ſtudio quàm intenderet animum, ſignificauit, miratus in quodam Socio mentis in oratione vagationem; nam, inquit, quî fieri poteſt, vt aliena Deo cogitet, qui Deum orat? Paupertatem matrem profeſſus toto corporis cultu & habitu: veſtes ſua manu refarcire ſolitus: caligis quinquennium, pileo vltra decennium vſus. Poſcenti dederat cęleſtis Agni cerulas, ea facultate, qua Miniſter, ea dona dabat. Ex facto ſubit animum facti pœnitentia, atque in multorum aſpectu nullum ſibi aliud in ea re factum, hoc vno excepto, pœnitendum retulit, nec ſine lacrymis. Senſuum licentiam ita ſeuerè habuit, vt in vltimo vitæ die pedem ſubtraxerit tentanti an frigeret. Linguam ita premebat, vt numquam ſine magno verborum pondere & pudore loqueretur. Hunc ab vno Obedientiæ cognomento Sanctum Pater Iacobus Myronius nominabat, cùm Prouinciam recognoſceret. Certum illud & peruagatiſſimum à Miniſtro morem Rectorum moribus ita geſtum, vt ex eorum dicto dictum, ex vultu vultum, ex animo animum formaret; ac vel eos etiam, quorum pueritiam inſtruxerat, Chriſti loco Præfectos pueri more & modo ſenior obſeruabat & colebat. De ſuo miniſterio ita ratiocinari erat ſolitus: inuiſam obtemperantibus Miniſtri po

potestatem cur ambirem? Molestam ministrantibus cur pertinaciter detrectarem? Nónne id obedienti homini absurdum fuerit? Mulcendæ Sociorum valetudini, morbisque leniendis nullam vmquam opem & operam non adhibuit, quibus se rebus natum & prouisum à Deo dictitabat. Quo in genere illius quoddam facinus memoratur, quod Petrus Fonseca magnæ vir auctoritatis, miraculum, non miraculo dixit simile. Ægrotum nactus vlcerosum Rigius, non auersatur, quamuis delicati animi sollertia à curando auertat: quin potiùs cùm ex hominis vlcere manet sanies, manantem ex vlcere saniem semel & bis exsugit, vt ostendat arduum esse nihil, & nihil horridum, quod caritatis virtus non efficiat, non exhauriat. Vno verbo eius sanctimoniam clarissimorum virorum testimonia ostendunt apertissimè. Ignatius Martinius Rigij sententiam in negotio, quod inciderat, publicè in conuentu Patrum laudauit aliquando, tamquam hominis, cuius auctoritati nemo deberet refragari. Venerat idem Ignatius Conimbricam, cuius manum vt oscularetur Rigius omni conatu enisus est, sed præcisè negauit Ignatius, atque cùm Rigius inde excessisset, de illo sic locutus est: Ea pollet Rigius sanctitate, vt mihi sit dubium, an iustè à nobis curetur, & pro meritorum gratia ametur: ego certè non satis haberem, quem ille tangit pedibus, locum oscularis. Æqua de Rigio Pater Petrus Fonseca, qui à Rigio non facta facinora, sed miracula patrata asserebat. Idem censuere Pater Hieronymus Caruallius &

Pater Franciſcus Soarius, Conimbricenſis Antiſtes, Academiæ Rector, ex Academia litteratiſſimus quiſque, ac ſacro è Senatu Patricij, quibus Rigij ſanctitas & grata & nota erat. Neque minùs reuerenter de eo iudicauit Princeps Catharina Ducis Brigantini mater, neptis Regis Emmanuelis, quæ de nullo potiùs, quàm de Rigio ſciſcitabatur, nullius æquè ac Rigij ſanctitatem celebrabat, quem etiam ex matris præſcripto, dum Conimbricæ vixit, Alexander eius filius parentis loco & habuit & coluit.

EBORENSE COLLEGIVM.

AVſa etiam eſt Eborenſes contemerare moleſta illa phthiſis, vt pari ac Conimbricæ iactura, duos afflauerit, ætate, ſtudio, virtute pari, dolore etiam noſtro pari. Primo contactu emarcuit floſculus ætatis Michaël de Alcaceua, abſoluto vixdum Tirocinio; ſed in illa ætatis teneritudine, annoſa & adulta virtus conſenuerat. Cùm paullulum morbo recreatus corpuſculum leuaret, rogatus à ſuis eſt, vellétne Societate exauctorari, quod ſe impetraturos, vitæ cauſa, non diffidebant. Mihi verò, inquit ille, viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Igitur quam vitam deuouerat, mira dolorum patientia incorruptiſſimè traduxit. Eum ſecutus eſt Franciſcus Rotericus, ab operis Formatus Adiutor, Societatis amore inſigniter laudandus. Huius parentibus dum homi-

nes

nes nequam obesse infamia studeant, Roterico grauissimè incommodarunt, nam cùm Societatis illud esset impedimentum, dimissus ab ea est; cęterùm eam calumniam adeò ipse eluit, vt vel ipsi impostores turpissimi mendacij conuicti fuerint. Ergo comperta veritate ire iterum in Societatem Rotericus pergit, rediitque, qui noster fuerat, sed breui fuit, nam comes Procuratori Romam eunti phthisim contraxit, vnde absumtus est.

Et altera quoque biennij parte obiere duo, primus Pater Rodericus Barrius, Spiritalis Adiutor, lenta corruptus febri, molestias morbi patienter pertulit, & bono virtutum omnium exemplo, quem pietati deuotissimum probat frequentior ad augustissimum Sacramentum obsecratio. Sub Patris Roderici excessu Frater Thomas Fernandius, in re familiari Adiutor, dum vixit & valuit, piè & diligenter sua munera obiit. A Tudertania missus Eboram, mortis causam habuit eiectum ore sanguinem, quam ille iacturam pro Christo factam in magno habebat lucro. Muliercula cum marito vitam manu tolerabat, eáque industria pecuniam coëgerat, vt vicena in numerato sestertia haberet, quin de summa virum moneret. Nec succurrebat, quo in opere tantam pecuniæ vim pulchrè locaret, nec opportunitatem ad id captabat, eam tamen Deus obtulit. Cùm enim puella genere Nobilis in Sacro Virginum loco foret, & periculum esset, ne, ob rerum angustias, profiteri non posset, néve loco moueretur, rerum fortunam, puellæ nobilitatem, naturæ dotes simul cum inopia

pia in vrbem fama distulit, in forum distraxit; quo in loco muliercula suas curabat opes. Iniqua ergo puellæ fortuna pulsatur mulieris animus, nostrum extemplò conuenit, quam pararat summam in puellæ dotem libēter attribuit. Docet noster viri assensionem in id munus, & pium opus esse, conciliandam, quam mulier & pollicita est, & à viro non inuito expressit, cuius tam prolixa voluntas erga alienam penuriam ita Virginum Collegium ipsi demeruit, vt tametsi oblata summa rationem consuetæ dotis non æquaret, pro legitima tamen dote sumeretur.

BRACARENSE ET BRIGANTINUM Collegia.

BRacaræ Lutheri discipulus, nostris Doctoribus, fœdæ scholæ errores dedidicit. Vnus diro anathemate exsecrandus, post viginti annos tremendæ deuotionis, æris abalienati condonatione, absolutus. Hominum tria millia Cineralium peruigilio Christi corpus participauerunt: eum tenorem pietatis per anni spatia plures seruauerunt.

Altero anno ex Patribus obiit Antonius Dinysius, Conimbricensis, anno ætatis tricesimo octauo, Votorum quattuor Professus, cùm Theologiam de Moribus exponeret, quo in officio versatus septennium patientia nobili; cùm enim minùs valeret commodè, morbi vim tacitus sustentabat:

tabat: nec tamen ex valetudine in socordiam decesserat, Confessionibus & Concionibus paratus. Obtrectandi cupidos solo vultu coercebat: eaque erat de homine opinio, vt verbo neminem vel leuiter offendisse putaretur. Post hunc Odoardus Cerueria, Portuensis, obiit, qui annum ætatis quinquagesimum tertium, tricesimum nonum Societatis expleuerat, ad quattuor Votorum professionem promotus, vir laboris patiens, nam decies in diuersa missus præclarè egerat, Confessionibus continuus, Concionibus assiduus, ingenio ita placido, vt ne verbo quidem læderet, & si facto læderetur, ex quo magnam domi forisque gratiam coëgerat.

Brigantiæ Iubilæi Religio profanum ieiunij præludium fausta acclamatione consecrauit. Pari auspicio Parthenonis Sodalitium artifices, & agricolæ nuncuparunt. Ad celebriora oppida susceptæ tres expeditiones, quibus momenti magni merces exportatæ sunt. Vnius infelix casus, qui cùm salutares admonitiones summo despicatui haberet, maiores etiam odij flammas eructaret, in pontis traiectu, cum multi præissent innoxij, ipse depontanus labente subitò sublicio deiicitur, amneque abreptus, haud dubio Diuinæ vindictæ ostento, præfocatur.

POR

PORTVENSE COLLEGIVM, & domus Professa Villavicosæ.

REctorem in Portu amisimus, Patrem Ioannem Pintum, cum desiderio nostro ingenti. Carum omnibus & amicum sincera hominis fides commendabat, gratum ac facilem morum suauitas, & cum venustate coniuncta pietas. Commentariolos propriis notis exaratos reliquit, in quibus rerum series, altera expiandi animi curam indefessam, altera cælestes Christi delicias, quibus precando fruebatur, commonstrabat. Illa septemdecim vitæ totius confessiones notatiunculis significabat: ista nectareos Christi amores, multiplici cælesti afflatu, complectebatur. Cum hac vitæ cura nulla vitæ discordia fuit: talem vitam apud nos triginta octo annis posuit, talem mortem quinquagesimo sexto inuenit. Opportunè nostri vinctis, fame oppressis cibos conuexere, strauere mensam, res Diuinas inter vescendum tradidere: sed opportuniùs paullò pòst aduenis, vrgente fame in vrbem confluentibus ea multitudine, vt quatena millia capita censerentur, operam dedêre, vt Magistratus & ciuitas eorum egestatem leuaret. Coacto apud nos vtroque vrbis Senatu, decretum, vt domus extra vrbem pararentur, quæ multitudinem acciperent, pecunia de publico in cibos attributa, creati annonæ Præfecti, qui negotium sedulò curarent. Per eos dies potentio

tentiorum domus patuere, cibi & fomenta egenis passim præbita. Puer fuit, qui sibi à parentibus paciscereturomnes mensæ reliquias, sua manu mendicis diuidendas; pactum tametsi gratis non impetrat, studio & patientia extorquet, cogit vndecumque munuscula, ad ægros adit, cibum in os infert, è lectulo tollit, culcitam versat, ægroto grauiùs affecto ad latus adest, nocturnas agit excubias, nec humilitate ægrotantis, nec vllis lecti sordibus deterretur, vt significet quid incensa vis pietatis valeat, vel in ea ætatula.

Villavicosæ nobilis femina molesto morbo infestata longos medendo protriuerat annos, Superos omnes precibus ac votis, homines fortunis ac donis sollicitauerat, nec hilum tamen profecerat. Ea domo semel egressa in vicinum templum properabat, in nostrum tamen ab amica introducitur, vbi Beati Patris Ignatij effigiem animaduertit, & percontata cuius esset, audit de illa altera muliere, quod eius animum commoueret; mox igitur, manantibus vbertim lacrymis, O Ignati sanctissime, ait, fer opem quæso miseræ: per has ego te lacrymas, per sæuissimos corporis cruciatus obtestor, fer opem miseræ, Pater, iterum rogo, fer opem. Hæc ferme precabatur cùm deprauati corporis emendationem sensit, domum regressa corporis vitium explorat, nullum apparet morbi vestigium. Tum laudatissima familiæ testificatione acceptam Ignatij beneficio valetudinem prædicat.

PHA

PHARENSE, PORTALEGRIVM, Funchalense, Angrense, sancti Michaelis Collegia.

PHarensium Sociorum diem suum obiit Baltasar Monteiro, in re familiari Adiutor, minimè piger, & qui breui, Societatis nostræ commercio, magnas cælo merces intulit. Septimum in ea agebat annum, vitæ mortalis insuper vicesimum. Veneficarum portenta regionem infestabant, auitum malum Turdetaniæ, sed quod nunc licentiùs etiam grassabatur, Antistitem eius pestis commonuimus, in eam eius auctoritate seueriùs quæsitum est, & exportatum procul malum pecus extra regni confinia. In Madera Insula, qui rem animorum procurarunt, felicibus auspiciis sua omnes Prouincia sunt defuncti. Alicubi honesta Virgo in Cœnobium propediem concessura, luxati articuli curationem cùm neglexisset, ex tumore vlcus natum est, exque vlcere gangræna, vt iam de cæsura pedis ageretur. Dum igitur Chirurgi sæuam apparant lanienam, Ignatium appellat, olei guttulam ex eius lychno deposcit, sperare se hoc subsidio multos angores redemturam, nec falsa animi est, vna liturà serpentis mali furorem deliniuit, cadit tumor, constat articulus, virgo insistit pedibus,

dibus, & cui se deuouerat Sacro, ad ipsam Beati arā,cū funali cereo assistit. Oppidi familias pæne vniuersas turpi infamia nequam homo asperserat per iracundiæ impotentiam, quòd is vulgo venefi cus haberetur,vnde exstiterant toto oppido grauissimæ offensiones. Hunc hominem Confessionis ad nostrum Sacerdotem cùm adiisset, & inuectam ab se malorum segetem in ciuitatem explicaret, ei fuit auctor noster, vt publicam iniuriam publica eluerei pœnitentia. Ergo noster pro suggesto pronunciat, adesse quempiam, qui de se pauca loqui velit: tum ille maledicus in genua prouolutus: en,inquit, monstrum, non hominem: en exitium, opprobriumque totius pagi. Ferte, amabo vos, istas in me manus, & infaustum caput oraque fœdate. Hæc ille,aliaque huiusmodi non pauca dixit in se acerbissimè. Tum passis ad cælum manibus, manantibus vbertim lacrymis veniam obtestatur.Expressere adstantium fletus tam piæ voces, dimissaque omnes iniuria, laudatissimum remiserunt. Funchalæ publicis malè redemtis quidam planè decoxerat, & desperatione actus, parata resti, cogitabat suspendium. Loco solitario cùm manus sibi esset illaturus,incidit in Anachoretam, multa confectum macie, qui de via & negotio eum percontatus, restim clam ei surripit, statimque euanescit. Inde diuersis vocibus se in diuersa trahi sentit, altera in præruptam rupem inuitabat, inde reuocabat altera, & addebat, peristi, si sequeris, verte ad littus iter, Obsecutus monenti ad

littus descendit, feminam offendit, habitu speciequè virginem, cuius monitu conscendit nauim, eaque vectus Funchalam in vrbem appellitur. Ad nostros deinde adductus, pestem ex animo, & corpore abigit.

ANNALIVM PROVINCIÆ LVGDVNENSIS, SOC. IESV.

ANNVS CIↃ IↃC VI.

TAMETSI Romam suo tempore miseramus, rerum tota Prouincia hoc anno gestarum, diligenter scriptos commentarios, tamen Moguntini Socii, qui eiusdem anni litteras vniuersæ Societatis ediderunt, de Lugdunensi Prouincia siluêre penitùs, siue apud ipsos aut Romæ scriptum nostrum intercideri, siue obliuione modò fuerit prætetitum. Eapropter Præsidibus nostris visum est, vt istius biennij litteris hanc huius Prouinciæ appendiculam attexeremus, vnde peteretur, quod quadraret in Societatis vniuersam Historiam. Totidem porro verbis, quot accepimus, res gestas cuique Collegio reddimus, vt agnoscat sua quisque faci-

liùs, nisi vbi capita quædam vernaculè tradita sunt, quæ nostra dictione necessariò expressimus.

LVGDVNENSE COLLEGIVM.

HÆretici satis multi nostros de rebus Fidei cœperunt consulere, ac de ijs in vrbe quindecim ad Fidem Catholicam traducti sunt: in Missionibus verò aliquot alij, quorum tamen non est initus numerus: nonnulli prætereà eamdem viam ingrediuntur, quos speramus propediem nostræ Fidei Sacramento obstrictum iri. Ex eis vnus, nouemdecim annis animo Lutheranus, Catholicum simulabat, adeundo Missam, rarò tamen, idque semel aut iterum quotannis, per multos annos simulatè communicando, qui Concionibus vnius è nostris perculsus, Confessionem de tota vita, magno sensu pietatis instituit, Fidemque professus est. Alter mercator Lutheranismum ab ineunte ætate in Germania puer hauserat, dein spreto Lutheranismo ad Caluinismum defecerat, ijsque sectis alternis distractus, ad sexdecim aut septemdecim annos indormierat. Tandem nihil ibi solidi nactus Catholicam Romanam tentauit. Cœpit eam cæteris minùs pestilentem, & Hæreticam, Hæreticam tamen existimare. Ad extremum vno toto anno planè in Atheismi barathrum demersus, statuere cœpit nihil istos Diuinos cultus, nihil Deum ipsum esse, nisi in opinione

ne hominum. Illo anno in ſumma deſperatione exacto, permotus fama Concionatoris vnius è noſtris, deſtinatò apud ſe propoſuit tota Quadrageſima, indefeſſo ſtudio, eius audire Conciones, eo animo, vt ex eius dictis aliquam aliam gratam Religionem ſibi formaret, in eaque ad extremum ſpiritum iam aliquando de minimè certis viueret. Stetit conſtanter in propoſito, & ad dimidiam ferè Quadrageſimam quædam pro ſua Religione noua notabat ſeparatim, iamque ſibi neſcio quid nouæ lucis, ad nouum quemdam ritum illuxiſſe putauerat, cùm placuit Diuinæ maieſtati illam erraticam mentem in rectum iter Fidei Catholicæ inflectere: cui ille dicto audiens, ad nos accurrit, omnium ſcelerum mole oppreſſus, egregieque confeſſus, ac Eccleſiæ reconciliatus, deinceps magna pietate in Sacramentorum frequenti vſu ſedulus inſiſtit. Vnus Caluiniſta miles, in Hæreſi natus ad Fidem vtroque fremente parente conuerſus, cùm ad Confeſſionem de peccatis exalbeſceret, vixque hanc partem poſſet deuorare, perſuaſus vt, Sacramenti effectum, ſummam animi tranquillitatẽ, ſimplici Fide exſpectaret ac ſperaret, vix deuolutus in genua coram Sacerdote, totus ſolutus in lacrymas, inuſitata prorſus contritione & ſuauitate confeſſus, abſolutione percepta, tantum intimæ pacis ſenſum expertus eſt, vt ſeipſe, velut miraculum quoddam nouum, miraretur. Confeſſiones ab pridem celatis culpis ampliùs centum apud vnum Concionatorem habitæ, cùm ante illud tempus animæ illæ numquã pudorem peruincere

potuissent: ex quibus vnus plùs quàm quadraginta annos in horrendis sceleribus perdurans, sine Confessione communicabat, audiendis tamen Concionibus bene affectus, toto eo tempore ne leuiter quidem est commotus, vt desperatam vitam relinqueret. Is tandem, Diuina bonitate sub finem Quadragesimæ, ab cælesti gratia potentissimè compulsus planè resipuit, & ad officium rediit. Discipulorum quidam cupidus Societatis veritus ne à patre veniam impetrare non posset, litteris ab eo orauit & exorauit. Pater eum facultate & benedictione amplissimè litteris suis impertiuit, easque per adolescentis ipsum fratrem deferri voluit, cum quo venit mater, & gratulata sibi, familiæque, ipsique adolescenti tantam felicitatem, confessa est nostris, quod numquam fecerat, & cum eodem in ipsomet Nouitiatu communicauit, deinde maternam benedictionem impertita, dedit dicauitque filium Societati, cum omnium, qui aderant, gratulatione.

AVENIONENSE COLLEGIVM.

HÆretici cum Ecclesia reconciliati quadraginta nouem: Apostatæ duo reuocati ad suum Ordinem, atque Cœnobium. Vir nobilis, cum ab annis triginta peccata sua Confessione non expiasset, audita vnius de nostris Concione, quasi de cælo tactus, Sacerdotem subito Confessionis

ergo

ergo adiit. Alij quinquaginta, ab hoc Sacramento vsque eo alieni, vt nulli vmquam Sacerdoti sua crimina aperuissent, totius vitæ sceleta confessi sunt. Vnus è Fratribus nostris scapha præangusta & ruinosa vectus, adhibendis precibus, & frequenti signo Crucis, præsentissimum naufragij discrimen euasit, ad periculosi pontis traiectum: vt etiam Hæreticus palam fateretur se, ac reliquos vectores illius Fratris orationibus, & nominatim edito sæpius Crucis signo ereptos periculo fuisse. Decessit de nostra Familia Martinus Ianson, Formatus Adiutor rei familiaris, vir magna cum Deo coniunctione, eximia mansuetudine, sui abiectione non vulgari, animi tranquillitate tanta, vt vix vmquam in eo commoti animi signum deprehenderetur. Modestia morum, viuida in sermone lenitas, interioris hominis compositio, in eo fuêre singularia ornamenta. Conuictoribus nostris, apud quos fuit annum integrum, maximum reliquit desiderium sui. Hunc paucis post mensibus excepit Nicolaus Vvarrj, vir, ob egregiam pietatem, insignésque virtutes, adeò illustris, vt in omnibus visus sit excelluisse. In Nouitiata magnam partem ætatis vixit, vbi ardua quæque officia cum omnium laude ac Superiorum approbatione maxima administrauit, quibus gerendis conciliauit etiam magnopere animos externorum. Nemo est de tota Prouincia, qui vel eum modò de facie norit, cui eius non sit iucundissima memoria. Prudentia, vigilantia, fortitudo rebus agendis fuit in eo eximia, vt vnus totius Nouitiatus

externa opera oneráque aggrederetur, cõstantique animo exhauriret. Castitatẽ apprimè coluit, vsque adeò, vt vel ipsius libidinis nomen timeret, constat autem ex eo, qui conscientiam eius annos septem tractauerit, tametsi calidæ bilioſæque constitutionis esset, nullos nec stimulos libidinis, nec cogitationes etiam impuras tot annis in eo deprehensas. Animi candorem, morum simplicitatem, comitatem, & sinceram humilitatem, mitissimámque obedientiam coluit studiosissimè, & perseuerantissimè exercuit. In Societate versatus est cum tanto humanarum rerum tædio, vt vix alia re, quàm obedientiæ nomine, moueretur. Nemausensis Missionis Concionator noster cùm Geneuensium Constitutiones de pulpito refutasset, eamque maximè inter omnes, qua Ministris mentiendi, detrahendi, otio atque auaritia diffluendi, ac denique subdolè, ac fraudulenter agendi libera fit potestas, derepentè Caluinista insignis ad Episcopum Nemausensem adiit, & Fidem nostrã, vel etiam eo nomine professus est. Excursum ab eodem Concionatore in oppida duo vicina, & in iis, post primam eius concionem, quattuor Hæresin abiurarunt. Aditi sæpe ab eodem carceres, nec sine fructu: nam infamis quidam, improbúsque Hæreticus, iamque ob plurima malefacta damnatus ad triremes, non modò in veræ Ecclesiæ gyrum adductus est, sed & apud Sacerdotem nostrum confessus est, & ab eo Angelico pane refectus. Proposito ab nostris apud Nemausenses Iubilæo, maxima pars vrbis, ac Clerici fermè omnes,

omnes, salutari Sacramento totius vitæ maculas eluerunt. Concionatoris eiusdem hortatu sanctæ Mariæ templum, ab Hæreticis olim dirutum, ab ruinis & ruderibus mundari denique cœptum est, magno piorum omnium gaudio. Regius quidam Consiliarius, sed Clericus, pariter cum Patre nostro, tres sportulas ruderibus plenas, magno circumstantis populi exemplo, extra Ecclesiam adsportarunt. Patrem socius suus, socium Catholici plurimi secuti sunt: Hæretici non pauci & opus probarunt, & suam operam, immò, si opus esset, pecuniam quoque promiserunt. Non defuerunt Caluiniſtæ operarij, qui nulla mercede conducti, in eam rem sedulò insudarent. Locus erat omnium sordium genere confertissimus; eò enim Hæretici immunda omnia coniiciebant. Monspellij, altera in vrbe Hæretica, Concionator intra annum hoc assecutus est, vt centum ac triginta viri, non infimæ notæ, sint ab Hæresi ad Ecclesiam reuocati, & in iis Apostatæ duo, proximè ad Ministerium promouendi. Nobilis Aduocatus, qui à tenero Hæresis suæ valdè tenax, eò maximè conuictus est, quòd Caluiniſtæ Christo & Spiritui Sancto, suo in libello precum, minimè supplicarent: in cæteris Fidei sententiis ita essent distracti, vt, quot capita, tot sensus, cum Catholici omnes in idem penitus conspirent. Agni Dei sacra cera adhibita, septem febribus, vnum comitiali morbo derepentè persanauit. Malè habitæ sunt inscriptiones quædã Nouatorum, qui, sublatis omnibus antiquorum monumentis, in cœmeteriꝭ

terij sui vestibulo maiusculis litteris inscripsere; MORI LVCRVM. Hortus moris arboribus consitus, ipsis est pro cœmeterio, vnde æquinoctium ducebatur ab nostro Concionatore, quasi ex foliis mori lucrum esset Ministris, vt ex feno, quod inde colligunt, ideóque non, vt aliis in locis, more majorum, corpora in diuersis tumulis sepeliunt, sed permistim omnia, ne herba sua eis concutiatur. Postquàm ergo se irrideri ex eo senserunt Ministri, sublata & paullatim erasa est illa inscriptio. Huic tamen alia audacior pro templi valuis successit hæc: *Deo optimo maximo, & verâ Religioni:* in quam inuectus noster Concionator cùm esset, cumque Magistratu egisset seriò, vt, velut Catholicæ Fidei iniuriosa, deleretur, Regis tandem imperio, ab ipsismet Ministris noctu sublata est. Neque tamen non sunt tumultuati Hæretici, qui enim prius Patri mortem intentauerant, in suos Ministros furiosè conuersi sunt, cum hoc dilemmate: Si religio quam prædicatis, falsa & fictitia est, cur veram inscripseratis? sin vera, cur huiusmodi titulum sustuliſtis? Reposita, tertiò ingens tabula, in hunc modũ litteris aureis Hebraicè & Græcè exarata: *Domus Dei, porta cæli, Pekouel,* Τειχαγίω *sacrum.* Quod scriptum multò magis, quam primum noster exagitauit: Primò, quòd more Nouatorum inciperent Hebraicè loqui, cum Caluiniani vernaculâ omnia velint, vt à populo percipiantur: Secundò, quòd vltima vox, Pekouel, nihil significaret aliud, quàm lecythum, aut lenticulam olei Diuini: Tertiò,

tiò, quòd Τετράγιῳ Deo dedicarent, idque in duali numero, iota scilicet non subscripto, in quo non longè ab Arianismo abludere visi sunt. Quibus eius dictis, cùm non esset, quod responderent, æstuabant Ministri, dolorémque suum premebant silentio.

TVRNONENSE COLLEGIVM.

ROmanæ Ecclesiæ additi sunt ex Hæreticis centum & quattuor. Sodalis, vacationum tempore, cùm domi ageret, incidit in periculosissimam ægrotationem, ex qua nulla vis Medicorum eum posset reuocare: quibus in angustiis, & Sodalitij, & Anicien sis Virginis memor, voto adeundi eius templi se obstringit, ac repentè conualescit. Tum pater ad filium, Annon, inquit, fili mi, tibi supra modum mea profuit sollicitudo? Profuit verò, ait, mi pater; sed displicet mihi grauiter, quòd cùm essem tanto in vitæ discrimine, nullus mihi vel piam vocem in aures insufflarit, nullus Sacerdotem, qui animæ meæ periclitanti opem ferret, aduocauerit. Hæc postmodum nosten Sacerdos à patre adolescentis, Nobili Iurisperito, iisdem pænè verbis rescit, qui & fassus est non semel, ac palàm, huius ætatis homines, per liberos suos, nostris Patribus pietatem, & internum animi sensum, acceptum referre. Fuit & vnus tam acer Parthenij Instituti defensor, cùm aliquos seriùs ad Sodalitium venire animaduerteret, vocatus vt

Con

Consultor esset, petierit Ianitoris officium, vt quam, in deferendis tardiorum nominibus, inuidiam alij ægrè subeant, ipse liberali animo subiret, ipsósque ad imperatas à Patre pœnitentias, pro negligentia ad ianuam persoluendas, commonefaceret. Apud Romonenses decem omnino è paucis palabundis fuere, quibus euulso vesaniæ lolio orthodoxæ Fidei semen impertiretur noster Concionator: in iis fuit tum Sacerdos desertor, tum qui scholæ Humanitatis præfuerat Ludimagister, ac prætereà Lutheranus quidam. Ibi puella Hæresim fouebat obstinatissimè, quæ vbi primùm nostrum audiit, non modò ad Catholicos, sed in Virginum quoque Cœnobium concessit, tanto Ministrorum dolore, vt ea causa Sacerdoti nostro necem machinati sint. Vir nobilis, scientia rei militaris clarissimus, eóque nomine apud Regem gratiosissimus, singulari prætereà humanitate, ac moderatione animi, qua inductus militares suas copias omni petulantia in res sacras perpetuò prohibuisset, ab incunabulis Caluinianus, cùm à bellicis muneribus ei factum esset otium, domi scriptionem aduersus Catholicam Fidem texere est aggressus. Sed inter legendum scribendúmque deprehendit Fidem nostram pluribus fulciri sacræ Scripturæ locis, quàm Caluinisinum, vt miraretur, & moueret admiratio scrupulum, scrupulus dubium, & cognoscendæ veritatis desiderium. Quapropter conuocatis, quot potuit, Ministris, magno in conseßu obiecit fortiter quidquid interiùs dictabat spiritus, cui cùm non satis facerent

Mi

Miniſtelli, fecit ſibi ipſe, & Deo ſatis: nam conuocato clàm bis térve vno ex noſtris Sacerdotibus, arcanorum Fidei veritatem agnoſcit, & rationum ponderibus ad idem deſiderium ſex ſui oppidi ciues pellicit, ſed eiurandi erroris tempus idoneum præſtolatur. Intereà Sacerdos alius de noſtris ad eum diuertit, perhonorificè accipitur, quibus diebus ægrotabat grauiſſimè hoſpitis filiola, cui, matris rogatu, dum noſter bene precatur, derepentè ſanitas eſt reſtituta: qui euentus non mediocriter hominem in ſuo conſilio confirmauit. Eorum porrò qui ad Catholicos tranſierunt, plerique vel apud parentes & propinquos, vel apud amicos & tribules offenderunt grauiſſimè, vt nonnulli ex eo plagas acerbiſſimas, alij vitæ ac fortunarum periculum incurrerint: nulli tamen harum rerum, quàm ſuæ ſalutis potior fuit cogitatio. Alicubi duo de noſtris aduerſus quinque Miniſtros triduo toto acerrimè pro veritate depugnarunt, & ea felicitate, vt cum multa ſua infamia Miniſtri clàm ſe ſubduxerint; vnde inducti Caluinianorum quidam ad Romanum ritum amplectendum, plurimi verò de Catholica Nobilitate maioribus ſtudiis incitati erga Fidem, & Sacramentorum vſurpationem, quibus eodem loco ſe noſtris expiandos præbuerunt. Annonæenſibus Miniſtris tam infeſtæ ſuis caſtris viſæ ſunt noſtrorum excurſiones, vt ipſis in Synodis decernendum cenſuerint, Caluiniano planè nefas eſſe cum Ieſuita colloqui. Catholicis verò adeò ſalutaris

cre

creditus est noster eò aduentus, vt vnius Societatis opem se Catholicos esse prædicent.

BILLOMENSE COLLEGIVM.

IVcundissimus ille fructus excursionum exstitit, quòd sacrarum Deo Virginum Cœnobia primigeniæ disciplinæ restituimus. Non iam religiosum Parthenona, sed otiosarum mulierculârum conuenticulum appellasses, quod in molli situ non lubricum tantùm, sed præceps est. Circumforaneæ non in suis veriùs peristyliis, quàm in affinium Nobilium castris colebant: in hemicyclis, quàm choro lararijsque frequentiores. Ingressus omnium ad illas in obuio, omnia publica. Enimverò vt in hanc vitæ solutionem se compositi Patres intulerunt, recipere se omnia, & quasi verecundiam traherent, ipsa silere claustra. Sed cùm censoriæ vocis auctoritas nutantes animos aggressa est, oppidò composuere sese. Pergit opus, nostérque ita flectit, vt summa voluntate tractas ex longinquo mentis labes per Confessionem apud Patrem emaculârent. Certè hospitalibus illis hominibus, qui meritoriam salutem in claustra circumferebant, palàm edixerunt, premerent gradum, iam Monasterium vestigia non habere, obesse summi Pontificis antiquum diploma, quod, ignauum adhuc, & longo archiui domitum carcere, in actus efficaciámque palàm cælo proclamarunt. Iam itaque sub claustro virginitas, sub censura san-

sanctitas florent. Missionem, auspiciis Episcopi, duo suscepere Patres Gergouiam, quæ octo admodum millibus Billomo abest, Aruerniæ facilè caput, atque Metropolis. In hanc, pomœrio tantúmnon attiguam nostro, clausi adhuc erant aditus Societati IESV, cui in Indiam maria, solitudines, arduáque montium prona sunt. Enisum est ad vltimum, curatúmque, ne qua tellus progressibus nostris negata sit. Sed vt est populus ille in Aruernis præferox & imputator, simul nostros adspexit, sinistra omnia interpretari: destinasse nos oculis opimam quamuis prædam, sed suspensis vestigiis vt intercipiamus: hi, nos ambire communis Ecclesiastæ exedramulli, cuniculis nos grassari ad occupandum Gergouiense Collegium venali disciplina: denique arbitrio pessimo, quæ quilibet in deterrima pronior, omnia in peius præsumere. Vix sub initia sustentatum est, donec veteranus Sacerdos noster subsidia Deiparæ nostris admouit: cùm templum indidem sit magnæ religionis, rem ibi ritè Diuinam peregit, vt æquiora veritati & iustitiæ ciuium corda redderentur. Lætatum profectò est; vix enim Canonici in medium consulere admiserant, cùm variatis quidem, sed enucleatis suffragiis, etiam honore Concionatoris, & vel reluctantem dignati sunt. Nec verò facti pœnituit, cùm exitus orationis ad omnium exspectationem respondit. Sed in Catechesi habenda maximè elaboratum. Fastis nefastisque diebus frequentissima concio, ætas promiscua, senes audiendis rudimentis puerascere, audiendis con-

discendíque pueri seneſcere, hos imaginum ſancta crepundia, illos libelli, & officij Chriſtiani breuiaria, mirum quantum incitabant. Cúmque prope fidem eſſet, poſiturum audientis feruorem, & cum die inclinaturum; ecce tibi nouum à Collegio noſtro Catechiſtam, hinc nouum accurrere auditorem, frequentia tamen Collegæ prorſus indeminuta. Horum geminatus labor multitudinem tantæ religionis implebat, vt vix ſuperfluenti ſit lætitiæ temperatum. Auxit fructum & admirationem pertinax ille labor, cùm eruptione in oppida facta, concionibus ſemel & iterum habitis, effuſo curſu ſe ad doctrinam nihilominùs noſtri propè exanimati ſiſterent, & viſebantur interim celeberrima pompa, cùm quaſi per triumphum pomœria ingredientem, ad duo millia ſequerentur, qui Confirmationis Sacramentum ſub Epiſcopo acciperent. Idem Epiſcopus luſtrum diœceſeos ex parte fecit, comitem itineris, oneris verò inſigne ſubſidium, ſibi applicuit Patrem è noſtris, cuius opera in illa procuratione ſingularis conſtitit. Degebat in oppido Aruernorum vulpecula quædam, ſuperſtitione & diris incantationibus olim Geneuæ ſic inſtructa, vt iam annos non paucos mediis Catholicorum cœtibus ſimulationum tecta cuniculis, bonorum virorum honoribus, licentia Hæretica frueretur. Venit cum cæteris ad eas conciones, quibus Pater Confirmationis Sacramentum aperiebat; nec mora ſic animum ſuum religionis impleri ſenſit, vt obito primùm ritè Sacramento, Pœnitentia perendie

magno

magno animi sensu vsurpata, nulla interiori lucta, nullo reniſu, in religionis auitæ professionem descenderit. Exegit ex eadem filua par pænè fulgor vnius cum illa doli sociam. Coniux, qui iam decem ante annos coniugis societatem abiecerat, in rapina oppidi, manu tantùm non Dæmonis, sed quàm illius aliquanto fortaſſis exultulatiore, intra pomœrium Orthodoxorum delubri sanctioris, pro rata, textili stragulo Dominicam cæleſtem in terris mensam exspoliarat. Ex tam apto scelestus constuprati templi manupretio, perpetrato scelere interulam filiolo destinarat animo duplicem: domum vt redux fuit homo sacrilegus, secum ferens auspicium, sacrum profert spolium: experitur temerare, ad antegressam mariti opinationem, augustum religione pannum coniux: dissilit primùm opus comminutum, nouit, exit textum sartum, interiorem induit blanda parens nato vestem, apprimit corpusculo, sed Diuinæ vltionis pestem illigauit: ecce enim tibi derepentè, facem excipit toto corpore puer, fero pastu tenellos artus absumentem, conceptum in intestinis bustum gerit, & vindex sensim ardor in viscera eatenus sanguinem adulat, quoad animum immortaliter vindicante manu, pressam expuat ambusta proles, & edentulo Dæmoni viuens ac videns mactata cadat. Quis hæc tam esse credat, quàm audit, se nisi prodat repetita vecors Deianira in fetu fructuque vteri sui? Inde igitur nisa & progressa ratio, ad pietatis saltem aliquam speciem, viuum vanitatis simulacrum peruellit, vt commissum ex-

piet ſcelus,& parem eblandiatur pœnam. Ad ono-
maſten initialem quemdam ſuum iam adit, virum
rectum, & in auito cultu integrum, furtum illi
inquinatiſſimum euulgat, quod ſic eluere ſe velle
apud eum commemorat, vt ſimili mantelo Beati
Auſtremonij aram principem velit opinioſiſſima
mulier inſterni, eam ſic inſequitur vltor à tergo
Deus. Alicubi vir Deo ſacer numquam in gemma,
niſi cùm in œnopolio, bibebat: nec ſe poſſe deli-
catè alibi, niſi cùm popinæ oleret nidorem, vi-
debatur profiteri: illic natum, fictum, factum, & in
manibus œnopolæ educatum crederes. Verbo ita
diſcinctus, & nepos erat, vt, ad pudendum pro-
pudium cęterorum in ſacris illius loci Pontifi-
cum, princeps eſſet oſtentui tenuiſſimæ plebi.
Cum noſtro ab eis, apud quos offendebat, eſt ei-
dem menſæ adhibitus, multi vltro citróque ha-
biti ſermones pro conuiuarum more, ſed non
adipalis is ſanè fuit, quem inſtituit choragus
noſter, ex cuius ore affuſus pendebat circulus,
quo appetiti ſunt tam commodè, támque non
faſtidiosè ganearum fumos ſectantes, vt malè ſibi
conſcius ſacer popa damnarit luſtrorum ſuam ſu-
periorum eiuſmodi conſuetudinem, quam vt
abiiceret, per ea lucida menſæ interualla,
ſollemni voto ſeſe in mancipio po-
pinas numquam habiturum
immortali Deo pa-
làm ſpopon-
dit.

CAMBE

CAMBERIENSE, COLLEGIVM.

PAtris Alexandri Hunnæi obitus in hunc planè annum incidit, non in consequentem, quò reiectus est, manifesto errore, scribentis annuas litteras Camberiensis Collegii, cuius Patris mentionem huc reuocamus libentissimè, non modò quia temporis ratio nos admonet, sed hoc etiam magis, quòd ius commune Societatis, nostrumque priuatim officium, maximè volentes inuitant, vt tanti viri res gestas ab obliuione vindicemus, de cuius laudibus ieiuniùs, quàm pro eius meritis, posteriore Annali est traditum. Ortus clarissima Hunnæorum gente in Scotis, matrem nactus erat feminam religiosissimam, cuius sancta disciplina institutus, ad omne virtutum decus facta indole, mox combibit ea probitatis pietatisque initia, quibus suo deinde studio excolendis ipse tandem in sanctum virum euaderet. Puer adhuc in Galliam litterarum gratia transmisit, quas eximio ingenio, felicissimaque memoria sic complexus est, vt breui Latinis Græcisque doctrinis excelleret, ad quas adiunxit etiam prudentiam Iuris tanta cum eruditionis laude, vt eius docendi magistrum apud Biturigenses publicè profiteretur. Per illud verò tempus, cum se Deo in Societate addixisset, paucis mensibus eos habuit in Religioso instituto processus, vt de Societate viri graues, & nostrarum rerum experientissimi, quibus adolescentis

virtus erat perspecta, de eo pronunciarent, germani Iesuitæ in eius vita expressam esse penitùs effigiem. Ad docendum posteà vbi est adhibitus, perfecti præceptoris omnes numeros expleuit cumulatissimè, vt cum singulas officij partes in eo suspiceres, non tibi constaret in tanta copia excellentiaque virtutum, quam omnium maximè demirareris. Possunt omni asseueratione affirmare, qui annos non paucos eo magistro vsi sunt, non ei periisse vnum temporis momentum in schola, non dictum, non factum vllum alienius excidisse, ad ea, quæ auditoribus traderet, tanta voluptate semper visum affici, vt magno secum ardore discipulos in idem studium raperet vel inuitos, quos haberet assiduissimos etiam cùm vniuersa Francia intestinis bellis flagraret, adeóque ipsæ Gymnasij exedræ pænè quotidie classico personarent. Auditorum singulos amabat vt germanos totidem, quorum compendia, vt pro cuiusque ingenio inquirebat sollertissimè, ita vbi constaret, quid in cuiusque rem esset congruentius, id verò studebat ardentissimè, vt maximè incensa in omnes caritate, singulorum, ac deprauatissimi cuiusque, beneuolentiam sibi adiungeret. Multos annos quibus Rhetorem egit publicè, nec inter docendum, nec inter priuata cum discipulis colloquia, vmquam auditus est loqui vernaculè, qui tamen esset Gallicæ linguæ scientissimus, sed adeò imbiberat animo rectam accurati Magistri rationem, vt perfectæ Latinitatis se non doctorem magis, quàm perpetuum præberet exem-

plum

plum,& reuerà eius hæc laudatissima consuetudo, quòd & Latinè, & elegantissimè perpetuo loquebatur, multos discipulorum incendebat fructuosissimo ipsius imitandi studio. Quidquid vnquam legisset, eius æternùm hærebat in illius animo memoria, vnde selectarum rerum varia illa existebat copia, qua docentis sermo mirificè ornabatur, vt Demosthenis & Homeri, Tullij & Maronis, & aliorum eius generis, nullus insignis locus exponendus occurreret, quem affines loci plurimi, ex eodem scriptore, totidem pronunciati verbis, & quidem summa cum venustate, non continuò illustrarent. Si quid porro in audientium animis altè defixum esse cuperet, incenso mentis ardore, qui etiam emicaret ex oculis, & vocis suauitate tanta suadebat, vt eius studio discipulos inflammaret maximopere. De iuuentute, suæ disciplinæ commissa, mortalium nemo illum audiit secus loqui, quàm de sanctissimis adolescentibus: immo, ne venit quidem illi in mentem, vt, quàm diceret, aliud existimaret, ita vir integerrimæ vitæ, si quid minùs rectum animaduerteret, corrigebat quidem sollertissimè, apud alios tamen arbitros, quidquid illud esset, vertebat in bonum. Ab Gymnasiorum pulpitis traductus deinde ad sacra Templorum suggesta, omnium fortasse Scotorum primus dicere ad populum Gallicanum cœpit & disertissimè, & eloquentissimè, vt Diuionenses, apud quos tum agebat, adituri ad eum concionantem vulgò ita loqui consuessent: adeamus ad oratorem. Sed tota eius oratione sparsi erant appositè ad argu-

mentum acres aculei, quibus caperetur iucundiùs, vehementiúsque commoueretur auditor, quàm venustate verborum, figurarum lepore, voluptate numeri, & totius splendore orationis. Principiò namque illius initi muneris studuerat, vt cum se non illepidum oratorem posset ostendere, se tamen vbique fructuosum concionatorem præberet: quare congestis in memoriæ thesaurum idoneis ad quoduis argumentum tractandum ex sedula Patrum lectione locis, se Præsidibus suis obtulit ad obeundas quascumque missiones, eo commeatu & instructu, qui sola memoria niteretur, quàm paratissimum, non quò cæterum apparatum aut negligeret, aut in aliis damnaret, sed ne qua librorum sarcina moram subitariis excursionibus iniiceret. Sacri Aduentus ac Ieiunij sollemnes habiturus conciones missus aliquando ad Episcopum eruditissimum, eundemque nostri amantissimum, cum expeditus ex equo descendisset sine sacculis, vno dumtaxat instructus Breuiario, quod manu præferret, suspicionem mouit hominis non satis abunde comparati ad futurarum concionum munus: cùm tamen diebus aliquot dixisset copiosissimè fructuosissiméque, nullis sumtis ab Antistite libris, sed in conclaui priuatim meditatus, mirari vehementer Episcopus hominis rationem, & eum de illa studiosè percontari. Interrogando comperit quidquid ex Euangelio totum in annum populo exponeretur, & quæ ex Patrum commentariis in eam rem quadrarent, tam eius animo esse præsentia, quàm quæ oculis cerneret, tam altè impressa

impressa, vt probè commeminisset omnium, & apud hospitem expeditè pronunciaret; tum verò Episcopus mirari, amare, amplecti, collaudare hominem, & omnia illi, vt meritissimo, deferre, atque ad Collegij Camberiensis Præsidem scribere, se impensè gloriari eo Concionatore, qui ad se delegatus esset, quem putaret germanissimum esse Societatis Concionatorem. Hoc quidem tam expedito copiosoque genere commeatus Euangelici suo in Ecclesiaste oppidò delectabatur Antistes; cùm tamen, eo vibrante incensas pietatis faces in audientium pectora, concionem vehementissimè commoueri sentiret, eóque totam incumbere, quò Ecclesiastes cuperet: iam sanè hunc sibi hospitem, ac plebi suæ doctorem destinatum ampliùs tantò gaudebat. His vtilissimarum concionum piis vestigiis perpetuò insistentem Patrem Alexandrum, luculento populi audientis compendio, aliæ multæ expeditiones excepere, pari semper gratia, similique plausu principum virorum suis pulpitis adhibentium, vbi egregia multa eius claruere facinora, quorum illic viget memoria, sed apud nos, leui dumtaxat nixa rumore, intercidit. Versatus aliquando est in castris Caroli Emmanuelis, Allobrogum Ducis, in quibus quàm graues, quámque assiduos labores exantlarit, quanta cum alacritate, industria, fortitudine, & ipse Princeps Carolus, & Tribuni militum, & miles etiam summa cum hominis prædicatione commemorarunt frequentissimè. Ex quo primùm in Castrensia septa immisit pedem, Diuinarum rerum

religione vniuersos manipulos compleuit, vt non manè, non vesperi, non vlla diei hora, miles quidquam de Christiani hominis officio intermitteret, concionanti, facientique adesset frequentissimus, & suprà quàm exspectari posset ab bellici moris multitudine, moderatus atque compositus sua obiret deinceps munia. Castrorum regiones quædam iniquiore hoc erant conditione, quòd, obnoxiæ hostium prospectui, tormentorum infestis patebant emissionibus, vnde frequentium contuberniorum existebant fœdæ sæpenumero vexationes. In omnia pietatis officia semper intentus Pater, sedulò præsertim cauebat, ne cui mors improuiso imparatóve obreperet; quamcumque igitur in partem increpuisset tormentorum fragor, nisi posset eò tectus accurrere, humi toto corpore stratus, longissimo frequenter intercapedinis ductu, sollicitus adrepebat, vt sauciorum corpus animumque procuraret: qua officiosissima sollicitudine plerisque manipularium vitam animique salutem asseruit. Inde fuit omnis exercitus in eum venerationis studium tantum, vt ad se adeuntem militares homines, velut Apostolorum aliquem honorificentissimè acciperent: tanta eius dictorum fides & auctoritas, vt in oraculis haberentur: tantus Ducum militumque aduersus eumdem amor, vt incensa studiorum æmulatione certaret quilibet, qua ratione cæteris in optimum Patrem officiosior euaderet. Animaduersi sunt plerumque non in Castris modò, sed aliquot deinceps annis post illud profligatum bellum, frequentes milites,

etiam

etiam ex deprauatissimis, cùm procul Patrem obseruassent, humi procumbentes, aut eo statu præstolari dum is ad se aduenisset, aut geniculis nixi ad eum reuerenter adrepere religionis gratia, quos ille suauissimè complecteretur, vt totidem carissimos filios, nec ab se amitteret, nisi salutari præcepto imbutos. Neque verendum fuit, vt salubria monenti obsequerentur, qui eum & in sanctis ducerent hominibus, & nossent ab eo se magnoperè diligi, eaquepropter iussa eius non secus acciperent, atque velut ab ipso profecta Numine. Quotquot hominum vmquam in vita nouerat, eorum meminerat nomina cognominaque, sed quos suis noxis expiarat, aut ab Hæresi ad Fidem traduxerat, maximè omnium, quorum vt studiosissimè foueret animo memoriam, tamen vel omnes, vel plerosque habebat descriptos in codice, & eorum legendis crebrò nominibus, ad preces ipsorum gratia fundendas seipse perlibenter excitabat: ac sentiebant ij, quos Deo commendaret, vim precationum ipsius, nec ambigebent vnde sibi tantum boni accideret. Probauerat quidem se hominis virtus eximia illustribus planè documentis, in componenda Christiano ex instituto militarium hominum vita, vt modò diximus: sed haud obscurioribus indiciis eadem se prodidit renocanda ad Romanum ritum infinita propemodum Hæreticorum multitudine, in Geneuensium finibus, vbi quinque sexve annorum fructuosissimam glorioſissimamque operam collocauit. Geneuensium à Fide, atque ab legitimis Allobrogicorum

corum Ducum imperiis defectio, quòd tum Principes transalpinis bellis distinerentur, abripuerat secum Antuatium Veragrorumque vniuersum illum tractum, qui toti Lemano obtenditur, quadraginta circiter milliaribus, ad Sedunensium fauces, ipsumque ingressum Alpium: quibus populis ab Emmanuele Philiberto deinde receptis, Hæresis tamen occupabat omnem fermè regionem, quoad Carolus Emmanuel eam sibi sumsit exigendam. Eò igitur missi ab eodem Principe sex de nostris, qui Clementis Octaui, Pontificis Maximi, sumtibus fouerentur, ad illud Augiæ stabulum repurgandum. In partem eius laboris, eamque maximam, venit Pater Alexander, ijs cumulatè instructus dotibus, quæ omnium essent ad illud munus opportunissimæ, quibus eueftigiò indigenarum animos sibi demereretur, vt eò confestim impelleret, quò cuperet maximè. Mirificus animi candor, quem omnia eius dicta factaque præferrent apertissimè, iucundissima morum & sermonis suauitas: vitæ probitas integerrima: incensus ardor animos iuuandi, quem ardorem eius verba, oculi, frons, vultus totus, & omnis corporis habitus liquidò spirarent: laborum assiduitas incredibilis, sollicitudo, vigilantia, parsimonia; singularis pietas, & quæ aliæ istis comitari solent virtutes, in ea existimatione ac gratia hominem subitò posuerunt apud populum, sua sponte candidum docilemque, vt totam gentem, puerorum instar, haberet dicto in omnibus audientem. Si quando autem Hugonotorum quispiam

ab eo

ab eo poſceret inducias, vt de tranſitione ampliùs deliberaret, prouolutus in genua, per ſanctiſſimá quæque hominem obteſtabatur, vti ne deliberando ambiguam faceret ſalutis ſuæ rationem, quam nunc Deus certam eſſe vellet: cuiuſmodi obſecrationibus, quod quæreret, facilè impetrabat. Millena omnino capita Hæreticorum paucis menſibus ab eo tranſlata conſtat ad Eccleſiam, præter eos, de quibus non eſt relatum, atque eius inſtitutione ſic deinde informata ad pietatem, vt de Catholicis, toto eo tractu, ij deinde fuerint & conſtantiſſimi, & religioſiſſimi. In Miniſtellos Caluinianos per eam excurſionem frequentiùs incidit, tametſi animantium genus illud venaticis canibus, ac validis præſertim moloſſis, haud libenter ſe præbet obuium: ſed, vt venandorum hominum cupidus ſupra modum, omnes viarum anfractus explorabat, vel aliud agens ferebatur in eiuſmodi ferarum latibula: in quas cùm incurriſſet, tractabat eas liberaliſſimè, atque vel inuitas humanitate ſingulari pertrahebat ad diſputationem, pauciſque ad infantiam adigebat. Noui Teſtamenti ac veteris locos omnes, quibus Caluiniani dogmatis liquidò reuincitur falſitas, habebat in numerato, quibus pronunciatis, ſi Miniſter auctoritatem citantis negando infirmaret, ipſe promto ex perula Latino Græcóve Teſtamento, teſtimoniis hominem mox obrueret. Singulare porro id in hoc Patre fuit, vt quibus codicibus aliquo tempore vſus eſſet, is eorum non paginas modò, ſed verſiculos ſingulos haberet ita compertos,

pertos, vt primo digitorum coniectu eam planè destinaret paginam, quam vellet indicare, eueſtigióque verſum certum intento digito oſtenderet; cuius rei periculum fecimus frequentiſſimè, qui nuper Rhetorica ſtipendia illo duce meruimus, propoſitis ex Tullio, Marone, Homero, & aliis ſcriptoribus, ijs locis, qui veniſſent in mentem noſtrûm cuilibet. In ſacrorum verò Bibliorum vſu, ac Noui maximè Teſtamenti, hanc facultatem exercuit tantò ſtudioſiùs ſollertiúſque, quòd ſanctæ veritatis, ac Diuini cultus agebatur ratio: quamobrem Hugonotticis Miniſtellis hanc ipſius celeritatem probandi confutandique expertis, tota illa congreſſio erat formidabilis, quòd noſſent nullum ab ſe dictum poſſe proficiſci, quod non ex indicato Teſtamenti loco mox ille refelleret. Ab inita Societate huius hominis mentem inſederat ardentiſſima cupiditas profundendi ſanguinis pro ſalute mortalium, Diuinaque gloria, cuius explendæ ſitis oblatas occaſiones non paucas flagrantiſſimo ſtudio arripuit, ſed ei non fortaſsè mitius quoddam aliud Martyrij genus Deus deſtinarat, acerbos calculi dolores, quibus, ſexto die quàm ægrotare cœperat, eſt confectus. Puriſſimæ Caſtimoniæ, Paupertatis exquiſitiſſimæ, excellentiſſimæ Obedientiæ, cæterarumque virtutum ſingulares in eo laudes non perſequimur, veriti ne ipſarum illuſtriſſimis luminibus dicendo obſtruamus veriùs, quàm vllum earum decus, vel mediocriter exprimamus: ſic enim perſuaſum ijs omnibus eſt, qui hominem nouerant, imparem eſſe

cuiuſuis

cuiusuis scriptoris facultatem, eius pro merito explicandis facinoribus. Iacobo Danthono, recenti ex Tironum stadio, & hic annus in eadem familia postremus. Maximæ spei adolescens fuit, seu virtutem, seu litteras velis in eo æstimare, quas ad vtrasque nactus eximiam indolem, incredibile studium contulerat, vt in ambabus mirabiles processus mox habiturus speraretur. Castius eo fingi nihil poterat, nihil religiosius, Instituti Religiosi obseruantius nihil, vt qui exarsisset in eum amorem nostrarum Constitutionum, vnde oculos vel per morbi angustias non posset auellere, atque cùm eum iam manuum vis defeciſſet, ipse tamen labris eius libelli folia moliretur.

ANICIENSE COLLEGIVM, & Biterrense.

ANICII vnus ex Scholasticorum Sodalitio Cruces locis illustrioribus iam diminutas, quà aduersariorum iniquitate, quà attritu vetustatis, erigendas curauit, pretio quod sua frugalitate ac parsimonia confecerat. Ita fabris mandarat, negotium vt matutarent, non proderent auctorem; sed illi, cæterorum omnium, quàm silentii, magis memores, adolescentis pietatem euulgarunt. Adolescentes duo fratres ad Catholicam Fidem accessere. Alter ex eis, familiæ suæ princeps, patris Hæretici quà blanditiis, quà minis, ab Sacris nostris atque scholis fuerat abstractus:

ctus : sed cùm constantia eius & precibus fatigatus parens flecti non posset, optione data, de tribus Hæreticorum Collegiis iret ad quod mallet, euicit tamen deinde precibus, vt ad nos huc remitteretur cum minore fratre, quem non ita molestè ferebat Catholicum amplecti ritum, quod videbat facilè futurum ex procliui eius indole : quorum vterque iam Catholico more inter nos agit, patre haud ita repugnante. Ille quidem prior statim voluit restitui in statum Fidei pristinum, vnde per minas & preces exciderat. Alter minor post perceptam magno pietatis sensu, Catholicam Fidem, absolutus ab Hæresi, & fratris vestigiis insistit, in nostris Scholasticis diligentiæ ac pietatis par egregium.

Biterræ Ioannes Iaquetanus annorum trium & quadraginta, rei domesticæ Adiutor, cùm aliquamdiu tabida febre hic laborasset, ex medicorum præscripto Billomum, cæli mutandi gratia profectus, intra paucos menses diem ibi clausit, nec leuia superstitibus vbique reliquit patientiæ, paupertatis, obedientiæ, ac deuotionis exempla. Non pauci Caluinianam pestem euomuerunt, ex quibus Scholastici duo, qui licèt eo nomine à parentibus asperrimè tractarentur, constantes tamen in recta Fide perstiterunt. Mulier Hæresi abiurata cùm obiisset, atque Hæretici contenderent, vt quandoquidem ante diem postremum, toto vitæ tempore ab illis stetisset; suo more sepeliretur; confictisque calumniis verba Magistratui dedissent; tamen effectum est, vt eiusdem Magistratus

auctoritate, qui ad postulata nostrorum, de re tota inquisiuit, funebri pompa, ritu Catholico, mandaretur sepulturæ. Puella rustica, Catholicis præceptis apud nos erudita, cum ad Hæreticam matrem rediisset, vexata est crudelissimè, sed tolerando fortiter, precibúsque ad Deum fusis continenter duritiem matris tandem emolliuit. Doctor Biterrensis Caluinismo infectus æquè, atque Veneris facibus incensus, impium carmen in Beatam Virginem scripserat, qui deinde cum vicina muliere, moribus corruptissima, turpiter versatus, tantum sanguinis emisit ex flagitij contentione, vt simul animam effunderet, penderétque pœnas violatæ Deiparæ. In agris Hæreticus, magnæ apud suos auctoritatis, audita Patris vnius concione de peccatorum fœditate, resipuit, &, fremente licet malignantium Synagóga, Caluinianam perfidiam sincera fide commutauit. Alibi alius quattuor pestilenti Hæresis lue sanatos Catholicæ matri reddidit. Coërcita quoque Fraterculorum licentia, nocturno tempore, in Catholicorum odium, Marotti rythmos per compita cantantium. Sacerdotem nostrum, in cohortando famoso quodam Hæretico, de reconciliatione cum inimico facienda, occupatum, aggressus est sectæ Caluinianæ Præco, adiunctis sibi assecliis, qui, Caluini codice mensæ superiecto, Patrem ad coarguendum Caluinum erroris prouocabat, se paratum scilicet, quæcumque ille ac Dominus Lutherus asseruissent, propugnare. Vt Hermaphroditum derisit noster, & contrariorum assertorem perpetuum,

atque obiectis ſtatim nonnullis ex ipſo Caluino, impudenti homini facilè occluſit os, vt cùm eum rationes & verba deficerent, mox è medio ſe tacitus ſubduceret. Luteuani, vernaculè LODEVE, ciuitas eſt Epiſcopalis, apud Arecomicos montanos, quæ cùm iampridem eſſet deſtituta paſtore, Ducis Ventadorei rogatu, ad ciues iuuandos Pater Prouincialis vnum ex noſtris eò deſtinauit. Ante aliquot annos ea vrbs, duce Fougierio, nobili Caluiniano, proditoriè capta eſt, direpta, vaſtatáque ab Hæreticis, ciues Catholici trucidati, euerſa templa, cœnobiáque, Sanctorum oſſa ſuis monumentis euulſa, & flammis tradita. Nominatim verò corpus Beati Fulcrani, eius vrbis, ante octingentos annos Epiſcopi, quod ad eam diem planè integrum viſebatur, funibus alligatum in publicam plateam raptarunt, rogóque comburendum iniecerunt: ſed veritus ignis ſacrum pignus, id fouit in flammis, nulláque ex parte læſit, tametſi ad excitandam vim ignis, adipis, olei, ſulfuris fomitem iniicerent, & ipſa flamma domorum tecta ſuperaret. Illæſum igitur ſacrum corpus ex rogo eruitur, atque diſtricto enſe Dux ipſe fremens ac frẽdens ei caput amputat, quo deinde, tamquã folle, per ſummum ludibrium carnifex vtebatur: ad cuius exemplum milites reliquum ſancti Epiſcopi corpus mẽbratim conſciderunt, & in vrbis cloacas abiecerunt. Tantam verò impietatem Deus inultã eſſe noluit, nam paullò pòſt ſcelerato Duci caput amputauit quidam Catholicus, idémque per forum & compita iactatum diu, in eaſdem cloacas

ab ip

abiecit: reliqui etiam sacrilegi satellites merita donati mercede, vt in suo quisque corpore iisdem membris mutilaretur, quæ in Sanctissimi Fulcrani corpore abscidissent. Occupata porrò ab Hæreticis ciuitate, eiectis Episcopo & Clero, Catholicis ciuibus aut cæsis, aut pulsis, aut carcere conclusis, triennio toto res Catholica pessimo loco fuit, neque valdè bono fuerat antèà, Antistitum summa negligentia, quorum nemo totos sexaginta annos Diœcesin lustrauerat. Concionator igitur noster frequentissimus esse cœpit in erudiendo quotidie populo, quocumque genere familiaris ac fructuosæ institutionis. Sub finem verò Aduentus cùm studiosissimè cohortatus esset ad obeundam Confessionem per Christi Natales, quod ciues antè non consueuerant, se quidem passi sunt persuaderi, nemo tamen vllum de vrbis Clero adire voluit ad expianda peccata, quo factum est, vt Concionator senio iam grauis, & laboribus fractus, pænè obrueretur ab concurrentium multitudine: ac salutaris quidem plurimis fuit eius opera, qui vel noxarũ atrocitate, vel neglecto quadraginta ipsos annos Sacramento, pessimè habebant. Inter cætera porrò eius excursionis compendia, & ea quidem maxima, vnum illud fuit, quòd Ecclesiæ Catholicæ facta est accessio duarum familiarum, quæ à Caluino steterant. Plures erant transituri ad Romanum ritum, sed clam intromissus Minister in vrbem, cùm se cuniculis insinuaret in domos, auertit eorum salubria consilia. Hic autem nebulo, vt nomen sibi conciliaret apud suos, ausus est

publicè ad certamen prouocare noſtrum Sacerdotem, prolatíſque vernacula lingua Bibliis, pronunciatum ponere, quo aſſeueraret: Solo ſcripto Verbo Diuino Eccleſiam niti debere, cui Sacerdos noſter cùm, pauca præfatus, ſuam inanitatem oſtendiſſet, breui ſyllogiſmo propoſito ita os occluſit, vt pudefactus ſe ſubduxerit è conſeſſu, poſtridiéque oppido exceſſerit.

***

LVGDVNI,

Ex Typographia CLAVDII CAYNE,

M. DC XIX.

ERRATA.

Pag. 192, *verſ.* 13, auſpicata illa ſchedula: *lege*, auſpicatam illam ſchedulam.

Pag. 208, *verſ.* 11, perinde quaſi fuit: *lege*, perinde ferè fuit.

Pag. 270, *verſ.* 16, non dextantario: *lege*, non ſextantario.

Pag. 399, *verſ.* 17, plurimos ann. *lege*, plur. annos.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
5174